COMPENDIOSÆ INSTITUTIONES THEOLOGICÆ,

AD USUM SEMINARII TOLOSANI,

Jussu et auctoritate Illustrissimi et Eminentissimi D. D. Cardinalis

ANNÆ ANTONII JULII DE CLERMONT-TONNERRE,

ARCHIEPISCOPI TOLOSANI ET NARBONENSIS,


GALLIARUM PRIMATIS, ORDINIS REGII SANCTI SPIRITÛS COMMENDATORIS, DUCIS AC PARIS FRANCIÆ, REGNI MINISTRI, REGISQUE A PRIVATO CONSILIO, DOCTORIS SORBONICI, etc., etc., etc.,

in lucem editæ.

TOMUS QUINTUS.

DE ACTIBUS HUMANIS, DE LEGIBUS, DE PECCATIS, DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

Quarta Editio.



TOLOSÆ,

È TYPIS JOANNIS MATTHÆI DOULADOURE.

M. DCCC. XXXV.

TRACTATUS

DE

ACTIBUS HUMANIS.

Quatuor capitibus præsentem complectemur Tractatum. Agemus in primo de naturâ, divisione et principiis internis actuum humanorum; in secundo, de principiis eorum externis; in tertio, de ipsorum proprietatibus; in quarto, de regulis eorumdem.

CAPUT PRIMUM.

De Naturâ, Divisione et internis Principiis Actuum humanorum.

Triplici sensu accipi possunt actus humani. 1.º Latè, pro iis actibus qui nec liberi sunt, nec voluntarii, quales sunt motus primò primi; aut qui nullatenùs diriguntur à ratione, qualis est volitio infantis: ii autem actus vulgò dicuntur *Actus hominis.* 2.º Strictiùs, et magis propriè, pro quocunque actu voluntario, sive liber sit, sive non. 3.º Strictissimè, pro omni et solo actu libero.

Agitur eò loci potissimùm de actu humano hoc tertio sensu sumpto, qui et definitur: *Actus ab hominis voluntate deliberatè et liberè procedens.*

Hinc dividuntur actus humani, 1.º in *elicitos* et *imperatos*. actus *eliciti* dicuntur ii qui im-

mediatè procedunt à voluntate, v. g., amor et odium; *imperati*, ii sunt qui, imperante voluntate, ab aliâ facultate eliciuntur, quales sunt meditatio, deambulatio, etc.; 2.° in *bonos* et *malos*, de quibus infrà; 3.° in *naturales* et *supernaturales* : *naturales* sunt qui naturæ viribus producuntur; *supernaturales*, qui adjuvante gratiâ Christi fiunt; 4.° in *interiores*, qui exteriùs non manifestantur, ut cogitatio; et *exteriores*, qui extrinsecùs patent, ut eleemosyna.

Nomine principiorum actûs humani, ea omnia intelliguntur quæ ad actus humanos concurrunt, sive in ipso sint homine, sive extra ipsum; undè duplicis generis distinguuntur, interna et externa. Tria sunt principia externa : bonum, finis, et beatitudo, de quibus in sequenti capite. Tria similiter interna principia : intellectus, voluntas, et libertas. Intellectus prout hìc sumitur, est facultas cognoscitiva, directrix actuum humanorum ad honestatem; voluntas est facultas bonum prosequens prout sibi ab intellectu proponitur. Quia verò de intellectu morali fusiùs agemus capite IV, ideò duabus sectionibus hìc disserere sufficiet de voluntario et libero.

SECTIO PRIMA.

De voluntario.

Duo sunt expendenda : 1.° quid et quotuplex sit voluntarium; 2.° per quid tollatur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid et quotuplex sit Voluntarium.

Voluntarium est id quod fit juxta cognitionem

intellectûs et voluntatis inclinationem. Ad voluntarium ergo duæ requiruntur et sufficiunt conditiones, advertentia scilicet rationis, et consensus voluntatis.

Hinc differt voluntarium ut sic, à libero; quia ad liberum, præter assignatas conditiones, tertia alia requiritur, potestas nempè agendi, vel non agendi, ut modò dicemus; undè omne liberum est quidem voluntarium, sed non omne voluntarium est liberum. Sic in Beatis, amor Dei est voluntarius, sed non liber.

Voluntarium dividitur 1.° in voluntarium *simpliciter*, et in voluntarium *secundùm quid:* prius fit ex plenâ voluntatis inclinatione; posterius est mixtum, fitque ex voluntatis consensu, sed non sine aliquâ repugnantiâ, qualis est, ingruente tempestate, projectio mercium in mare.

2.° In voluntarium *liberum*, quod oritur ex deliberatione mentis et libero voluntatis consensu, seu quod, præter cognitionem intellectûs et voluntatis inclinationem, includit liberam ejusdem voluntatis electionem; et voluntarium *necessarium*, quod fit duntaxat juxta cognitionem intellectûs et propensionem voluntatis, qualis est amor beatificus.

3.° In voluntarium *directum* et *indirectum: directum* est illud quod in se et immediatè intenditur, ut si quis sciens et volens pejeret; voluntarium *indirectum* est illud quod mediatè solùm et in alio, putà in causâ, volitum est, v. g., si quis velit se inebriare, prævidens futurum ut in ebrietate pejeret. Ut autem effectus censeatur moraliter voluntarius in causâ, id est, ut ad meritum vel demeritum imputari possit, tres vulgò requiruntur conditiones: 1.a ut agens advertat

aut advertere potuerit ex causâ secuturum effectum : hinc immodestiæ reus non fuit Noe, quia nescivit vinum hujus effectùs esse causam; 2.ª ut auferre potuerit vel non ponere causam : ad impossibile enim nemo tenetur ; 3.ª ut causam hanc auferre vel non ponere teneatur : undè non peccat Sacerdos qui debitâ cum prudentiâ confessiones audit, ex quibus certò novit se pravas cogitationes aut motus obscenos esse passurum.

Voluntario opponitur involuntarium ; quia autem duo includit voluntarium, cognitionem nempè mentis, et voluntatis inclinationem, hæcque cognitio et inclinatio varios suscipere potest gradus, hinc variæ sunt involuntarii species. 1.° Involuntarium aliud est tale *positivè* et *contrariè*, quod non solùm est non volitum, sed etiam nolitum et voluntati contrarium; talis est renitentis hominis detrusio in carcerem; aliud est involuntarium *negativè* tantùm, quod est præcisè non volitum, seu quod fit absque ullâ mentis advertentiâ; v. g., locutio hominis dormientis, motus primò primi. 2.° Involuntarium contrariè duplex est, unum *simpliciter*, quod voluntati prorsùs displicet et opponitur, ut prædicta detrusio in carcerem, et concupiscentiæ motus qui quandoquè insurgunt contra voluntatem toto affectu renitentem ; alterum *secundùm quid*, quod voluntati sub aliquo quidem respectu displicet, sub alio tamen magìs placet, qualis est, ingruente tempestate, projectio mercium in mare.

Dormientium actiones sunt involuntariæ negativè, semi-dormientium verò semi-involuntariæ, quia in illis nulla est advertentia, in his autem semi-plena.

ARTICULUS II.

Per quid tollatur Voluntarium.

Causæ involuntarii quatuor possunt distingui, scilicet : vis seu coactio, metus, concupiscentia seu passio, et ignorantia. De singulis agendum.

§ I.

Utrùm vis seu coactio tollat Voluntarium.

Violentia, vis et coactio idem sonant, eorumque nomine intelligitur, motio ab extrinseco principio proveniens, cui voluntas renititur. Undè violentum seu coactum est id quod fit à principio extrinseco, contra propriam voluntatis inclinationem. Quia verò aliquid potest esse et fieri vel contra omnem, vel contra aliquam solùm voluntatis inclinationem, idcircò duplex distinguitur violentum sicut et involuntarium, aliud absolutum et simpliciter, aliud secundùm quid.

Statuitur 1.° violentiam simplicem et absolutam tollere voluntarium ab iis actibus in quos cadit.

Patet, quia de ratione voluntarii est, ut sit à principio intrinseco, seu à voluntate, et quidem fiat juxta ejusdem voluntatis inclinationem : atqui omnis actus in quem cadit coactio, non est à principio intrinseco, nec fit, etc. ; ergo, etc.

Statuitur 2.° coactionem simplicem et absolutam cadere non posse in actus elicitos voluntatis, seu voluntatem simpliciter cogi non posse ad actus elicitos ; et idcircò nulla violentia efficere potest ut actus à voluntate eliciti, sint simpliciter involuntarii.

Prob. Quia omnis actus à voluntate elicitus est essentialiter voluntarius, ab intrinseco principio

procedens, verè volitus, et ideò juxta voluntatis inclinationem: atqui sine manifestâ contradictione talis actus non potest esse simpliciter involuntarius, seu coactus, ab extrinseco principio ortus, et renitente voluntate; ergo, etc.

Dixi, *coactionem simplicem*, coactio quippè *secundùm quid* cadere potest in actus elicitos, ut patet de mercatore qui ortâ tempestate verè vult merces in mare projicere, item et de eo qui metu mortis pecuniam dat latroni; hæc tamen coactio non omninò tollit voluntarium, sed minuit duntaxat, cùm aliqua remaneat ratio voluntarii, nec omninò resistat voluntas.

Statuitur 3.° violentiam simplicem cadere posse in actus qui dicuntur imperati, à quibus ideò omne perimit voluntarium.

Patet 1.ª *pars*, quia actus imperati possunt fieri ab extrinseco principio, renitente voluntate, ut patet exemplo hominis qui invitus cogitur ante idolum genua flectere.

Prob. 2.ª *pars*. Actio quæ fit voluntate omninò renitente est prorsùs involuntaria: atqui actio, quæ fit per coactionem absolutam et simplicem, fit renitente voluntate; ergo prorsùs involuntaria est.

Hinc non peccat femina cui totis viribus, id est, voce, manibus et toto corpore resistenti, stuprum infertur; secùs verò dicendum, si languidè solùm, et non quantùm potest, resisteret; tunc enim minueretur duntaxat ejus peccatum, pro ratione illius resistentiæ.

§ II.

An metus tollat Voluntarium.

Metus est *Trepidatio mentis ob malum imminens, vel futurum periculum.* Duplex distingui-

tur, alius *gravis*, quo grave malum intentatur cum probabili periculo illud incurrendi, quique ideò dicitur cadens in constantem virum; alius *levis*, quo vel leve malum timetur, vel si grave, nullum est probabile illud incurrendi periculum, undè in virum fortem cadere nequit.

Certum est 1.° metum levem nullatenùs tollere voluntarium, cùm nec mentis advertentiam, nec liberam voluntatis electionem et determinationem impediat.

Certum est 2.° metum gravem, si fortè talis sit ut mentem omninò perturbet omnemque tollat ejus advertentiam, penitùs perimere voluntarium, et ab omni excusare peccato, quia nihil liberum et voluntarium nisi præcognitum.

Statuitur metum gravem, quo stante remanet homo suî compos, ut vulgò fit, non tollere simpliciter voluntarium, sed ordinariè illud minuere : idcircò idem metus non tollit peccatum, sed imminuit.

Prob. 1.ª *pars :* Quia illud non tollit simpliciter voluntarium, quod relinquit mentis advertentiam, liberamque voluntatis electionem : atqui metus ille gravis relinquit, etc., ut patet in mercatore qui suas in mare merces projicit; cognoscit enim et mercium pretium, et vitæ periculum in quo versatur, et actionem merces projiciendi, quam tamen liberè eligit, quia vitam pluris facit quàm merces. Hinc Christianus qui metu tormentorum fidem abnegat, puella libidini alienæ consentiens ne occidatur, gravissimè peccant.

Prob. 2.ª *pars :* Quia metus gravis minuit voluntatis inclinationem, et libertatem, ut patet; ergo et voluntarium.

Dixi tamen, *ordinariè*, ut innuerem metum

aliquem, qui nempè supernaturalis est, ex gehennæ supernaturali consideratione ortus, voluntarium non imminuere, nec causare involuntarium *secundùm quid*, cùm peccandi voluntatem possit excludere, ut docet Conc. Trid. Ratio autem discriminis timorem naturalem inter et supernaturalem est, quòd objectum, putà projectionem mercium, ad quod impellit metus naturalis, in se malum judicet intellectus; homo verò timore supernaturali donatus, verè intelligit in se, et etiam abstractione factâ gehennæ, bonum esse servare Dei mandata, peccatumque fugere.

Dices : 1.° Quæ fiunt ex metu, reluctante voluntate fiunt; ergo penitùs sunt involuntaria. 2.° Contractus ex gravi metu initi, non sunt validi, ita sponsalia, matrimonium, etc. 3.° Qui metu mortis proximo non subvenit, aut Missæ in die festo non interest, excusatur à peccato; ergo metus gravis excusat à peccato, tollitque voluntarium.

Resp. Ad 1.um *dist.* Reluctante secundùm quid voluntate, *conc.;* simpliciter reluctante, *nego.*

Ad 2.um *dist.* Non sunt validi, ex defectu libertatis aut voluntarii ex naturâ rei sufficientis, *nego;* ex Jure positivo, et propter alias speciales causas, ut in *Tract. de Contractibus* dicturi sumus, *conc.*

Ad 3.um *conc. ant., nego cons.* Non enim defectu libertatis aut voluntarii excusatur à peccato in laudatis casibus, sed quia in illis cessat lex, quæ cum tanto incommodo nòn obligare intendit. Undè si lex quæ ex metu non impletur, talis sit ut semper obliget, eam transgredi semper est peccatum; ut patet exemplo illius qui ex gravi metu mentitur, aut fornicatur, vel servit idolis.

§ III.

Utrùm concupiscentia Voluntarium perimat.

Concupiscentiæ seu passionis nomine intelligitur, motus appetitûs sensitivi in bonum sensibile. Est autem vel *habitualis* vel *actualis;* item vel est *antecedens*, quæ prævenit usum rationis, voluntatisque consensum excitat et allicit, ac dicitur motus primò primus; vel *consequens*, quæ oritur ex prævià voluntatis determinatione, ut cùm ex desiderio voluntatis excitatur in corpore passio. Concupiscentia antecedens vel ita gravis est ut perturbet et tollat usum rationis, vel non: si prius, certum est eâ voluntarium omninò perimi, ex dictis; tota igitur quæstio est de concupiscentià quâ stante mens remanet suî compos.

Statuitur 1.° concupiscentiam consequentem nec tollere, nec minuere, sed potiùs augere voluntarium et peccatum.

Patet, quia eam in semetipsâ excitat voluntas, ut majori cum inclinatione perrumpat in actum; ut constat exemplo hominis qui, ut fortiùs ulciscatur, vehementiorem in se excitat iram. Hinc qui ex pravo habitu, quem corrigere non curat, delinquit, graviùs peccat.

Statuitur 2.° passionem antecedentem, quæ non tollit usum rationis, augere quidem voluntarium ratione propensionis in objectum, minuere verò ratione cognitionis et liberi, undè et minuit peccatum.

Prob. 1.ª *pars*. Quia efficit passio ut majori cum inclinatione et vehementià feratur voluntas in malum, ut sæpiùs videre est in homine qui mulierem deperit.

Prob. 2.ª *pars.* Illud voluntarium minuit in ratione liberi quod imminuit cognitionem eorum in quibus est actio : atqui passio seu concupiscentia vehemens cognitionem hanc imminuit; impedit enim ne mens, objecto in quod tendit rapta et illecta, consideret turpitudinem actûs et alia quæ ab eo removere possunt, sicque minuit indifferentiam intellectûs et voluntatis. Hinc qui gravi et subitâ pulsus tentatione peccat, minùs reus est, quàm qui sponte et ultrò ad eumdem actum sese determinat.

§ IV.

Utrùm ignorantia causet Involuntarium.

Ignorantia latè sumpta est carentia scientiæ, seu cognitionis; eaque, si sit carentia cognitionis non debitæ, dicitur propriè nescientia, seu ignorantia negativa, ut in rustico carentia Theologiæ: si verò sit carentia debitæ cognitionis, strictè vocatur ignorantia, v. g., ejusdem carentia Theologiæ in Pastore animarum.

Ignorantia strictè dicta dividitur, 1.°, ratione subjecti, in *invincibilem,* quæ adhibitâ morali diligentiâ, seu adhibitis communibus naturæ vel gratiæ auxiliis, superari nequit; et in *vincibilem,* quæ iisdem auxiliis vinci potest : hæc autem iterùm subdividitur in *affectatam,* quâ quis de industriâ vult nescire, ut liberiùs peccet; ut si quis, datâ operâ, non petat consilium super re dubiâ, ne ab illâ abstinere cogatur, vel conciones non adeat ne fortè avertatur ab eo quod agere decrevit; et in *crassam,* quâ quis directè quidem non affectat ignorare, sed negligit ignorantiam tollere, nec statuit congruam acquirere scientiam.

Dividitur 2.°, ratione objecti, in ignorantiam *facti*, quandò, v. g., quis legem cognoscens nescit adesse circumstantiam in quâ lex obligat; putà si quis sciens diebus Sabbati vetitum esse carnes comedere, nesciat præsentem diem esse Sabbatum; et in ignorantiam *juris*, quâ ignoratur lex, vel quod lege sancitum est; v. g., si nescias diebus Sabbati carnium omnem usum interdictum esse. Ignorantia juris, pro legum diversitate, alia est juris positivi quod liberâ Dei vel hominum voluntate constitutum est; alia juris naturalis, seu legis illius æternæ et immutabilis quæ dictat quid licitum, quid prohibitum.

Dividitur 3.°, ratione actionis quæ fit ex ignorantiâ, in *antecedentem, concomitantem et subsequentem*: ignorantia *antecedens* ea est quæ ita voluntatis consensum antecedit, ut sit illius causa, quâ sublatâ, non fieret actio; talis est ignorantia hominis amicum suum in dumis latitantem, pro ferâ occidentis; *concomitans* est illa quæ, licèt non sit volita, actionem tamen ita comitatur, ut actio adhuc fieret, quamvis abesset ignorantia; talis est ignorantia hominis qui inter venandum occidit loco feræ inimicum quem quærit ad mortem; *consequens* ea dicitur, quæ à voluntate directè vel indirectè volita est, estque vincibilis.

In duobus punctis sita est controversia; primum est utrùm omnis ignorantia invincibilis excuset à peccato, necne; secundum an detur ignorantia invincibilis circa ea quæ spectant ad jus naturale. Circa primum punctum errant 1.° Lutherus et Calvinus, nullam prorsùs ignorantiam affirmantes à peccatis excusare; 2.° Jansenius et ejus discipuli, qui, licèt aliquam dari juris na-

turalis ignorantiam invincibilem admittant, eam tamen à peccato excusare negant. Circa secundum censent nonnulli Theologi, contra omnes, invincibilem ignorantiam non habere locum in iis quæ juris sunt naturalis.

PROPOSITIO PRIMA.

Quæcunque fiunt ex ignorantiâ vincibili seu consequente, suo modo sunt voluntaria, et meritò, si mala sint, imputantur in peccatum.

Prob. Quæ fiunt ex ignorantiâ volitâ, sunt profectò voluntaria, et ideò, si mala sint, meritò imputantur in peccatum: atqui ignorantia vincibilis et consequens est volita, directè, scilicet, aut indirectè; ergò, etc.

Dixi, *suo modo*, ut innuerem pro diversâ ignorantiâ vincibili, diversimodè voluntaria esse quæ ex eâ fiunt: scilicet, ignorantia affectata auget voluntarium et peccatum; cùm enim affectetur eo fine ut homo liberiùs peccet, ardentiorem supponit in peccatum propensionem: ignorantia verò crassa non tollit quidem, sed minuit voluntarium et peccatum; quòd non tollat voluntarium, patet ex præcedenti probatione; quòd autem minuat, probatur tum quia minuit cognitionem, tum quia quæ ex eâ fiunt, contra aliquam voluntatis inclinationem fiunt; qui enim ex tali ignorantiâ agit, sic affectus esse supponitur ut seclusâ ignorantiâ non ageret.

PROPOSITIO II.

Ignorantia concomitans efficit ut opus sit simpliciter involuntarium negativè, quod ideò in peccatum imputari nequeat.

Prob. 1.ª *pars.* Illud facit involuntarium sal-

tem negativè, quod omnem tollit cognitionem, nec ullatenùs est volitum : atqui ignorantia concomitans omnem tollit cognitionem, ut constat; et aliundè nullatenùs est volita, nec in seipsâ, nec in alio, cùm supponatur invincibilis; ergo, etc.

Prob. 2.ª *pars*, quòd nempè faciat involuntarium *negativè* duntaxat, non *positivè*. Quia positivè involuntarium, voluntatis inclinationi sive actuali sive habituali contradicit : atqui opus ex ignorantiâ concomitante elicitum, tali voluntatis inclinationi non contradicit, siquidem, eâ etiam sublatâ, factum nihilominùs poneretur, ut patet exemplo suprà laudato.

Prob. 3.ª *pars*. Quia nullum peccatum nisi volitum : nihil autem volitum nisi cognitum. Fatendum tamen sæpiùs adjunctum habere peccatum, ratione pravi affectûs in inimicum et maligni gaudii quod ex ejus occisione percipitur. Nihilominùs quia peccatum istud est purè internum, non induceret obligationem reparandi damni.

PROPOSITIO III.

Quælibet ignorantia, sive facti, sive juris etiam naturalis, si sit invincibilis et antecedens, omninò perimit voluntarium et excusat à peccato.

Prob. 1.º *ex S. Aug.*, lib. 3, de Lib. Arb., cap. 19 : *Non tibi imputatur ad culpam quòd invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras :* atqui quicunque laborat ignorantiâ invincibili et antecedente, ille invitus ignorat, invitus, scilicet, saltem habitualiter; ergo, etc. Succinit S. Thomas in quæstionibus disputatis de malo, quæst. 3, de Causâ peccati, art. 7 ad 7 : *Dicendum*, inquit, *quòd ignorantia quæ est*

omninò involuntaria, non est peccatum. Et hoc est quod Aug. dicit, non tibi imputatur ad culpam, si invitus ignores.

Prob. 2.° *Auctoritate Alexand. VIII,* qui anno 1690, sequentem proscripsit propositionem : *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc, in statu naturæ lapsæ, operantem ex ipsâ non excusat à peccato formali.*

Prob. 3.° *Duplici ratione.* Prima est, quòd prædicta ignorantia tollat cognitionem et perversam intentionem ad peccandum requisitas. Secunda est quia Deus impossibilia non jubet : atqui si homo teneretur sub peccato legem implere quam invincibiliter ignorat, Deus ipsi juberet impossibilia; ergo, etc.

Obj. adversùs tertiam prop. 1.° *ex Script.* Lev. c. 5, ℣. 17 et 18, præcipitur offerri sacrificia pro peccatis ignorantiæ; ergo, etc.

Resp. Dist. Pro peccatis ignorantiæ vincibilis et culpabilis, *conc.;* secùs, *nego.* Etenim quæ ibi pœnis subjacet, est ignorantia juris positivi, cæremoniarum nempè veteris Legis; fateantur ergo necesse est ipsi Janseniani, hanc in peccatum non imputari nisi quia voluntaria et vincibilis supponitur. Simili distinctione solvi debent cætera Script. loca quæ ignorantiæ peccata commemorant.

Obj. 2.° Damnata est in Synodo Diospolitanâ hæc Cœlestii propositio : *Oblivio et ignorantia non subjacent peccato, quoniam secundùm necessitatem eveniunt :* atqui tamen hæc propositio loquitur de ignorantiâ invincibili; ergo, etc.

Resp. Dist. min. Id est, quæ invincibilis erat in Cœlestii principiis, *conc.;* quæ invincibilis erat in rei veritate, *nego.* Omnem gratiæ neces-

sitatem cum Pelagio rejiciebat Cœlestius, et ideò omnem ignorantiam quæ solis naturæ viribus vinci non potest, invincibilem et inculpabilem censebat. Generalem Cœlestii propositionem sic intellectam reprobavit Synodus Diospolitana, et non alio sensu; undè in variis Scripturæ locis et exemplis quæ Cœlestio opponunt SS. Augustinus et Hieronymus, ferè semper agitur de ignorantiâ facti vel juris positivi; ergo cùm, fatentibus Jansenianis, invincibilis ignorantia facti et juris positivi excuset à peccato, ipsi confiteri debent controversiam fuisse Cœlestium inter et SS. PP. de ignorantiâ in rei veritate vincibili.

Obj. 3.° Ignorantia invincibilis juris naturalis, cui, quantùm ad remotiores conclusiones, obnoxii quandoquè sunt homines, ut jamjam dicturi sumus, procedit ex peccato primi Parentis; ergo est voluntaria in causâ suâ, nempè in peccato Adami; ergo non excusat à peccato.

Resp. Conc. ant., dist. cons. Ergo est voluntaria voluntate nostrâ propriâ, *nego cons.*; voluntate Adami, *transeat cons.* Porrò cùm agatur ibi de peccato personali, requiritur libertas personalis, quâ non exstante, non existit quoque peccatum. Hinc damnata est ab Alex. VIII hæc propositio : *In statu naturæ lapsæ, ad peccatum mortale et demeritum, sufficit illa libertas quâ voluntarium ac liberum fuit in causâ suâ, peccato originali, et voluntate Adami peccantis.*

Dixi, *transeat*, quia strictè loquendo, nec in ipso Adamo fuit libera et voluntaria ignorantia nostra invincibilis; ut enim aliquid censeatur moraliter voluntarium in causâ, necesse est ut prævideatur aut prævideri debeat connexio quæ est inter causam et effectum : atqui Adamus nec

prævidit nec prævidere debuit connexionem quæ inerat peccatum suum inter et ignorantiam quæ illius est effectus; ergo, etc.

Inst. Sequeretur meliorem esse conditionem hominis ignorantis quàm cognoscentis, cùm ille ad summum materialiter peccet, iste verò et formaliter.

Resp. 1.° argumentum istud ad ignorantiam facti et juris positivi totum transferri posse, ideòque ipsis adversariis esse solvendum. 2.° *Dist.* Sequeretur meliorem esse, quatenùs à peccato eximit, licèt sub alio respectu sit pejor, prout nempè aliquid inordinatum supponit, *conc.*; meliorem esse sub omni respectu, *nego*. Sic fateantur adversarii necesse est, melius esse certa quædam in somno pati obscena aut facere, quàm extra somnum; imò etiam ex Jansenianis, melius est agere ex ignorantiâ invincibili juris, quàm cum ejus cognitione, quia cognitio saltem auget peccatum, quod minuit, ipsis fatentibus, ignorantia.

PROPOSITIO IV.

Verè datur invincibilis ignorantia juris naturalis saltem quantùm ad remotas ejus conclusiones.

Prob. Illud invincibiliter ignoratur, cujus cognitio nequidem cum magnis naturæ et gratiæ auxiliis haberi potest : atqui multæ sunt juris naturalis remotæ conclusiones, quæ, etc.; cùm circa eas dividantur acutissimi et sanctissimi Ecclesiæ Patres ac Doctores : sic S. Thomas putat Judicem posse morte damnare quem innocentem privatus novit, quod negat S. Bonaventura; sic posterior admittit actus indifferentes, quos prior

rejicit; sic olìm plurimi putârunt mendacium officiosum quibusdam in circumstantiis esse licitum, quod semper illicitum hodiè tenent omnes.

SECTIO II.

De Libero.

Libertas in genere est *Immunitas à vinculo.* Undè quia eò loci duplex est vinculum quo ligari possit homo, coactio nempè, et necessitas, ideò et duplex in genere libertas; libertas *à necessitate*, et libertas *à coactione.*

Coactio est *Vis homini illata contra propriam voluntatis inclinationem*, ideòque, ut jam diximus, non cadit in voluntatem, quæ cogi non potest.

Necessitas est *Determinatio ineluctabilis ad unum juxta voluntatis inclinationem.* Hæc autem multiplex est : namque 1.° alia est *naturalis et essentialis*, quæ definitur invincibilis ad unum determinatio, orta ex principio intrinseco et naturali, talis est in homine necessitas amandi bonum in genere, propriamque beatitudinem appetendi. Alia *simplex* seu *adventitia* et *accidentalis*, quæ determinatio est ad unum insuperabilis, orta ex principio extrinseco, qualis est necessitas agendi orta ex supremo bono vel malo principio quod admittunt Manichæi, vel ex motione gratiæ aut concupiscentiæ in sententià Protestantium et Jansenianorum.

2.° Necessitas simplex alia est *immutabilis* et *absoluta,* qualis est quæ Beatos ad Deum amandum immutabiliter determinat; alia *variabilis* et *relativa*, qualis admittitur in systemate Jansenii, quà homo per delectationem relativè superiorem,

sive cœlestem sive terrenam, modò ad bonum determinatur, modò ad malum.

3.° Alia est necessitas *specificationis*, determinans ad unam actûs speciem; alia *exercitii*, determinans etiam ad unum numero actum.

4.° Necessitas alia est *antecedens*, quæ vel rationis usum simul et voluntatis electionem, vel solùm voluntatis consensum, quem necessariò obtinet, antecedit; alia *consequens*, quæ ex ipsâ liberâ voluntatis electione sequitur, talis est necessitas quâ necessariò sedeo ex hypothesi quòd ex liberâ meâ determinatione sedeam; talis et impotentia recitandi Breviarii in homine qui de industriâ à se removit omne Breviarium.

5.° Necessitas vel est *physica*, quæ veram et expeditam non relinquit potentiam ad oppositum; tali necessitate Beati in cœlis Deum diligunt; vel *moralis*, quæ et impropriè dicta est *necessitas*, quâ voluntas ita ad unum movetur, ut nonnisi difficilè ad aliud sese determinare queat, quamvis tamen verè possit, et aliquandò reipsâ sese determinet; talis est necessitas quæ oritur ex pravo habitu.

Igitur libertas in genere alia est à *coactione*, et nihil aliud est quàm mera spontaneitas, seu immunitas ab omni violentiâ contra voluntatis inclinationem; alia *à necessitate*, quæ generatìm definitur immunitas à necessariâ et invincibili ad unum determinatione. Hæc autem totuplex subdistinguitur, quotuplex necessitas.

Libertas ab omni necessitate non solùm naturali, aut simplici immutabili et absolutâ, sed et simplici relativâ ac variabili, dicitur libertas indifferentiæ, et accuratè definitur: *Vis electiva seu facultas quæ, positis aut paratis omnibus*

ad agendum prærequisitis, potest agere vel non agere, relativè etiam ad præsentes subjecti circumstantias.

Iterùm hæc indifferentiæ libertas alia est *specificationis*, seu *contrarietatis*, quâ voluntas potest agere hoc vel illud, agere bonum vel malum, alia est *exercitii* seu *contradictionis*, quà voluntas præcisè potest agere vel non agere.

Quæritur quæ libertas sit necessaria ad actum humanum, seu ad merendum et demerendum in præsenti statu naturæ lapsæ; an sufficiat libertas à coactione, an verò requiratur insuper indifferentiæ libertas, seu libertas à quâcunque necessitate propriè dictâ.

Præter veteres Stoïcos et Manichæos, errant hâc in parte Protestantes et Janseniani; docent enim, ut dictum est in *Tractatu de Gratiâ*, lapsum hominem, per efficaciam sive gratiæ sive concupiscentiæ, aut ad bonum aut ad malum necessariò semper determinari, ita ut superiori gratiæ vel concupiscentiæ nunquàm resistere queat; eumdem tamen hominem in actibus mereri aut demereri, præcisè quia illos actus ex rationis advertentiâ et voluntariè, aut saltem non ex necessitate immutabili et fixâ, sed variabili solùm et relativâ perficit.

PROPOSITIO.

Ad merendum et demerendum, in statu naturæ lapsæ, non sufficit immunitas à coactione; sed requiritur immunitas à quâcunque necessitate, sive naturali, sive simplici; etiam mutabili et relativâ.

Ita definitum est contra tertiam Jansenii propositionem.

Prob. 1.° *ex Script.* Eccli. c. 31, ℣. 10: *Erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit.* Undè sic arguere licet: illud ad merendum requiritur, undè Scripturæ repetunt hominis meritum: atqui ex libertate prout excludit omnem omninò necessitatem propriè dictam, seu ex libertate indifferentiæ, repetunt Scripturæ meritum hominis; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* quorum omnium testes laudare sufficiat Irenæum et Augustinum.

S. Irenæus, lib. 4 adversùs hæres., cap. 37: *Qui operantur bonum, gloriam et honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cùm possent non operari illud; hi autem qui illud non operantur, judicium justum excipient Dei; quoniam non sunt operati bonum, cùm possent illud operari.* Igitur ex S. Doctore, ad meritum vel demeritum requiritur in homine libertas quâ bonum vel malum ita operetur, ut possit illud non operari: atqui talis libertas, libertas est indifferentiæ, omnem excludens necessitatem simplicem, etiam relativam; ergo, etc.

S. Augustinus, lib. 2 de Animabus, cap. 11: *Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, et undè liberum est abstinere.... Etiamne hi libri obscuri mihi scrutandi erant, undè discerem neminem vituperatione suppliciove dignum, qui..... id non faciat quod facere non potest? Nonne ista cantant et in montibus Pastores, et in theatris Poetæ?* etc. Et cap. 12: *Peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est et insaniæ.* Item, lib. 3 de lib. Arbit., cap. 18: *Quis peccat in eo quod caveri*

nullo modo potest? Peccatur autem, caveri igitur potest. En patet ex D. Augustino neminem peccare, aut supplicio dignum esse in eo quod vitare non potuit : atqui stante quâlibet necessitate simplici, etiam relativâ et mutabili, non habet hìc et nunc homo veram potestatem vitandi quod facit; ergo, eâ stante necessitate, sicut mereri, ita nec demereri potest.

Prob. 3.° *ex Constitutione Innoc. X,* cui accessit universalis Ecclesiæ consensus, quâ damnatur ut hæretica tertia Jansenii propositio : *Ad merendum et demerendum, in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit immunitas à coactione.* Igitur propositio contradictoria est de fide.

Prob. 4.° *Argumentis theologicis :*

Primum. Constat plurimos, vel à primis Ecclesiæ seculis, ut hæreticos ab Ecclesiâ fuisse proscriptos, quòd requisitam in homine libertatem ad merendum et demerendum inficiarentur, ut patet de Manichæis et Astrologis judiciariis : atqui illi omnes nusquàm asseruêre voluntatem cogi, sed solùm simplici necessitate ad bonum vel malum determinari : Manichæi, v. g., in eo solo de libertate malè sentiebant, quòd duplex supremum rerum omnium admitterent principium, bonum unum, alterum malum, quo utroque sibi contrà nitente, voluntas modò ad bonum, modò ad malum, mutabili necessitate determinaretur; at nemo non videt per illud duplex supremum principium non cogi voluntatem, quam reipsâ cogi impossibile est; si quid ergo discriminis est veterum Hæreticorum dogma inter et systema Jansenii circa libertatem, totum se tenet ex diversitate fontis et principii undè

necessitatem veræ libertatis inimicam illi colligunt.

Secundum desumitur ex horrendis consectariis quæ sponte fluunt ex systemate Jansenii, de quibus consule *Tract. de Gratiâ*.

Tertium. Actus humani, meriti et demeriti capaces, sunt actus morales, actus qui regulis morum subjacent, ab iisque dirigi possunt: atqui actus purè voluntarii, et ad unum determinati, non subjacent regulis morum, nec ab iis possunt dirigi, cùm sint secundùm se invariabiles; ergo, etc.

Obj. 1.° Ex Scripturis constat hominem non esse liberum à necessitate simplici; ergo cùm ex iisdem certum sit hominem in actibus suis mereri, aut demereri, constans manet ad meritum et demeritum non requiri libertatem à necessitate.

Probant. ex variis Script. text. Jerem. c. 10, ℣. 23: *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus.* Ad Rom. c. 7, ℣. 15: *Non quod volo bonum, hoc ago*, inquit Apostolus, *sed quod odi malum, illud facio*..... Et ℣. 23: *Video aliam legem in membris meis..... captivantem me in lege peccati.* Et c. 9, ℣. 16: *Non est volentis neque currentis.* Ex quibus sic argumentari licet: Ille non est liber à necessitate simplici, qui 1.° non habet in potestate vias suas; 2.° non facit quod vult, et facit quod non vult; 3.° qui captivatur in lege peccati; 4.° cujus non est velle et currere: atqui homo, etc.

Resp. Dist. maj. quoad omnes partes. Ille non est liber qui 1.° non habet in potestate vias suas quoad intentionem, propositum et electionem mediorum, *conc.*; quoad exitum duntaxat et exsecutionem, *nego.* 2.° Qui non facit quod vult et facit quod non vult in consentiendo, id est, qui

qui consentit necessariò, *conc.;* in sentiendo tantùm, quatenùs in se sentit motus quos sentire nollet, *nego.* 3.° Qui captivatur quoad consensum, *conc.;* quoad sensum, quia rebelles concupiscentiæ motus etiam invitus experitur, *nego.* 4.° Cujus non est velle et currere etiam cum gratiâ Dei, *conc.;* cujus propriis viribus non est velle et currere, *nego.* Sic distinctâ minore, *nego consequentiam.* Facilis est ex textuum objectorum explicatione solutio : verba Jeremiæ explicat locus alter Scripturæ : *Cor hominis disponit viam, sed Domini est dirigere gressus ejus.* Quod spectat ad Ep. ad Rom., cap. 7, evidens est Apostolum loqui de motibus concupiscentiæ indeliberatis, quos experimur etiam inviti, quique non imputantur in peccatum, ut patet ex sequentibus verbis : *Si quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud.* Enim verò si verba Apostoli ad rigorem acciperentur, probarent et Apostolum tunc peccatorem fuisse peccatique reum, et hominem etiam cogi circa proprios actus voluntatis, quod nemo dixerit. Textus Ep. ad Rom., cap. 9, indicat tantùm hominem in ordine supernaturali nihil posse, nisi gratiâ adjuvetur ; huic autem gratiæ consentire vel dissentire posse, si velit, expressè docet Conc. Tridentinum.

Obj. 2.° S. Aug. Enchirid., cap. 30 : *Libero arbitrio malè utens homo,* inquit, *et se perdidit et ipsum.* Et lib. 2 de Perf. Just., cap. 4 : *Quia peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas ;* ergo, etc.

Resp. ad 1.um *Dist.* Homo perdidit liberum arbitrium, id est, libertatem à peccato et miseriâ, *conc.;* libertatem indifferentiæ, *subd.* Amisit

quoad aliqua, quia libertas ejus ad bonum imminuta est per peccatum et vulnerata, *conc.*; amisit simpliciter et quoad substantiam, *nego*. Suî ipsius interpres est S. Aug.: *Libertas quidem periit per peccatum*, inquit, lib. 1, contra 2 epist., cap. 2, *sed illa quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam.*

Ad 2.um *Dist.* Incumbit homini dura peccatum habendi necessitas, moralis tantùm et verè vincibilis, aut vaga et indeterminata, *conc.*; invincibilis et determinata, *nego*. Contendebant Pelagiani hominem pari momento se ad vitia vel virtutes movere; errorem hunc ut refutet S. Doctor, ostendit per Adæ peccatum invectam esse aliquam peccandi necessitatem; verùm necessitatem hanc, etsi duram, nullibi docet esse invincibilem, imò eam vinci posse passìm adstruit: *Consuetudo*, inquit, *quantumvìs roborata, ab homine superari potest*; et alibi: *Ut non adsit necessitas peccandi, donat ille cui dicitur, de necessitatibus meis erue me.* Additque S. Thomas: *Quòd peccata dicantur necessaria, in quantùm non possunt vitari omnia, licèt possint vitari singula.*

Hic iterùm opponere solent celebre testimonium S. Augustini, ex cap. 5 Epist. ad Gal.: *Quod ampliùs nos delectat*, etc., verùm, ne bis eadem repetamus, consulatur *Tractatus de Gratiâ*, ubi locum hunc satis explicuimus.

Obj. 3.° SS. Patres uno ore docent hominem liberè agere, eo ipso quòd sponte agit, non coactè; ergo ad merendum et demerendum sufficit immunitas à coactione. Antecedens probatur tum ex S. Aug., lib. 3, de lib. Arb., cap. 4, ubi ait peccatores justè puniri, quia Deus neminem ad pec-

candum cogit; tum ex S. Prosp. lib. contra Collator., cap. 19; tum ex S. Damasceno.

Resp. Dist. Cùm agit sponte, non coactè, id est, non necessariò, *conc.*; id est quandò præcisè immunis est à solâ coactione strictè dictâ, *nego.* Scilicet, coactionis nomen dupliciter potissimùm sumitur: 1.° *strictè*, pro vi illâ internâ et prorsùs invincibili, quâ voluntas penitùs reluctans adigeretur ad volendum, quo sensu de coactione satis diximus suprà, ubi et probavimus talem coactionem in voluntatem cadere non posse; 2.° *latiùs*, pro simplici necessitate; hoc sensu coactionis nomen communiùs accipere solent SS. Patres; ita S. Aug. non diffitente Jansenio, cùm scribit: *Primos parentes peccati reos teneri, quia nullo cogente peccaverunt.* 3.° Alio etiam *sensu latissimo* sæpiùs accipitur coactio, nempè pro violentiâ quâdam morali, quæ nec voluntatem strictè cogat, nec eam propriè necessitet, ita ut, tali stante coactione, remaneat voluntas activè indifferens ad oppositum: sic dicitur cogi et agere nolens, qui timore compulsus aliquid agit, verè potens oppositum facere. Quia autem coacto opponitur spontaneum, spontanei tot distinguuntur species, quot coacti; undè spontaneum accipi potest prout excludit præcisè vel rigidam coactionem, vel necessitatem simplicem, vel moralem violentiam. Porrò SS. Patres locis objectis, spontaneum accipiunt prout simplicem excludit necessitatem, aliàs enim iis quos acriter impugnabant veteribus Hæreticis ultrò consensissent.

Inst. Docet S. Aug. lib. 3 de lib. Arb., cap. 4, præscientiam Dei non tollere libertatem, quia relinquit voluntatem et voluntarium; igitur ibi est libertas propriè dicta, libertas ad merendum et

demerendum sufficiens, ubi est voluntas et voluntarium : atqui necessitas simplex non tollit voluntatem, etc.; ergo, etc. Enim verò illud est propriè liberum quod fit cùm volumus, quod non fit cùm nolumus : atqui quidquid voluntariè fit, fit cùm volumus, et non fit cùm nolumus; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Ibi est libertas, etc., ubi est voluntas agens ut voluntas, et sine prævià determinatione invincibili, *conc.;* ubi est voluntas agens ut potentia naturalis, et cum prævià determinatione invincibili, *nego.* Similiter *alteram dist. partem.* Ibi est libertas, ubi voluntarium latè dictum, prout excludit omnem necessitatem, *conc.;* strictè dictum, prout solam excludit violentiam, *nego.* Quòd autem S. Aug. loco citato, sumat voluntatem et voluntarium prout opponuntur necessitati simplici, patet quia in eo loco agit etiam de Adami voluntate, quam ait liberam fuisse, licèt præscita fuerit à Deo; at, fatentibus adversariis, Adami voluntas non solùm à coactione, sed etiam ab omni necessitate simplici erat immunis; ergo, etc.

Ad confirm. Dist. maj. Illud est verè liberum quod fit cùm volumus et quod non fit cùm nolumus, si quo tempore volumus, nolle possimus, aut quandò nolumus, possimus velle, *conc.;* secùs, *nego.* Porrò quod voluntariè fit sed necessariò, illud ita fit cùm volumus, ut simul non possimus nolle. Cæterùm ad libertatem non sufficere voluntarium, præter adductas probationes, aliundè evincitur ex Constitutionibus Pii V, Greg. XIII et Urb. VIII, contra Baium, quibus damnatæ sunt tres istæ propositiones : *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen*

sit... Sola violentia repugnat libertati... Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.

Obj. 4.° Per gratiam et per pravos habitus ac concupiscentiam non tollitur libertas ad merendum vel demerendum requisita : atqui tamen tollitur indifferentia et æquilibrium ; ergo ad merendum non requiritur libertas indifferentiæ et æquilibrii.

Resp. Dist. min. Tollitur indifferentia et æquilibrium propensionis ac facilitatis, *conc.;* tollitur æquilibrium potestatis, et indifferentia simpliciter ac verè activa, prout præcisè cuilibet necessitati simplici opponitur, *nego.* Per quasdam speciales gratias et per pravos habitus ac concupiscentiam tollitur quidem indifferentia et æquilibrium propensionis ac facilitatis; quia per ea voluntas magìs in unam partem inclinatur quàm in alteram, majoremque facilitatem experitur ad unum quàm ad aliud. At certè non tollitur indifferentia et æquilibrium potestatis; quia sub eorum impressione relativam et expeditam retinet potentiam istud ipsum eligendi, ad quod minorem sentit propensionem aut facilitatem, ut fides docet : porrò, ut voluntas verè sit activè indifferens et ab omni necessitate simplici immunis, non requiritur æquilibrium inclinationis aut facilitatis, sed verè sufficit æquilibrium potestatis, seu indifferentia activa quâ voluntas possit ad agendum vel non agendum sese determinare ; quamvis ad unum fortè minorem experiatur propensionem aut facilitatem quàm ad alterum, ut patet; ergo, etc.

Plura alia objiciunt ex libertate Dei aut Christi, et ex præscientiâ divinâ, quæ commodiùs alibi solvuntur.

CAPUT II.

De Principiis externis Actuum humanorum.

Tria esse actuum humanorum principia, bonum, finem et beatitudinem, jam observavimus; quia verò consideratio boni, prout à fine et beatitudine distinguitur, ad Philosophos pertinet, nonnisi de Fine et Beatitudine duabus sectionibus agemus.

SECTIO I.

De Fine.

Finis hic sumitur pro bono ad quod tendit agens, et quo obtento cessat actio ejus, definiturque : *Id cujus gratiâ fit aliquid.*

Dividitur finis 1.° in finem *cui* et finem *qui :* finis *cui,* est subjectum seu persona in cujus commodum cedit res quæ desideratur. Finis *qui,* est res ipsa seu objectum quod intenditur.

2.° Finis *qui,* alius est *operis,* estque res illa ad quam opus ex se refertur; sic eleemosynæ finis est sublevatio pauperis. Alius est *operantis* , quem agens pro arbitrio sibi proponit, putà vana gloria, vel amor Dei, aut quidvis aliud.

3.° Alius est finis *intermedius*, ad quem actio ita refertur ut ipse ad alium referatur : sic sanitas est finis *medius* medicinæ respectu viri pii, quia ipsam sanitatem ulteriùs refert ad gloriam Dei; alius finis *ultimus,* qui ita intenditur ut ulteriùs ad alium non referatur. Hic autem potest esse vel *positivè* ultimus, si ad eum omnia cætera sic referantur, ut ulterior finis excludatur; vel *nega-*

tivè ultimus, si ita solus hic et nunc intendatur, ut nec ad eum cætera omnia positivè referantur, nec ulteriorem finem excludat voluntas, à quo solùm abstrahere supponatur. Sit, v. g., mercator avarus, cui Deus non sit nisi lucrum, ad quod omnes curas et cogitationes referat, paratus etiam illius intuitu mortaliter peccare : respectu illius, lucrum est finis *positivè ultimus*. Sit mercator alter verè Christianus, qui quidem omnia sua ad Deum priùs retulerit, sed instanti præsenti solum lucrum expressè intendat, aut illud præcisè ad debitam familiæ sustentationem actualiter referat, ita tamen affectus ut intuitu lucri legem Dei violare nolit : in eo mercatore, lucrum aut familiæ sustentatio finis est *negativè ultimus*, de quo solo ita cogitat actu, ut ulteriorem finem, Deum, non excludat, quem etiam implicitè forsan intendit.

Quatuor quæruntur : 1.° Quis sit rerum omnium finis ultimus; 2.° an homo liberè agens semper agat propter finem ultimum; 3.° an teneamur omnes actus nostros ad Deum referre; 4.° quâ intentione et quomodò actus nostros ad Deum referre teneamur.

PROPOSITIO PRIMA.

Deus solus rerum omnium verus est finis ultimus.

Constat apud omnes propositio, quia *propter semetipsum omnia operatus est Deus*, et ideò omnia ad se referri jubet, qui omnium est principium et finis.

PROPOSITIO II.

Homo liberè agens, semper agit, saltem interpretativè, propter finem ultimum in genere et indeterminatè spectatum, sive verum, sive falsum et apparentem.

Prob. Hominem agere propter finem ultimum in genere et indeterminatè spectatum, nihil aliud est quàm velle esse beatum, abstrahendo à variis objectis in quibus felicitatem sit reperturus : atqui homo in omnibus actibus suis liberis propriam, interpretativè saltem, appetit felicitatem, licèt non semper cogitet de objecto in quo eam sit reperturus; quilibet enim ita affectus est, ut, si interrogetur quarè agat, statim respondeat, quia vult sibi benè esse, quia vult esse beatus; ergo, etc.

Dixi *sive verum, sive apparentem ;* scilicet, ait Epicurus : Frui carne meâ bonum est; Stoïcus : Frui meâ mente bonum est ; Christianus verò : *Mihi adhærere Deo bonum est.* Porrò solus Deus est verus finis ultimus.

PROPOSITIO III.

Tenemur omnes actus nostros aliquo modo referre ad Deum tanquam ultimum finem.

Certa est hæc propositio, et evidenter sequitur ex primâ; addere sufficiat textum Apost. Coloss. c. 3, ℣. 17 : *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri J. C.* In quem locum ait S. Thomas : *Dicunt quidam quòd hoc est consilium, sed hoc non est verum.*

Tota ergo præsens difficultas est, quo motivo,

quâ intentione, quo modo, actus nostri ad Deum sint referendi, multùm enim inter se discrepant hæc duo: *Operari propter Deum propter se dilectum*, et *Operari præcisè propter Deum tanquam ultimum finem*, quæ aliquibus synonyma videntur. Enim verò actus spei Deum attingit ut ultimum finem, nec tamen in eum tendit propter se dilectum. Quæ difficultas ut clariùs solvatur, plura sunt observanda.

Nota 1.° intentionem seu relationem actuum ad Deum multiplicem distingui posse, scilicet: 1. alia est relatio *operis*, in eo præcisè consistens quòd opus proprio pondere in Deum labatur tanquam in omnis boni auctorem; alia est *operantis*, quâ agens opus suum dirigit ad Deum. 2. Alia est *negativa*, quâ cavetur ne actus Deum offendat; alia *positiva*, quâ actus positivè ad Deum dirigitur. 3. Relatio positiva fieri potest vel ex motivo *charitatis*, vel ex *spei* motivo, aut ex quovis alio sive naturali sive supernaturali. 4. Iterùm positiva relatio triplex distinguitur, *actualis*, scilicet, *virtualis* et *habitualis*. *Actualis* fit per actualem de Deo cogitationem; relatio *virtualis* dupliciter accipitur vel strictè et explicitè, quandò actus refertur ad Deum virtute actualis intentionis præcedentis et moraliter perseverantis; vel latè et implicitè, quandò opus in se bonum fit ex intentione bonâ de se referribili ad Deum, nec ullâ corrumpitur perversâ operantis intentione. Relatio *habitualis* vel *interpretativa*, ea est quâ quis ita affectus est, ut, si cogitaret de Deo, propter ipsum ageret.

Nota 2.° plura hìc esse certa apud omnes, videlicet: certum est 1. nos teneri omnes et singulos actus ad Deum negativè saltem referre;

quia in singulis actibus cavendum est ne Deus offendatur. Certum est 2. omnes actus nostros referri debere relatione operis, quia nihil aliud exigit hæc relatio quàm quòd actus æternæ legi fiat conformis. Certum est 3. hominem aliquandò, sed non semper, teneri suos actus ad Deum actualiter referre, et quidem ex motivo charitatis; quòd enim aliquandò teneatur, patet ex præcepto charitatis quod sæpiùs urget; quòd non semper teneatur, constat quia impossibile est homini semper et in omnibus actibus suis actu de Deo cogitare. Certum est 4. non sufficere relationem interpretativam, quia nullatenùs influit in actum; enim verò sicut neminem punit Deus propter peccata quæ patrâsset, si de illis cogitâsset, ita nec remunerat opera bona quæ facta fuissent in aliâ circumstantiâ.

Hùc igitur totum recidit controversiæ punctum, an, ut actus non sit peccaminosus, necesse sit quòd ad Deum referatur 1.° relatione virtuali, strictè aut latè dictâ; 2.° ex motivo charitatis, aut alio supernaturali; 3.° an sufficiat quòd ex quolibet motivo rationi consentaneo referatur. Volunt post Baium Janseniani, quidquid ad Deum virtualiter non refertur ex motivo et influxu charitatis theologicæ, hoc ipso ex damnabili fieri cupiditate, et ideò peccatum esse. Docent ex adverso Catholici teneri quidem omnes ad Deum virtualiter referre opera sua, atque etiam ex aliquo motivo supernaturali, sive charitatis, sive spei, aut alterius virtutis, ut actus sit vitæ æternæ meritorius; verùm, ut actus præcisè non sit peccaminosus, sufficere si referatur ex quovis motivo rationi consentaneo.

PROPOSITIO IV.

Ut actus aliquis non sit peccaminosus, non semper necesse est quòd ad Deum referatur ex motivo charitatis, nec etiam ex alio quovis motivo supernaturali.

1.ª *pars prob.* quia sine motivo et influxu charitatis, actus est verè supernaturaliter bonus, qui fit ex alio quocunque supernaturali motivo, ut constat :

1.° *Ex omnibus Scripturæ locis* in quibus commendantur nobis et suadentur spei et timoris motiva; hinc enim patet ex illis agere bonum esse ; ergo, etc.

2.° *Ex Conc. Trid. Sess.* 14, *cap.* 4, *et Sess.* 6, *can.* 8, ubi declaratur et definitur contritionem imperfectam, quæ ex turpitudinis peccati, aut gehennæ consideratione concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, donum Dei esse, et Spiritûs Sancti, non quidem inhabitantis sed moventis, impulsum : atqui talis imperfecta contritio nullatenùs fit ex motivo vel influxu charitatis propriè dictæ ; ergo independenter à motivo charitatis datur actus supernaturalis.

3.° *Ex definitionibus Summ. Pont. ab universali Ecclesiâ receptis :* scilicet, Pius V, Greg. XIII et Urb. VIII hanc inter alias Baii proscripsêre propositionem : *Non est vera obedientia quæ fit sine charitate ;* ergo sine charitate, seu sine relatione ex motivo charitatis, vera fit obedientia, et ideò bonum opus. Item Clemens XI, Constitutione *Unigenitus*, plurimas Quesnelli propositiones, scilicet, à 44 ad 59, damnavit, quibus ille docet

intrinsecè vitiari omnia opera quæ non fiunt ex motivo charitatis.

4.° *Ratione* et *ex absurdis quæ sequuntur:* si enim sub peccato teneremur omnes actus nostros ad Deum ex motivo charitatis referre, 1. unicum esset omnium actionum nostrarum motivum legitimum, atque intrinsecè vitiosi essent actus fidei, spei, timoris, religionis, justitiæ, humilitatis, etc., quamvis ex proprio virtutum illarum motivo eliciti, hoc ipso quo carerent actualis charitatis influxu; 2. unica foret vera virtus; 3. amor honesti ut honesti, esset inordinatus: atqui hæc omnia sunt absurda; ergo, etc.

2.ª *pars, quòd non requiratur etiam ut actus fiat ex influxu cujusvis motivi supernaturalis, prob.* quia moraliter bonus est actus qui præcisè elicitur ex motivo naturali rectæ rationi consentaneo, ut constat ex omni argumentorum genere, quibus in *Tract. de Gratiâ* demonstravimus omnia infidelium opera non esse peccata; ex illis argumentis duo resumere sufficiat.

Primum petitur ex Ecclesiæ definitionibus, quibus Baii et Quesnelli, asserentium omnia infidelium opera esse peccata, liberumque hominis arbitrium sine gratiæ Dei auxilio nonnisi ad peccandum valere, proscriptæ sunt propositiones. Hinc enim certum est infidelium quædam esse bona opera, liberumque arbitrium sine gratiâ bonum aliquod opus morale perficere posse: atqui tamen infideles et liberum hominis arbitrium sine gratiâ non agunt ex motivo supernaturali; ergo, independenter ab ullo supernaturali motivo, perfici potest opus aliquod moraliter bonum.

Secundum colligitur ex ratione: bonitas moralis actûs humani desumitur, ut infrà dicemus,

ex objecto, circumstantiis et fine : atqui, independenter ab ullo supernaturali motivo, potest homo, etiam infidelis, opus aliquod facere bonum tum ratione objecti et circumstantiarum, tum ratione finis; v. g., diligere parentes, indigenti subvenire, præstò esse cadenti, quia hæc omnia dictat ratio. Neque enim ex gratiæ aut fidei absentiâ hæc sequitur infirmitas ut homo non nisi perverso motivo affici queat, atque etiamnùm, ut ait S. Augustinus, lib. de Spirit. et Litt., cap. 28, *non usque adeò in animâ humanâ imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in eâ velut lineamenta extrema remanserint*; ergo, etc.

Obj. 1.° *contra primam partem.* Peccat quicunque non implet primum et maximum illud mandatum, Deuteron. c. 6, ℣. 5 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, etc. : atqui præceptum istud non observat, qui omnes actus suos ad Deum non refert ex motivo charitatis, ut docet S. Thomas, 1.ª 2.æ, quæst. 100, art. 10, ad 2 : *Ad quod præceptum charitatis pertinet*, inquit, *ut omnia referantur ad Deum.*

Resp. 1.° Præceptum istud, in quantùm est de amore Dei supernaturali, non spectat infideles, qui illud invincibiliter et inculpabiliter ignorant.

Resp. 2.° hoc argumentum nimis probare; probaret etenim vitiosum esse et peccatum mortale, actum qui non refertur ad Deum amore charitatis, non tantùm appretiativè summo, sed etiam perfecto et intenso dilectum; siquidem ex adversariis hoc solo amore satisfit præcepto, *Diliges*, etc.; falsum tamen consequens, ipsis fatentibus, qui communiùs nunc docent cum Episcopo Altissiod., Epist. Past., an. 1732, ad benè

operandum, tenue aliquod sufficere charitatis initium, debilioresque divini amoris scintillas.

Resp. 3.° *Dist. min.* Præceptum istud non observat, qui actus suos non refert ex motivo charitatis, eo tempore quo obligat præceptum charitatis, *conc.;* charitatis præceptum non servat seu transgreditur qui actus suos non ita refert, quandò non urget istud præceptum, *nego.* Præceptum diligendi Deum est affirmativum, quod ideò, ut aiunt Theologi, non obligat semper pro semper, sed aliquandò solùm; undè nonnisi quo tempore obligat, tenemur omnia nostra ad Deum referre ex motivo charitatis, aliàs sufficit si quolibet laudabili motivo fiant. Hæc ipsa mens est S. Thomæ, ut seipsum apertè explicat ipso loco objecto, post verba laudata.

Inst. 1.° Sequeretur nos non teneri Deum semper diligere; falsum consequens; ergo, etc.

Resp. Dist. min. Deum semper diligere tenemur amore habituali, *conc.;* actuali, *subd.* Implicito et negativo, *conc.;* actuali positivo et expresso, *nego.* Istæ locutiones, *amare Deum, amare creaturam,* communiùs accipiuntur ad significandam habitualem cordis dispositionem et affectum, quàm actum transeuntem: hoc sensu dicitur de peccatore quòd vinum, quòd ludum, quòd mulieres diligat, quamvis actu non cogitet de vino, de ludo, etc. Porrò tenemur semper habituali cordis affectu Deum diligere, et hic amor simpliciter necessarius est necessitate medii. Actus autem amoris Dei vulgò necessarius non est nisi necessitate præcepti, duoque includit tale præceptum: unum negativum, quod obligat semper pro semper, scilicet, ut inter agendum continuò caveamus ne quid divinæ legi contra-

rium admittamus : alterum quod positivum, nec obligans semper pro semper est; ut interdùm actus eliciamus divini amoris.

Inst. 2.° I Cor. c. 10, ℣. 31 : *Sive manducatis, sive bibitis...., omnia in gloriam Dei facite;* ergo omnia ad gloriam Dei sunt facienda.

Resp. 1.° hæc Apostoli verba variè à variis Patribus et Theologis exponi, scilicet, aut de consilio, ad sensum istorum : *Si quis percusserit te in dexteram maxillam, præbe illi et alteram;* aut de præcepto quod referatur ad conatum hominis, non ad singula opera, sicut et istud : *Estote perfecti sicut pater vester cœlestis perfectus est;* aut de aptitudine operis, quatenùs omnia sic perficere debemus, ut in gloriam Dei redundent.

Resp. 2.° *Dist.* Omnia ad gloriam Dei sunt facienda negativè, aut ex quolibet laudabili motivo, *conc.;* positivè et ex motivo charitatis, *subd.* Ut perfectiùs agamus, *conc.;* ut præcisè non peccemus, *iterùm dist.* Quo tempore charitatis urget præceptum, *conc.;* semper, *nego.*

Obj. 2.° *contra secundam partem.* Arbori sterili Christus maledixit, atqui quicunque non agit ex fine supernaturali, est arbor sterilis; ergo maledictus qui non agit ex fine supernaturali.

Resp. 1.° nihil contra nos probare totum istud argumentum, undè sequeretur ad summum sterilem esse et maledictum hominem ipsum qui non agit ex motivo surpernaturali, non autem peccaminosum et vitiosum esse quodcunque opus fit ex naturali motivo; etenim maledictus est omnis peccator, nec tamen omnia vitiosa sunt ejus opera.

Resp. 2.° *Dist. min.* Sterilis est qui nunquàm

agit ex motivo supernaturali, *conc.;* qui non semper agit, *nego.* Aut etiam, *subd.* Id est, sterilis est in eo opere quod non refert ad finem supernaturalem, seu nihil meretur ratione hujus operis, *conc.;* id est, hoc ipso ab omni decidit merito quod aliàs comparavit, *nego.*

Plurima alia objiciunt, quæ commodiùs in *Tract. de Gratiâ* solvuntur.

PROPOSITIO V.

Ut opus sit moraliter bonum, probabilius est absolutè non requiri strictè dictam et expressam ad Deum relationem virtualem, sed implicitam et latè dictam sufficere.

Prob. Ille actus est moraliter bonus, ut infrà probabitur, cujus objectum honestum est, honestæ circumstantiæ, honestus finis : atqui etiam sine ullo præcedentis actualis ad Deum relationis influxu (in eo influxu consistit, ut diximus, expressa relatio virtualis) dari potest actus cujus honestum sit objectum, honestæ circumstantiæ, honestus finis : sit enim infidelis, qui de referendis ad Deum actibus nunquàm cogitaverit, aut peccator qui statìm ab admisso peccato mortali, actum moralis virtutis eliciat, præcisè quia honestus est, rationi consentiens, et à conscientiâ præscriptus : atqui talis actûs honestum esse potest objectum, honestæ circumstantiæ, honestus finis; ratioque fundamentalis, quam suggerit S. Thomas, est quòd omnis actus ratione officii et finis proximi legitimus, nec corruptus per ulteriorem pravum finem, proprio suo pondere tendat ad finem ultimum. Sic qui virtutis moralis actum exercet præcisè propter bonum particulare vir-

tutis illius, qui, v. g., attentè servatis temperantiæ regulis, manducat ad suî sustentationem, vel pauperi succurrit præcisè quia istud dictat recta ratio, ille agit mediatè propter Deum, quatenùs agit propter finem qui de se refertur ad Deum.

Obj. Vitiosus est actus qui creaturam habet pro fine ultimo : atqui actus qui nec actualiter, nec virtualiter expressè refertur ad Deum, creaturam habet pro ultimo fine, in eâque sistit et hæret, ut patet exemplo adducto illius qui manducat præcisè ad suî sustentationem.

Resp. Dist. maj. Qui creaturam habet pro fine positivè ultimo, *conc.;* negativè solùm ultimo, *nego.* Et similiter *distinctâ min. nego cons.* Ex præobservatis facilè intelligitur solutio; scilicet, in exemplo laudato agens hæret quidem negativè in creaturâ, de quâ solâ actu cogitat, et ideò creaturam habet pro fine negativè ultimo, verùm, quia proximum finem honestum sibi proponit, nec aliundè ulteriorem excludit finem Deum, opus ejus in se laudabile, et ex laudabili fine elicitum, hoc ipso in Deum omnis boni fontem relabitur. Ita S. Thomas, quæst. unicâ de Charitate, art. 11, ad 2 : *Sicut in causis efficientibus,* inquit, *virtus primæ causæ manet in omnibus causis sequentibus, ita etiam intentio principalis finis virtute manet in omnibus finibus secundariis; undè quicunque in actu intendit aliquem secundarium, virtute intendit finem principalem.* Quod ampliùs explicat S. Doctor exemplo Medici, qui, licèt herbas colligendo solam actu potionem intendat, virtualiter tamen et implicitè sanitatem intendere censetur.

SECTIO II.

De Beatitudine.

Post Boetium vulgò definitur beatitudo : *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Dividitur potissimùm in *objectivam* et *formalem* : beatitudo *objectiva* est objectum, seu res illa cujus possessione satiatur hominis appetitus. Beatitudo *formalis* est actio summi boni, id est, objectivæ beatitudinis possessiva. De utrâque fusiùs tractant Philosophi : de illius ergo affectionibus, scilicet, de beatitudine corporis et animæ, de quibus pauca dicunt, hìc agere satis erit.

ARTICULUS PRIMUS.

De Beatitudine Corporis.

Ad beatitudinem corporis duo sunt essentialia, ejus nempè resurrectio, et certæ quædam dotes. Insuper plura alia circa materiam hanc scitu sunt necessaria, quæ omnia paucis absolvemus.

Quæres 1.° an fide certa sit corporum resurrectio.

Resp. affirmativè, et probatur contra tum Sadducæos, tum veteres hæreticos, Marcionem, Basilidem, tum plurimos nostræ ætatis impios, 1.° *ex Script.* Job c. 19, ℣. 25 et 26 : *Scio quòd Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terrâ surrecturus sum; et rursùm circumdabor pelle meâ.* Nihil certè expressius desiderari potest. Matth. c. 22, ℣. 29, 30 et 31, sic expressè Sadducæos confutat Christus : *Erratis, nescientes Scripturas... in resurrectione enim neque nubent neque nubentur..... de resurrectione autem*

mortuorum, non legistis, etc. Igitur ex Christo Domino certò futura est mortuorum, id est, corporum resurrectio. Legatur I ad Cor. c. 15.

Prob. 2.° *ex fidei nostræ Symbolis*; in Symbolo Apostolorum: *Credo carnis resurrectionem*; in Constantinopolitano: *Exspecto resurrectionem mortuorum.*

Prob. 3.° *Auctoritate et ratione SS. Patrum*: *Fiducia Christianorum*, inquit Tertull. lib. de Resurr. carnis, cap. 1, cui succinunt cæteri omnes, *resurrectio mortuorum.* Enim verò, aiunt illi passìm, si mortuorum resurrectio futura non sit, vel quia Deus non potest, vel quia non vult suscitare mortuos: atqui neutrum dici potest; non primum: *Qui enim ex nihilo molitus est cuncta*, inquit Athenagoras, *utiquè idoneus est reficere; quantò enim plus est fecisse, quàm refecisse.* Aliundè resurrectio carnis nedùm Deo sit indigna, maximè congruit ejus bonitati, sapientiæ et justitiæ: æquum est enim ut pars hominis quæ ejus merito vel demerito cooperata est, ejusdem præmiis aut suppliciis consocietur. Non secundum: de iis etenim quæ potuit Deus velle aut nolle, quid de facto decreverit, certiùs haberi non potest quàm ex ejus verbo scripto aut tradito: atqui, etc.; ergo, etc.

Dices: Psal. 1, ℣. 5, dicitur: *Non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio Justorum.* Et Psal. 113, ℣. 17: *Non mortui laudabunt te.* Item Eccle. c. 3, ℣. 19 et 21: *Unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio..... quis novit si Spiritus filiorum Adam ascendat sursùm, et si spiritus jumentorum descendat deorsùm?* ergo falsa sunt quæ docemus et de corporum resurrectione, et

de immortalitate animæ, quæ duo simul connexa esse fatentur omnes.

Ad 1.um *Resp.* 1.° Ibi non negatur, sed clarè supponitur resurrectio justorum; 2.° neque etiam dicitur nullatenùs resurrecturos esse peccatores, sed non surrecturos in judicio et concilio Justorum, ut nempè participes sint ejusdem judicii, quo judicabuntur justi.

Ad 2.um Sensus est mortuos non posse Deo in terris et in cœtu Fidelium sacrificium laudis offerre et gloriam ejus publico ritu celebrare, in manifestationem nominis ejus coram gentibus undequaquè tunc circumstantibus.

Ad 3.um *Dist.* Unus est interitus hominum et jumentorum quoad corpus, et æqua sub illo respectu eorum conditio, *conc.;* quoad animam, *nego.* Quandò autem addit sacer Auctor : *Quis novit si spiritus*, etc., ibi increpando deplorat hominum vanitatem et ignorantiam, quæ talis est, ut pauci vel noverint an immortalis sit anima necne, vel saltem attendant, ut animæ consulant saluti; ad quem sensum vulgò sacri Oratores, quis, inquiunt, mandata Dei implet? quis non servit cupiditatibus?

Quæres 2.° quæ et quot futuræ sint corporum Beatorum dotes.

Resp. quatuor à SS. PP. et Theologis numerari : impassibilitatem, scilicet, claritatem, agilitatem, et subtilitatem, quas explicat Apostolus, I Cor. c. 15, ℣. 42, 43 et 44, his verbis : *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.*

Quæres 3.° utrùm anima idem numero corpus resumptura sit quod habuit in terris.

Resp. contra Socinianos affirmativè, probaturque 1.° ex adducto textu Job : *Rursùm circumdabor pelle meâ, et in carne meâ videbo Deum*, etc. 2.° Ex Apost., I Cor. c. 15, ℣. 53 : *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem.* 3.° Ratione : etenim resurrectio est secunda ejusdem corporis surrectio : atqui ad hanc surrectionem requiritur ut corpus, quod per mortem cecidit, idem numero resurgat, aliàs non secunda surrectio esset, sed novi corporis assumptio,

Dices : Quidam Anthropophagi homines humanis carnibus vescuntur, eorumque proindè corpora ex aliis constant corporibus; ergo illi saltem in proprio non resurgent corpore.

Resp. Nego cons.; et dico Antropophagum, etiam si supponerentur ejus membra tota (quod tamen falsum est et impossibile, nullus quippè est qui toto vitæ decursu ex humanis carne et sanguine, sine alio cibo et potu, nutritus fuerit) ex alienis carnibus composita, cum iisdem membris esse resurrecturum : iis verò hominibus ex quorum carnibus formatum esset Anthropophagi corpus, suppleretur sive ex materià ejusdem corporis quæ priùs continuâ transpiratione fluxerat, sive aliundè, quemadmodùm supplebitur in iis qui in infantià mortui, in ætate tamen perfectà resurgent.

Quæres 4.° quibus ætate, staturà, et sexu resurgent homines.

Resp. ad 1.um homines resurrecturos in eà staturæ magnitudine, in eo robore, in eà corporis totius compositione, quæ convenit perfectissimæ

hominis ætati, qualis ea fuit compositio et constitutio corporis in quâ Adamus conditus fuisse creditur. Ita communiter Patres et Theologi; et ratio est quòd sicut Deus humanam naturam sine defectu primùm condidit, ita et eam absque defectu reparare convenit; ergo sine infantiæ et senii defectibus.

Ad 2.um Censent vulgò non omnes ejusdem staturæ resurrecturos esse, eo quòd individuorum perfectio, in uno postulet unam quantitatem, aliam in alio. Quod tamen intelligi debet, secluso naturæ defectu et errore; undè gigantes non resument corpora immoderatæ magnitudinis, neque pygmæi corpora immoderatæ parvitatis.

Ad 3.um Unusquisque in eo resurrecturus est sexu, in quo fuit conditus. Istudque clarè supponit Christus, cùm interrogatus à Sadducæis, respondet non quidem nullas post mortem fore feminas aut viros, sed quòd ibi *non nubent, neque nubentur;* namque, ut observat S. Hieron. epist. 27 : *Ubi dicitur non nubent, neque nubentur, sexuum diversitas demonstratur. Nemo enim de lapide et ligno dicit, non nubent, neque nubentur, quæ naturam nubendi non habent; sed de iis qui possent nubere, et gratiâ Christi ac virtute non nubant.* Et ratio est quòd natura servabitur integra; sed sexus pertinet ad naturam, nec vitium dici potest sexus femineus; ergo, etc.

Dices : Sexuum diversitas oculis subjecta, statum non decet in quo summa vigebit puritas; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Sicut enim in statu innocentiæ nudi erant primi parentes, et non erubescebant, quia aberat incentiva mali libido, ita à for-

tiori aberit à statu gloriæ sensatio omnis quæ pudori nocere possit.

ARTICULUS II.

De Beatitudine Animæ.

Circa statum animarum in Cœlis duo veniunt inquirenda : 1.° an Sancti Deum ament necessariò; 2.° an et undè sint impeccabiles.

Resp. ad 1.um, cum Thomistis contra Scotistas, Beatos ita necessariò diligere Deum, ut ab ejus amore cessare nequeant. Prob. 1.° ex Apoc., cap. 4, ubi legitur quòd Beati requiem non habeant, sed die ac nocte dicant : *Sanctus, Sanctus,* etc. Undè bellè Augustinus, lib. ult. de Civitate Dei, cap. ult., ait, quòd Deus *sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.* Jugis autem laus ista perpetuum flagrantissimæ charitatis continet exercitium. 2.° Ratione : indifferentia judicii, prima radix est libertatis : atqui Beati in Cœlo non habent indifferentiam judicii, non dico solùm circa amorem Dei et odium, sed nec circa amorem et amoris cessationem, quia intellectus Beatorum nullam in cessatione amoris Dei rationem boni deprehendere potest; ergo, etc.

Resp. ad 2.um Beatos esse impeccabiles, et quidem ab intrinseco.

1.a *pars* patet tum ex SS. PP., qui constanter asserunt nullam Beatis inesse posse peccandi voluntatem; ita S. August., Enchir., cap. 111; S. Fulg., lib de Fide ad Petrum Diaconum, cap. 23: tum evidenti ratione, quà constat Beatos visione intuitivà ita intimè uniri Deo, ut ab eo averti nequeant, nec ad creaturam se convertere.

2.ª *pars*, contra eosdem Scotistas, evidenter sequitur ex dictis; scilicet, amor beatificus quo jugiter Deo uniuntur Beati, simul et negatio indifferentiæ judicii, in causâ sunt cur à Deo averti nequeant et peccare : sed illæ causæ sunt intrinsecæ; ergo, etc.

Dices : Charitas patriæ ejusdem est speciei, ac charitas viæ : atqui charitas viæ necessaria non est quoad exercitium, nec excludit peccandi potentiam; ergo, etc.

Resp. 1.° Nimis probat istud argumentum; hinc enim probaretur amorem patriæ nec esse necessarium quoad specificationem, nec actum peccandi excludere. Falsum utrumque consequens, ex ipsis Scotistis; ergo, etc.

Resp. 2.° *Dist. maj.* Ejusdem est speciei, sed non eodem innititur principio, *conc.;* et eodem innititur, *nego.* Amor patriæ producitur per lumen gloriæ et visionem beatificam, quæ Deum ut summum bonum, ideòque ut necessariò diligendum continuò proponunt, quia voluntas non potest non amare id cujus non diligendi nullam intellectus percipit nec percipere potest rationem. Verùm amor viæ non talibus innititur principiis.

CAPUT III.

De Proprietatibus Actuum humanorum.

Præcipuæ actuum humanorum proprietates sunt malitia, bonitas et meritum; quia verò de merito diximus in *Tract. de Gratiâ,* de bonitate et malitiâ agendum superest, circa quas duo quæruntur : 1.° Utrùm omnis actus humanus sit necessariò bonus

bonus vel malus, an verò detur aliquis indifferens moraliter; 2.° undè desumatur actùs humani bonitas et malitia.

SECTIO PRIMA.

Utrùm detur Actus indifferens moraliter.

Nota 1.° Actus indifferens ille dicitur, qui nec bonus est nec malus in ordine naturali, rationi nec conformis nec difformis.

Nota. 2.° quæstionem esse de actibus non hominis, sed humanis, qui soli fiunt cum advertentiâ et libertate. Illi autem actus spectari possunt vel *in specie*, quandò considerantur solùm ratione objecti et in genere, abstrahendo à fine et circumstantiis; vel *in individuo*, quandò sumuntur prout sunt à parte rei, comparatè ad objectum, finem et circumstantias. Dari actus indifferentes in specie, extra dubium est; tota difficultas est de actibus in individuo; alii affirmant cum Scotistis, alii plures negant post S. Thomam, cum quibus sit

PROPOSITIO.

Non datur actus indifferens in individuo.

Prob. 1.° *ex dictis.* Tenetur homo omnes actus suos aliquo modo ad Deum referre; igitur omnis actus vel debito modo refertur ad Deum, vel non : si prius, bonus est; si posterius, malus; ergo omnis actus vel bonus est vel malus; ergo nullus indifferens.

2.° Actus humanus, in individuo, spectatur in ordine ad finem : atqui nullus est finis indifferens; omnis enim finis vel est honestus, quem approbet ratio, vel inhonestus, quem ratio repro-

bel; jam verò, si actus fiat propter finem inhonestum, malus est; si propter finem proximum quem approbet ratio, nec ulteriorem legitimum excludat agens, bonus est actus; ergo vel bonus est vel malus.

3.° Ideò juxta adversarios datur actus indifferens, quia datur actus quem ratio nec imperat, nec consulit, nec reprobat, quique idcircò neç meritorius est, nec demeritorius: atqui hæc ratio nulla est; datur quippè medium, actus scilicet, quem præcisè permittit ratio: actus porrò, quem ratio nec consulit, nec præcipit, nec reprobat, sed permittit, verè bonus est, rationi permittenti conformis, licèt non sit meritorius.

Obj. 1.° SS. Patres supponunt passim dari actus indifferentes; ergo, etc.

Resp. Dist. Actus indifferentes in specie et comparatè ad objectum quod licitè vel illicitè tractari potest, *conc.;* in individuo, et ratione finis, *nego.* Deambulatio ut sic est indifferens, quia potest benè vel malè fieri; at, si spectetur hic et nunc cum omnibus circumstantiis, vel bona est vel mala.

Obj. 2.° Damnata est in Conc. Constantiensi doctrina Joannis Hus docentis nulla esse opera indifferentia; ergo, etc.

Resp. Dist. Damnata est ad sensum Joannis Hus, quatenùs docebat ille nulla esse opera etiam theologicè indifferentia, sed omnia esse vitæ æternæ meritoria aut demeritoria, *conc.;* ad sensum Catholicorum, juxta quem dicimus solùm nulla esse opera moraliter indifferentia, sed omnia esse rationi vel conformia vel difformia, *nego.* Synodus enim Constantiensis de istâ Theologorum controversiâ pronuntiare non intendit.

Obj. 3.° Datur finis indifferens, qualis est quem

sibi proponunt qui delectationis causâ deambulant, qui ad naturæ leve sublevamen sputa ejiciunt, qui propter frigus expellendum ad ignem accedunt; ergo et actus.

Resp. Dist. Datur finis ultimus indifferens, *nego;* intermedius, *subdist;* si spectetur abstractè et in genere, *conc.;* si spectetur comparatè ad finem ultimum ad quem actualiter, vel virtualiter et implicitè, refertur, *nego.* Ex dictis, ubi de fine, facilis est solutio.

Ad confirm. Nego fines illos indifferentes esse: vel enim fiunt memorati actus propter solam voluptatem, ita ut quæratur voluptas propter voluptatem, in eâque ultimò conquiescat agens, et tunc vitiosi sunt, et peccata saltem venialia; vel intenduntur illi fines ut corpus ad functiones suas magis habile reddatur, et tunc, licèt agens actu et expressè nihil aliud intendat; modò finem hunc non corrumpat pravâ aliquâ circumstantiâ, debitumque modum servare caveat, boni sunt actus illi, quia proprio pondere, ut ait S. Thomas suprà, ad Deum tendunt, quatenùs fiunt propter finem proximum virtutis moralis cujus sunt actus.

Obj. 4.° Præceptum referendi omnes actus suos ad finem honestum est affirmativum; ergo non obligat semper pro semper.

Resp. præceptum istud esse simul et negativum, quatenùs prohibet ne quid fiat ex pravo fine, et affirmativum, quatenùs positivam exigit relationem. Quâ parte negativum est, obligat semper pro semper; quâ parte affirmativum, non ita obligat absolutè, quia non cogit semper agere, sed obligat semper hypotheticè, ex hypothesi nempè quòd agatur, quia jubet universalitatem actuum semper fieri modo rationi congruo.

Obj. 5.° Datur actus indifferens in specie; ergo et in individuo; natura quippè speciei convenit individuo.

Resp. Nego cons. Ad cujus prob. *Dist.* Natura speciei convenit quoad aliqua individuo, *conc.*; quoad omnia, *nego*. Sic natura hominis specifica convenit Petro quoad animalitatem et rationalitatem, non verò quoad ejus universalitatem: natura quippè Petri non est universalis.

SECTIO II.

Undè desumatur Actûs humani moralitas.

Moralitas actûs humani, juxta probabiliorem sententiam, est ejus conformitas vel difformitas cum regulis morum; hinc idem ferè sonat ac bonitas et malitia. Quæritur undè repeti debeat hæc conformitas et difformitas, seu bonitas et malitia; an ab objecto fine simul et circumstantiis, an ab aliquo tantùm ex illis; cum regulis quippè morum, de quibus infrà dicemus, conferri potest actus humanus tum ratione objecti, tum ratione finis et circumstantiarum.

Objectum actûs humani dicitur illud quod primò et per se ab actu attingitur; sic Deus est objectum charitatis, res aliena objectum furti, proximus homicidii. Objectum spectari potest aut materialiter, prout est materia communis specie pluribus actibus, sic homo objectum est vel odii vel amoris, sic eadem pecuniæ summa furti et restitutionis objectum esse potest; aut formaliter seu moraliter, quandò attingitur sub aliquâ ratione quæ regulis morum consentiat vel dissentiat.

Circumstantiæ sunt quædam accidentales conditiones quæ actus comitantur, et sine quibus illi

subsistere possunt secundùm suam essentiam. Plures distinguuntur, ut personæ qualitas, locus, tempus, etc., de quibus fusiùs agemus in *Tract. de Peccatis.*

PROPOSITIO.

Moralis actuum humanorum bonitas et malitia repeti debet ab objecto, fine, et circumstantiis.

Prob. Ab eo repeti debet actuum humanorum bonitas et malitia, undè habent actus humani ut boni sint vel mali : atqui ab objecto, fine et circumstantiis habent actus humani quòd boni sint vel mali, ut probatur per partes.

1.° Ab objecto, et quidem formaliter seu moraliter spectato; actus quippè bonus est vel malus, prout bonum est vel malum objectum sub eâ ratione sub quâ attingitur; sic, v. g., bonus est amor Dei, quia Deus, prout amatus, est objectum bonum; malum verò odium Dei, quia Deus, odio habitus, est quid malum; ergo, etc. Aliundè actus, sicut et habitus, ab objectis suis speciem suam desumunt: sic dicitur virtus theologica quæ Deum habet pro objecto, moralis verò quæ versatur circa quodvis aliud.

2.° A fine; quia finis actum efficit ex indifferente bonum vel malum, ex malo pejorem, ex bono malum vel meliorem : v. g., deambulatio de se indifferens est, at si, fiat luxùs ostendendi causâ, mala est; bona verò, si ut quis officium posteà liberiùs impleat; furtum de se malum, pejus evadit si intentione fiat vino se ingurgitandi; jejunium ex se bonum, malum fit ex motivo vanæ gloriæ, Matth. c. 6; bona in se eleemosyna me-

lior sit ex puro Dei amore erogata. Actus tamen malus bonus non fit, licèt ad bonum finem referatur. : *Non* enim, ait Apost., *faciamus mala ut veniant bona.* Rom. c. 3, ℣. 8; sed solùm ex eo minuitur illius malitia, ut docet S. Thom. 2.ª 2.ᵆ quæst. 110, art. 2. in corp.: *Quantò bonum intentum est melius, tantò magìs minuitur culpa mendacii.*

3.° Ex circumstantiis; quia plerumquè mutant speciem actionis: sic furari in templo non simplex furtum est, sed et sacrilegium; aut saltem augent vel minuunt bonitatem vel malitiam, v. g., actio pauperis qui pauperi alteri eleemosynam erogat, cæteris paribus, sanctior est actione divitis, teste Christo, Marci, c. 12. Fatendum tamen plures esse circumstantias quæ ad moralitatem actûs nihil conducunt, v. g., si quis vel manu dextrâ vel sinistrâ percutiat hominem.

Nota 1.° istud discriminis esse bonum inter et malum, quòd ad bonum necesse sit ut tria simul concurrant, scilicet, objectum bonum, aut saltem quod malum non sit, finis honestus, debitæ circumstantiæ; ad actum autem malum sufficit vel unius ex tribus defectus; hinc manavit effatum: *Bonum ex integrâ causâ, malum ex quocunque defectu.*

Nota 2.° Ut circumstantia mutet vel augeat bonitatem actûs, debet esse directè volita; quia bonitas actûs desumitur ex objecto formaliter sumpto. Undè qui dat pauperi sacerdoti eleemosynam, non attendens personæ circumstantiam, non emittit actum religionis, sed misericordiæ solùm. È contra verò, ut circumstantia mutet vel augeat actûs malitiam, satis est quòd indirectè sit volita, quia ad actum malum necesse non est quòd

voluntas in eam tendat sub ratione turpi, sed sufficit quòd advertat aut advertere possit ipsi adjunctam esse turpitudinem. Hinc sacrilegii reus est qui sacerdotem scienter occidit, quamvis non ut sacerdotem, sed ut inimicum occidat.

Quæres 1.° an, ex intentione vel aliâ circumstantiâ venialiter solùm malâ, tota actûs bonitas ita corrumpatur, ut ille simpliciter malus fiat.

Resp. malam circumstantiam dupliciter annecti posse bonæ actioni : 1.° *Antecedenter,* cùm in actum influit ut causa ipsius; putà, si quis jejunet ut laudetur ab hominibus; 2.° *Concomitanter,* cùm actioni de se bonæ, et bonum in finem directæ, accedit in operis decursu aliquid mali, ut si quis, inchoato bonum in finem jejunio, gloriam inanem inter jejunandum concipiat, vel in piâ oratione pravo tædio aut distractione afficiatur.

Jam verò, si mala circumstantia sit causa actûs, in eumque influat, illius bonitatem omninò destruit, quia, ut docet S. Thomas hìc, quæst. 19, art. 5, ad 4.um, tunc verè transit in rationem objecti; undè, qui jejunat ut gloriam captet apud homines, illius objectum non est præcisè jejunium, sed jejunium ad vanam gloriam ordinatum : atqui tale objectum malum est; ergo perversus ille finis ipsam objecti bonitatem destruit; ergo, etc.

Si autem venialiter mala circumstantia actui bono, ad debitum finem relato, superadveniat, totam ejus bonitatem non aufert, nec omne meritum extinguit, ita communiùs Theologi. Illud quippè verè bonum est opus, in quo agens, juvante gratiâ, bonum sibi proponit finem, et in eum tendit medio proportionato : atqui ita fit in casu proposito, quamvis paululùm titubet, et obliquos interdùm passus ponat; et ratio à priori

est, quòd hæc mala circumstantia de quâ loquimur non influat in actum bonum, neque sit ejus causa efficiens aut finalis præcipua, sed veluti actus planè diversus. Aliàs vix ullus esset actus meritorius, quia vix etiam in viris sanctis actus est qui aliquâ vitiosâ circumstantiâ, teporis, v. g., tædii, impatientiæ, præcipitationis, gloriæ, etc., velut terreno halitu, non obnubiletur.

Quæres 2.° utrùm actus exterior interioris actûs augeat bonitatem vel malitiam.

Resp. quòd per se non augeat, benè verò per accidens.

Prob. 1.ª *pars*, 1.° *ex Script.* quæ non minùs laudat aut redarguit quæ quis sincerè et plenè facere voluit, quàm si de facto ea fecisset; ita Gen. c. 22, ℣. 15, et II Cor. c. 8, ℣. 12. 2.° *Ex SS. PP.* : *Quid planius quòd voluntas pro facto reputetur*, inquit S. Bernardus, epist. 77, cap, 2, n. 8. *ubi factum excludit necessitas?* 3.° *Ratione;* illud per se non auget bonitatem aut malitiam actûs interni, quod per se nullam habet bonitatem aut malitiam moralem : atqui actus exterior per se nullam habet, etc.; cùm enim ex seipso nullâ gaudeat libertate, nullam ratione suì moralitatem, id est, bonitatem aut malitiam habet ab actu interiori, undè ait Christus, Matth. c. 15, ℣. 19 : *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia*, etc.

Prob. 2.ª *pars.* Illud per accidens auget malitiam actûs interni, quod sæpiùs actum internum reddit intensiorem aut diuturniorem, quod est occasio scandali, quod proximo nocumentum infert, quod restitutionis inducit obligationem, quod irregularitatem parit, per quod ipsa incurritur excommunicatio : atqui hæc omnia nonnunquàm

efficit actus exterior; ergo per accidens, ratione videlicèt malorum quæ ex eo sequuntur, malitiam auget actûs interni; atque ideò in Confessione declarari debet.

Dices : Distinctis præceptis prohibentur actus interiores et externi : scilicet, adulterium et furtum prohibentur VI et VII præcepto; uxoris verò et rei alienæ concupiscentia IX et X; ergo distinctam habent singuli malitiam; ergo actus exterior propriam addit malitiam actui interno.

Resp. Nego cons. Hæc enim duo distinctis præceptis prohibita sunt, quia periculum erat ne carnales homines, quales erant Judæi, legem observâsse sibi viderentur, si à solis externis actibus temperarent, quamvis interioribus præberent assensum.

CAPUT IV.

De Regulis Actuum humanorum.

Duplex est actuum humanorum regula : altera *externa et remota*, lex nempè seu præceptum superioris; altera *interna et proxima*, per quam exterior applicatur, et est conscientia. De lege dicemus in speciali *de Legibus Tractatu;* de conscientiâ quinque sectionibus agendum : 1.ª erit de naturâ et divisione conscientiæ; 2.ª de conscientiâ rectâ et erroneâ; 3.ª de scrupulosâ; 4.ª de dubiâ ; 5.ª de conscientiâ probabili.

SECTIO PRIMA.

De Naturâ et Divisione Conscientiæ.

Animæ rationalis præcipuæ functiones sunt

verum cognoscere et amare bonum : quatenùs versatur circa verum, dicitur intellectus; prout bonum prosequitur, voluntas appellatur : ita duæ censentur distinctæ facultates, intèr quas talis est ordo, ut voluntas intellectui subsit, et sine ipsius prævià cognitione operari nequeat.

Intellectus autem vel attingit prima et generalia morum principia, v. g. : *Peccatum est fugiendum, bonum autem prosequendum; alteri ne feceris quod tibi fieri non vis*, et tunc synderesis vocatur; vel generalia hæc principia alicui applicat actioni particulari, v. g. : *Hìc et nunc ab omni mendacio mihi abstinendum est*, et dicitur conscientia.

Igitur synderesis definiri potest : *Primorum benè vivendi principiorum cognitio*; conscientia verò definitur : *Judicium actuale practicum, dictans quid in particulari sit agendum vel omittendum, aut quid fieri vel omitti debuisset.*

Dividitur potissimùm conscientia in quinque species distinctas, nempè : 1.° in rectam et certam; 2.° in erroneam et falsam; 3.° in dubiam; 4.° in scrupulosam; 5.° in probabilem; quarum unaquæque species potest esse aut *præcipiens*, aut *permittens*, aut *consulens.*

Conscientia *recta* et *certa*, quæ et *vera* dicitur, ea est quæ, certo innixa fundamento, dictat aliquid in particulari bonum esse vel malum, quod reverà tale est in se.

Conscientia *falsa* et *erronea* est ea quæ dictat esse hìc et nunc licitum vel illicitum quod reipsà tale non est. Hæc autem potest esse aut *vincibiliter* erronea, si error depelli potuit; aut *invincibiliter* erronea, quandò depelli non potuit; tuncque, licèt in se et speculativè falsa, practicè

tamen et quoad nos vera est, recta, et certa: talis fuit conscientia Jacob accedentis ad Liam, quam prudenter judicabat esse suam uxorem.

Conscientia *dubia* est hæsitatio mentis et suspensio judicii circa bonitatem aut malitiam operis hìc et nunc peragendi; atque hæc suspensio oritur, vel quia æquales videntur hinc et indè rationes oppositæ, diciturque dubia *positivè;* vel quia nulla apparet ratio assentiendi vel dissentiendi, dicique solet dubia *negativè,* rectiùs diceretur simpliciter *nescientia.* Imò conscientia quælibet dubia, nonnisi impropriè conscientia vocatur, quia non est verè judicium, sed suspensio judicii.

Conscientia *scrupulosa* ea est quâ mens, levibus nixa fundamentis, judicat vel timet ne quid mali subsit in actione bonâ vel indifferenti; sic dicitur per metaphoram ductam à lapillo, qui pedem lædit gressumque impedit. Conscientiæ scrupulosæ opponitur conscientia *lata,* quâ mens ex levi et insufficienti motivo judicat bonum esse et licitum id quod malum esse deprehendi facilè potest.

Conscientia *probabilis* est illa quæ gravi quidem sed fallibili nititur momento.

Præcipiens dicitur conscientia, quæ judicat aliquid ex præcepto faciendum esse vel omittendum; *consulens,* quæ dictat aliquid, ut magìs perfectum, esse de consilio; *permittens,* quæ aperit aliquid esse merè permissum, nec præcepto, nec consilio subditum. De his conscientiæ speciebus sigillatìm agemus, atque inquiremus an et quâ ratione unaquæque sit regula actuum humanorum.

SECTIO II.

De Conscientiâ rectâ et erroneâ.

Statuitur : 1.° Licitum est sequi aut etiam agere contra conscientiam rectam consulentem,

Patet, quia sicut consilia evangelica sequi bonum est, ita et ea non implere non illicitum; idemque dicendum de conscientiâ invincibiliter erroneâ consulente, aut de utrâque simpliciter permittente.

Statuitur 2.° : Nunquàm licitum est agere contra conscientiam rectam præcipientem.

Patet, quia à rectâ ratione in materiâ necessariâ nunquàm recedere licet : atqui prædicta conscientia ipsum est rectæ rationis dictamen in materiâ necessariâ ; ergo, etc. Enim verò semper peccatum est facere quod ratio docet esse peccatum : ergo, etc.

Statuitur 3.° : Similiter contra conscientiam, sive vincibiliter sive invincibiliter erroneam præcipientem, nunquàm agere licet.

Prob. 1.° *ex Script.* Rom. c. 14, ℣. 23 : *Omne... quod non est ex fide, peccatum est;* id est, omnis actio quæ non fit ex dictamine conscientiæ, seu ex persuasione quòd licita sit, peccatum est; ita interpretantur Patres et Conc. Later. IV : atqui, quicunque agit contra conscientiam, licèt erroneam, ille non agit ex persuasione quòd licita sit actio sua; ergo, etc. 2.° *Ratione;* velle peccatum, semper est illicitum et verè peccatum : sed, qui agit contra conscientiam etiam errantem, ille vult peccatum, cùm faciat id quod putat esse peccatum; undè, quamvis actio ipsa de se sit licita et de præcepto, qui tamen eam

perficit, putans esse peccaminosam, verè peccat, quia voluntas eam amplectendo consentit in objectum sibi propositum ut malum.

Hinc peccatum, quod contra conscientiam errantem admittitur, ejus est speciei et gravitatis quam quis ex errore judicat inesse actioni suæ; ratio est, quia ille vult peccatum committere quale esse dictat conscientia. Undè mortaliter peccat juvenis qui levem summam parentibus furatur, putans in hoc se mortaliter peccare; imò et mortaliter adhuc peccat, si, grandem summam furando, vincibiliter credat se leviter peccare, quia is error deponi potuit. Item, lethale peccatum contra temperantiam admittit, qui, falsò judicans tali die esse jejunium, non jejunat. Ille tamen non incurrit censuras, aliasve pœnas humanas, dùm ponit actum cui falsò judicat eas annexas esse, quia tales pœnæ non imponuntur nisi transgressoribus legis veræ, non autem putatitiæ. Hæc tamen intelligenda sunt de actione vel omissione liberâ.

Statuitur 4.° : Secundùm conscientiam invincibiliter erroneam agere possumus, imò et tenemur, in iis quæ dictat esse præcepta vel prohibita; at verò nunquàm licet sequi vincibiliter erroneam, aliquid licitum vel etiam præceptum aut prohibitum esse dictantem.

1.ª *Pars patet*, quia alioquì, cùm ipsam deponi non posse supponatur, ageremus contra eam, quod illicitum est ex præcedenti assertione. Aliundè ignorantia invincibilis excusat à peccato; ergo, etc. Hinc etiam actus materialiter malus, ex conscientiâ invincibiliter errante factus, bonus est in eâ virtutis specie ad quam actus pertinere creditur. Undè, si quis, ut innocenti servet vi-

tam, invincibiliter credat mentiri bonum esse vel necessarium, ille mentiendo actum misericordiæ eliciet.

2.ª *Pars prob.* Quia tunc culpabiliter fieret aliquid illicitum; sicut enim ignorantia vincibilis non excusat à peccato, ita nec vincibiliter erronea conscientia; et, quod ex eâ fit, indirectè saltem voluntarium est; ergo prædictam vincibiliter erroneam non licet sequi conscientiam; cùm igitur ex dictis nec contra eam agere sit licitum, hoc unum superest ut ipsa deponatur.

In deponendâ verò erroneâ conscientiâ temeritas est sedulò præcavenda, cujus rei sunt qui ad conscientiæ dictamen non attendunt, sed vel aliò convertunt animum, vel mediis improportionatis utuntur; atque ea adhiberi debent media, quæ suggerit prudentia, qualia sunt humilis et frequens oratio, totius rei exacta discussio, lectio librorum qui de hâc materiâ solidè tractant, consilii à viris piis et doctis petitio; si autem, his adhibitis, perseveret error, censebitur invincibilis.

Ex hujus assertionis secundâ parte sequitur, nec ab inobedientiâ, nec à pœnis ei debitis, excusari posse eos qui dogmatico Sum. Pontificis judicio, à majori Episcoporum numero expressè vel tacitè approbato, obtemperare eo prætextu detrectant, quòd agere non possint contra conscientiam propriam, quæ ipsis dictat tale judicium esse saltem in fide ac moribus periculosum. Talis quippè conscientia nonnisi erronea, et quidem vincibiliter erronea, esse potest, certumque temeritatis ac intolerabilis superbiæ argumentum in christiano homine, qui fallibile conscientiæ suæ judicium judicio infallibili Sum. Pontificum et universorum ferè Episcoporum, quos posuit

Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, quos qui audit, Christum audit, quos qui spernit, Christum spernit, præferre non reformidat.

Dices : Ex 3.ª et 4.ª assertione sequitur aliquem erroneâ conscientiâ, sive invincibili sive vincibili laborantem, necessariò peccare posse : namque 1.º credat ex errore invincibili rustica mulier, curam gerens infirmi die Festo, se peccare, sive sacrum omittat, sive, Missæ audiendæ causâ, deserat infirmum; in eo casu, quidquid agat mulier, aget contra conscientiam, et ita necessariò peccabit. 2.º Si quis vincibiliter errans mentiatur ut proximo succurrat, cui per tale mendacium succurrendum esse credit, peccat contra divinum non mentiendi præceptum; si verò non mentiatur, peccat contra conscientiam; ergo utiquè necessariò peccabit : atqui tamen ex nobis nullus est status in quo quis necessariò peccet; ergo, etc.

Resp. Nego sequelam : Ad 1.am prob. in hoc casu moraliter libera non erit mulier; et ideò non peccabit, modò eligat quod judicat minùs esse malum, aut etiam, quidquid elegerit, si è duobus quodnam sit minùs malum discernere nequeat. Ad peccatum enim formale requiritur libertas, id est, expedita potentia vitandi actum peccaminosum : at prædicta mulier expeditâ caret potentiâ vitandi illud quod culpabile existimat, cùm ipsi vera incumbat necessitas alterutrum eligendi quod credit esse peccaminosum; ergo, etc.

Ad 2.am prob. *Conc. ant. nego cons.* Quia inter duo extrema, quæ in eo casu occurrere videntur, datur medium : scilicet, homo erroneam conscientiam, quæ vincibilis supponitur, deponere debet et rectam sibi efformare, rem pro ejus gravitate perpendendo, pios et peritos consu-

lendo, etc.; quòd si urgeat electio, nec error jam deponi possit, quia, v. g., deest peritior quem consulat, nec per semetipsum veritatem invenire valet, tunc orare debet et de præcedenti ignorantiæ peccato dolere, et eam eligere partem, in quâ putat esse minùs mali; sicque ab ulteriori excusabitur culpâ, quia tunc, erroris retractatâ causâ, et faciendo quod in se est, error è vincibili fiet invincibilis et involuntarius. Illatum tamen, si quod sit, damnum reparare tenebitur, quia retractatio culpæ non facit ut non fuerit liberè posita causa damni.

Quæres 1.° an graviùs peccet qui agit contra conscientiam vincibiliter errantem, quàm qui secundùm eam operatur.

Resp. neutrum esse simpliciter altero gravius, sed, pro diversitate materiæ, modò unum modò alterum esse gravius: v. g., si credas te teneri ad mentiendum ut innocentis vitam serves, et non mentiaris, reus es homicidii, mortaliterque peccas; si verò mentiaris, peccas solùm venialiter. Sed si è contrà credideris teneri te sub veniali ad furandum avaro diviti ut succurras indigenti, non furando peccas venialiter; furando autem summam notabilem, mortaliter peccas.

Quæres 2.° an plus obliget conscientia, quàm præceptum superioris.

Resp. 1.° Conscientia recta, imò et conscientia invincibiliter erronea plus obligat, quia vox Dei est conscientiæ rectæ dictamen. 2.° Plus obligat præceptum superioris quàm conscientia dubia, quia in dubio præsumptio stat pro superiore. 3.° Si conscientia sit vincibiliter erronea, deponi debet, et superioris impleri præceptum.

Quæres 3.° quomodò se gerere debeat Con-

fessarius erga pœnitentem erroneâ conscientiâ laborantem.

Resp. Confessario prudentiâ et discretíone opus esse, quia aliquandò tenetur monere pœnitentem de errore, aliquandò eumdem monendo peccaret.

1.° Nempè semper monere debet, si vincibilis sit ejus ignorantia, quia per eam non posset excusari pœnitens; item, si Confessarium interroget an actio sit peccatum necne; talis enim interrogatio dubiam, et ideò non invincibilem, esse ignorantiam supponit.

2.° Si pœnitentis ignorantia sit invincibilis, distinctione opus est; etenim ex monitione vel spes emendationis affulget, vel non: si affulgeat, admonendus est; si nulla sit spes emendationis, admoneri debet in triplici casu: 1. si ignoret media vel mysteria ad salutem necessaria, putà, si judicet solam sine contritione sufficere Confessionem ad obtinendam peccatorum veniam; 2. si ignorantia ejus versetur circa principia juris naturalis, etiam secundaria, quæ non facilè ignorantur invincibiliter, aut quorum ignorantia facilè sit vincibilis, ob malitiæ suspicionem, quam actio de se mala ingerere solet: undè juvenis, qui pollutionis malitiam invincibiliter ignorare videretur (quod fieri posse multi negant), de peccati hujus gravitate monendus foret: ratio est quia, prætérquàm quòd talis ignorantia diù durare non potest, homo ille præmonitus, si statim non corrigatur, deindè saltem majori cum remorsu peccabit, consuetudinem suam aliis Confessariis aperiet, remedia ejusdem coercendæ edocebitur, et aliquandò tandem ad meliorem frugem poterit adduci; 3. si error invincibilis in boni communis detrimentum vergat,

quia bonum publicum particulari præferendum est. Hinc monendus esset qui invincibiliter crederet pro suo levi commodo sibi licere secretum revelare, undè gravissimum imminet Reipublicæ damnum. Extra hos similesve casus, temperandum est à monitione, quandò hæc non solùm inutilis, sed et nociva magis futura prævidetur, adeò ut pœnitens, qui hactenùs materialiter solùm peccavit, deinceps formaliter peccaturus præsentiatur. Ita respondet Innoc. III, de matrimonio invalidè contracto consultus. Sed de his fusiùs in *Tract. de Pœnitentiâ.*

SECTIO III.

De Conscientiâ scrupulosâ.

Scrupulosus dicitur qui facilè et ex levi causâ peccatum timet ubi non est peccatum, quique viri prudentis nec suo quietatur judicio.

Multiplicis generis sunt scrupuli; alii procedunt à mediocritate vel etiam subtilitate ingenii, alii à constitutione corporis, alii à dæmone, alii ab ipso permittente Deo; iterùm alii sunt de actibus præteritis, alii de futuris.

His indiciis scrupulosum judicaveris: 1.° Si cùm salutis suæ studiosus sit, sæpè tamen dubitet, et in uno vel multis capitibus alios anxiè interroget; 2.° si nonnisi cum timore et anxietate viri etiam prudentis consilia et decisiones sequatur; 3.° si Confessiones ex vero cordis desiderio et sincerè factas repetere velit, iisque aliquid semper defuisse credat; 4.° si dubitet sibi licitum esse quod aliis licitum judicat; 5.° si viri pii, et in materiâ morum versati, dubia ejus pro scrupulis habeant.

Quæres 1.° an contra scrupulos agere liceat.

Resp. cum distinctione; vel enim scrupulosus advertit et judicat leves esse nec fundatos scrupulos, vel è contrà sentit eos esse fundatos, ipsique constans et fixum remanet dubium. Si prius, non solùm ipsi licet, sed et expedit agere contra scrupulos; licet quidem, tum quia scrupulus tunc judicatur ut sententia improbabilis, cujus insufficientia sunt motiva, ideòque, manente tali scrupulo, potest efformari conscientia practicè certa quòd illum contemnere liceat; tum quia scrupulus ille non verè conscientia est, seu dictamen intellectûs verè judicantis, sed vana potiùs apprehensio, cui intellectus et voluntas resistere possunt; expedit etiam tales contemnere scrupulos, quia tali agendi ratione recedunt gravissima quæ ex scrupulis oriri solent incommoda, perturbatio animæ, libertatis impedimentum, impotentia in Sacerdote obeundi munia ecclesiastica, desperatio, etc. Si posterius, contra scrupulos agere non potest, quia, ex dictis et ex modò dicendis, nunquàm licet agere contra conscientiam erroneam aut dubiam : atqui in præsenti casu conscientia scrupulosa in erroneam vel dubiam concidit, à quibus non differt nisi ratione anxietatis et sollicitudinis quam superaddit; ergo, etc.

Quæres 2.° quibus signis, et quibus innixus principiis judicare possit scrupulosus leves esse scrupulos, et, illis perseverantibus, efformare sibi conscientiam practicè certam quòd sibi liceat contra eos agere.

Resp. ad 1.um, his signis meritò judicare posse leves esse scrupulos, 1. si ita judicaverit Confessarius, aut quivis alter vir prudens et doctus; 2. si ipse expertus fuerit se similes habuisse scru-

pulos, qui à viro sapiente inanes habiti sunt; 3. si dubitet nec certus sit an tentationi consenserit; dubitatio enim, quæ in aliis fortè rationabilis esset, in scrupuloso homine pro nihilo habenda est, præsertìm si sit timoratæ conscientiæ, et firmum habeat propositum non peccandi mortaliter.

Ad 2.um *Resp.* tribus præsertìm principiis inniti posse; primum est, licitum esse, imò et expedire, agere contra scrupulos qui leves judicantur; secundum, non peccare scrupulosum qui viri prudentis et docti, etiamsi erraret ille, judicium sequitur, quia obediendo facit quod in se est; tertium, scrupulosum non teneri ad examen ad quod cæteri tenentur, quia ex scrupulis ita turbatur ratio, ut recti examinis sit incapax.

Quæres 3.o quæ sint remedia contra scrupulos.

Resp. Præter ea quæ in præcedentibus responsionibus continentur, alia sunt quæ spectant Confessarium, alia quæ ipsum scrupulosum.

Quæ spectant ipsum scrupulosum sunt: 1.° Ut habeat virum prudentem et doctum, quem in omnibus consulat, cujus monitis cæcà obedientià et sine examine obsequatur, ita ut alios non interroget malène an benè judicaverit, quemque facilè non mutet. 2.o Ut maximè curet ad removendam scrupulorum radicem; v. g., superbus prudentiæ suæ non innitatur, timidus meditetur bonitatem Dei, melancholicus medicorum arte bilem atram expellat; quamlibet fugiat conversationem cum viris scrupulosis, librorumque rigidioris doctrinæ lectionem. 3.° Orationi aliisque pietatis exercitiis fideliter incumbat, sæpiùsque amoris actus et fiduciæ in Deum eliciat; multùm enim in eo peccant scrupulosi quòd Deum pro austeriori magistro habeant. 4.° Sedulò caveat ne

cogitatione foveat et mente scrupulos revolvat, sed illos statìm excutiat, mentem ad aliud avertendo, otiumque fugiat insistendo labori. 5.° Confessarium de quibuscunque dubiis non consulat, sed sæpè propriis utatur rationibus, et regulis jam à Confessario acceptis scrupulos expellat.

Quod ad Confessarium attinet, 1.° scrupuloso necessitatem obedientiæ cæcæ passìm inculcet, iisque momentis persuadere conetur, quòd nemo, multòque minùs homo scrupulis agitatus, idoneus sit qui seipsum regat, undè scriptum est, Prov. c. 3, ℣, 5, 7 : *Ne innitaris prudentiæ tuæ... ne sis sapiens apud temetipsum;* quòd summæ sit superbiæ suum aliorum judicio præferre judicium; quòd obedientiam hanc sæpè remuneraverit Deus, etc. 2.° Scrupulosum Deo maximè commendet. 3.° Ejus animum erigat, benignè eum excipiendo; asseveranter, non dubiè et cum hæsitatione respondendo; aliquandò tamen austerè tractandi sunt scrupulosi, ut parere discant. 4.° Regulariter non reddat rationem consilii sui; caveat à minutioribus interrogationibus; non patiatur ut sæpiùs ad se recurrat, quandoquè remittat inauditum, atque etiam, cùm in confessione solos deposuerit scrupulos, interdum ad sacram Eucharistiam sine absolutione dimittat, Consulatur Collator Andeg. tom. 2, de Pœnit.

SECTIO IV.

De Conscientiâ dubiâ.

Quid sit dubium in genere, quid dubium negativum, aut positivum, jam diximus. Dubium aliundè dividitur in dubium *juris,* quo quis dubitat an exstet lex seu præceptum aliquam ac-

tionem præcipiens aut prohibens, vel saltem an lex ea sit legitima et obligatoria : ut cùm quis dubitat an Ecclesiæ præcepto teneatur ad jejunandum tali die, an superior talem potuerit sibi casum reservare; et in dubium *facti*, quo quis certus de lege dubitat de aliquo facto quod legem respicit, v. g., utrùm cibi, die Veneris appositi, sint caro necne; an Titia, quam quis vult ducere, sibi sit affinis aut consanguinea.

Iterùm aliud est dubium *purè speculativum*, quod directè non versatur circa rem ad mores pertinentem : v. g., an valeat Baptismus in solo nomine Christi collatus; an testamentum aut matrimonium sit validum; an equus quem possideo meus sit necne. Aliud est *speculativè practicum*, quod versatur quidem circa praxim morum, sed generaliter et abstractione factà præsentium hic et nunc circumstantiarum : putà, an liceat die festo pingere, venari; aliud *practicè practicum*, quod versatur circa actum hìc et nunc à tali viro exercendum, v. g., an hoc die festo mihi pingere liceat ad exornandam in certà solemnitate Ecclesiam.

Notandum ex dubio facti, et ex dubio speculativo, aut speculativè practico, interdùm oriri dubium juris, et dubium practicè practicum : v. g., dubitat quis an validè matrimonium contraxerit : en dubium facti; ideòque dubitat an teneatur reddere debitum : en dubium juris. Iterùm quis dubitat an valeat Baptismus in Christi nomine collatus, hinc dubitare incipit an ille sit reiterandus. Similiter, dubium est an justum sit bellum in quo milito, an meus sit equus quem possideo : en dubium speculativum; hinc dubitare incipio an hìc et nunc arma gerere mihi

liceat, an equum illum retinere queam : en dubium practicè practicum.

Quæres quomodò in dubiis quisque se gerere debeat.

Statuitur 1.° Nunquàm agere licet cum conscientiâ dubiâ practicè practicâ, ideòque in quibuscunque dubiis practicè practicis tutior pars semper est eligenda. *Ita omnes.*

Prob. 1.ª *pars*, 1.° *ex Script.* Rom. c. 14, ℣. 23 : *Omne.... quod non est ex fide peccatum est*, id est, ut jam observavimus, omnis actio, quæ non fit ex intimâ persuasione quòd licita sit, peccatum est : atqui, quod fit ex prædictâ conscientiâ dubiâ, non est ex certâ persuasione, etc.; ergo, etc.

2.° *Ratione.* 1. Qui dubiam practicè practicam habet conscientiam, ille dubitat an actio, hìc et nunc elicienda, sibi sit licita vel illicita : atqui cum tali dubio agere semper est vetitum; etenim ad licitè hìc et nunc operandum requiritur judicium prudens, quòd hìc et nunc operando non peccetur : imò communis apud ipsos probabilitatis assertores sententia est, quòd, ut operatio aliqua licitè ponatur, intellectus debeat esse moraliter certus operationem illam non esse peccaminosam; sed, qui dubitat an talis actio, hìc et nunc elicienda, sibi sit licita necne, moralem hanc non habet certitudinem, nec prædictum ferre potest judicium de honestate actùs sui; ergo, etc. 2. Qui se exponit morali periculo peccandi, peccat, et quidem eàdem specie et gravitate peccati, cujus periculo se exponit, juxta illud Eccli. c. 3, ℣. 27 : *Qui amat periculum, in illo peribit :* atqui agens cum prædictâ dubiâ conscientiâ exponit se periculo faciendi peccatum

de quo dubitat, imò tale periculum amat et eligit, facitque quod novit tam esse posse illicitum quàm licitum; ergo, etc. Istud ipsum nôrunt Ethnici, qui hanc regulam posuerunt quam commendat Tullius : *Benè præcipiunt*, inquit, *qui vetant quidquam agere quod dubites æquum sit, an iniquum;* ergo, etc. Ab hâc tamen nostrâ generali propositione excipi debet perplexitatis casus, de quo suprà diximus.

2.ª *Pars* ex præcedenti evidenter sequitur; undè, qui dubitat an talis actus hic et nunc sibi sit licitus, an talis contractus sit usurarius, durante eo dubio, ab illis debet abstinere; similiter, qui anceps est et dubius an tali die et hìc et nunc lege teneatur audire Missam, ipsi adesse tenetur. Colliges actum cum conscientiâ dubiâ admissum ejusdem esse rationis et speciei, cujus est peccatum de quo dubitatur, patetque ex dictis de conscientiâ erroneâ. Enim verò operans cum conscientiâ practicè dubiâ, affectum habet ad peccatum illius rationis cujus periculo se exponit; undè, qui agit dubitans se mortaliter peccare, aut sacrilegium committere, reipsâ peccat mortaliter, aut sacrilegium committit.

Dices : Si, in dubio de actionis honestate, ab eâ esset abstinendum, lex dubia certam pareret obligationem : atqui istud fieri non potest; ergo, etc.

Resp. Dist. min. Lex dubia certam parere non potest obligationem ex parte ipsius legis de quâ dubitatur petitam, *conc.;* petitam ex parte legis generalis, quæ prohibet ne quis se exponat periculo peccandi, *nego.* Lex enim illa generalis certa est ex dictis, ipsisque Gentilibus cognita.

Statuitur 2.º Stante dubio, sive purè speculativo

lativo sive speculativè practico, aliquandò licitum est agere.

Prob. Quia ad hoc satis est quòd, prædicto stante dubio speculativo, formari queat judicium practicè certum de honestate actûs hìc et nunc exercendi : atqui reipsâ, etc. Sic miles, dubitans an bellum sit justum, certò judicare debet se teneri ad bellandum; sic possessor bonæ fidei, qui dubitare incipit an domus sua sit necne, certò judicare potest, perseverante eo dubio, illam retinere sibi licitum esse; et ratio est quòd, qui dubitat an actus generatìm et in abstracto sit legitimus, certus esse possit actum in talibus circumstantiis esse licitum.

Quæres quomodò et quibus principiis, non obstante dubio speculativo, formari queat conscientia practicè certa.

Resp. istud fieri deponendo in praxi dubium quod in speculatione et in abstracto solùm perseverat. Ad id autem requiritur, 1.° ut debita adhibeatur, quæ pro rei gravitate et loci ac personæ qualitate et conditione moraliter possibilis est, diligentia, Deum orando, pravum omnem affectum deponendo, consulendo probos ac peritos, remque et rationes utrinquè expendendo; 2.° ut adsit legitima causa, quæ doceat hìc et nunc licitum esse id de quo in genere et in abstracto dubitatur. Tres verò statui possunt tales causæ, seu tria generalia principia, quibus in praxi deponatur dubium quod in genere perseverat.

Primum est necessitas è duobus malis quod gravius est evitandi; hinc uxor, quæ dubitat de validitate matrimonii ab ipsâ primùm malâ fide initi, certò judicare potest sibi licitum esse marito bonâ fide debitum petenti reddere : reddendo

quippe ad summum læditur virtus castitatis; denegando verò læderetur justitia, blasphemiæ exponeretur maritus et periculo incontinentiæ, suspicionis, etc. Eàdem de causâ, Jure canonico triennium experientiæ conceditur iis qui matrimonium contraxerunt, si dubitent an impotentia sit absoluta vel temporalis.

Secundum est ista regula Juris: *In dubio melior est conditio possidentis*, quam quidem regulam in solâ justitiæ materiâ valere fert probabilior opinio; hinc, qui, primùm bonâ fide agrum adeptus, posteà dubitat an suus sit, si, factâ inquisitione legitimâ, perseveret dubium, agrum retinere potest, certumque in praxi ferre judicium sibi licitam esse talis agri possessionem. Consentiunt omnes.

Tertium est hæc altera Juris regula: *In dubio pro eo standum est, pro quo stat præsumptio*; hinc inferior, dubitans an rationi congruant jussa superioris, ea tenetur implere, quia pro superiore stat præsumptio. Item, qui dubitat an aliquod grave scelus certo quodam tempore admiserit, an nocturnæ pollutioni plenè consenserit, certum in praxi judicium ferre potest se talia non admisisse, quia non consuevit hujusmodi rerum oblivisci, quæ vulgò mentem percellunt et conscientiam agitant; et idcircò stat pro eo præsumptio.

In cæteris dubiis sive juris sive facti, quæ prædictis excuti non possunt principiis, eligenda est pars tutior, id est quæ magìs à culpâ recedit: hinc, ex probabiliori sententiâ, qui dubitat an votum emiserit, tenetur votum implere; an voverit sex vel octo jejunia, tenetur ad octo; an incurrerit censuram, tenetur se abstinere ab iis

à quibus abstinere debent censurâ ligati; an comederit aut biberit post mediam noctem, Eucharistiam sumere non potest; excipe tamen nisi, spectatis omnibus circumstantiis, aliqua ex prædictis regulis iis etiam casibus possit applicari, et ita speculativum deponi dubium.

Quartum addunt plurimi principium, peritorum scilicet auctoritatem: sed istud ad alia revocatur, quia ipsi periti nonnisi ex aliquo eorum principiorum conscientiam practicè certam efformare possunt.

SECTIO V.

De Conscientiâ et Opinione probabili.

Præ cæteris omnibus celebris est et maximi momenti præsens controversia, ideòque sedulò expendenda.

Opinio probabilis ita dici potest, vel *speculativè* et *secundùm se*, quandò nititur motivo quod seorsìm et absolutè spectatum grave est, licèt, omnibus expensis, ac potissimùm oppositæ sententiæ motivis, fortè non ita appareat operanti; vel *practicè* et *respectivè* ad operantem, quandò ipsi apparet ita verisimilis, seu niti tam gravi motivo, quamvis absolutè fallibili, ut, factâ diligenti inquisitione, meritò ac prudenter possit approbari ut vera. Opinio probabilis, propriè et simpliciter dicta, est actus quo mens ob motivum grave, quamvis absolutè fallibile, prudenter judicat aliquid esse licitum vel illicitum: ut autem quis prudenter ita judicet, fatentur omnes requiri, 1.° ut præoccupationem deponat et præjudicia, seriumque instituat examen, quo suæ et oppositæ sententiæ rationes expendat; 2.° ut

advertat vel advertere possit nihil ex Scripturis, ex Traditione, ex Ecclesiæ decretis, vel ex evidenti ratione convincens opponi.

Probabilitas duplex distinguitur, alia *intrinseca*, quæ verisimilibus innititur momentis ex ratione, vel Scripturâ, aut Traditione depromptis; alia *extrinseca*, quæ desumitur ex Doctorum vel testium auctoritate. Hæc tamen Doctorum auctoritas non movet, nisi inquantùm gravibus conjuncta rationibus præsumitur; undè non tam ex numero quàm ex Doctorum merito, probitate, studio, diligentiâ, etc., metienda est probabilitas extrinseca.

Opinio *tuta* est quæ removet à periculo peccandi; *tutior*, quæ magìs removet, quæque ideò stat pro lege; *minùs tuta* dicitur quæ favet humanæ libertati, minùsque recedit à peccandi periculo. Sic tutior est sententia quæ docet peccatorem, statim ab admisso peccato, teneri de eo dolere, minùs tuta quæ contrarium tenet. Hinc opinio tutior et opinio probabilior multùm inter se differunt, atque sæpè fit ut, quæ tutior est, sit minùs probabilis; securitas enim opinionis desumitur ex distantiâ ejus à peccato, probabilitas verò ex majori veritatis apparentiâ: sed, quæ magìs à peccato distat, non idcircò verior est sententia.

Tria sunt præsentis quæstionis capita: 1.° utrùm, in concursu duarum opinionum, liceat sequi minùs tutam simul et minùs probabilem; 2.° an licitum sit amplecti minùs tutam, si sit æquè probabilis ac altera: quæ duo licita esse affirmârunt plurimi Theologi, *Probabilistæ* dicti, ab anno 1577 ad annum 1657; 3.° an saltem quisque possit amplecti sententiam minùs tutam, quandò hæc

probabilior est oppositâ. Istud licitum esse negârunt pauci quidam ex Jansenianis cum Nicolio, in notas ad 5 Epist. Montaltii.

PROPOSITIO PRIMA.

Aliquandò quidem, sèd non semper, tenemur sequi sententiam tutiorem.

1.ª *Pars, quòd aliquandò teneamur sequi tutiorem partem*, constat, quia quandoquè finis, quem assequi vel procurare debemus, aliter obtineri non potest, in iis nempè casibus in quibus ignorantia invincibilis et major probabilitas ad eum obtinendum juvare non possunt; tunc enim efficaciora quæ adsunt media debent adhiberi. Hinc 1.º tenemur amplecti tutiorem partem, ubi agitur de iis quæ sunt de necessitate medii ad salutem, vel quæ requiruntur ad validitatem Sacramentorum; ratio est, quòd nec salus nec effectus Sacramenti haberi queat, nisi de facto ponantur ea quæ ad hunc finem absolutè Deus exigit. Undè ab Innoc. XI damnata est hæc propositio: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore.* 2.º Ubi agitur de damno tertii ex justitiâ vel charitate removendo; etenim proximo non minùs nocet damnum quod ipsi ex ignorantiâ invincibili, vel probabiliori sententiâ ductus, intuleris, quàm si ex propositò et purâ malitiâ. 3.º Ad tutiorem partem tenetur, qui ad tutiora adhibenda ex conventione, voto, vel legitimo superioris præcepto obligatur.

2.ª *Pars: quòd nempè, extra memoratos casus, sequi liceat sententiam minùs tutam, quæ post debitum examen apparet multò probabilior oppositâ,*

Prob. 1.° *ex Censurâ hujus propositionis ab Alexandro VIII proscriptæ : Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Quam censuram renovavit Clerus Gallicanus, an. 1700 : atqui, si valeret istud adversariorum principium, perfectam nempè requiri certitudinem vel evidentiam extra omnem formidinem positam, non liceret opinionem sequi, quantumvìs probabilem, quæ tutior non est; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex S. Thomâ*, 2.â 2.æ quæst. 70, art. 2 : *In actibus humanis....*, inquit, *non potest haberi certitudo demonstrativa...*, *et ideò sufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus à veritate deficiat.* At, in adversariorum sententiâ, non sufficeret probabilis certitudo, sed vel opus esset omnimodâ certitudine, vel ab actione prorsùs abstinendum; ergo, etc.

Prob. 3.° *Ratione.* Licet sequi judicium prudens ac moraliter certum de honestate actûs : atqui qui sequitur opinionem longè probabiliorem, quamvis minùs tutam, ille hoc ipso sequitur judicium prudens et moraliter certum de honestate actûs sui; ille enim firmiter et prudenter judicat actionem suam esse licitam, qui in eo judicando motiva præfert multò graviora motivis minùs gravibus, quæ præ illis, citra culpam et affectum inordinatum, levia ac meritò contemnenda apparent; sed, qui sequitur opinionem multò probabiliorem, licèt minùs tutam, ille judicat actionem suam esse licitam, et ita judicando motiva præfert, etc., sicque prudentem et firmam habet persuasionem quòd actio sua sit licita, etc.

Dices : Opinio quantumvìs probabilis non omnem excludit errandi formidinem; ergo, qui se-

quitur sententiam probabiliorem, sed minùs tutam, certam habere persuasionem non potest quòd actio sua sit licita.

Resp. Dist ant. Non omnem excludit formidinem logicam, *conc.;* moralem, *nego.* Item, *disting. cons.* Nequit habere persuasionem certam metaphysicè, *conc.;* moraliter, *nego.* Formido logica est actus quo cognoscit intellectus non repugnare, præcisè ex vi motivi assensûs, rem aliter se habere. Formido moralis est actus, quo non leviter suspicatur et judicat intellectus fortè rem aliter se habere; assensui opinativo essentialis est formido logica, accidentalis verò formido moralis, atque hæc, non illa, repugnat certitudini morali : porrò in moralibus, et ut quisque prudenter agat, moralis sufficit certitudo de honestate actûs sui, nec requiritur certitudo metaphysica, quam in omnibus actibus habere impossibile est, et supra hominis conditionem; aliàs enim nullus Sacerdos celebrare posset, nullus pœnitens à Confessario absolutionem petere, vel sacram Eucharistiam suscipere, Judex ferè nunquàm reum posset condemnare, quia nullus metaphysicè certus est necessarias adesse sibi dispositiones ad prædicta Sacramenta, vix unquàm Judex metaphysicè certus est reum esse criminis convictum; nec metaphysicè repugnat eos decipi, dùm prudenter opinantur omnia satis esse pensata. Quamvis ergo tunc judicet intellectus non absolutè repugnare quòd res aliter sit, nec, omne prorsùs errandi periculum excludi, prudenter leve istud contemnitur errandi periculum, quia melius est interdùm errare, plerumquè assequendo veritatem, quàm semper manere in statu dubii et suspensionis. Undè, si in eo casu

quis erraret, error esset purè materialis, non imputabilis, ratione ignorantiæ invincibilis.

Enim verò ille moraliter certus est licitam esse suam actionem, qui certus est se non peccare contra ullam legem obligantem : atqui, quicunque sequitur opinionem minùs tutam, sed longè probabiliorem, ille certus est, etc., quia scilicet prudenter judicat nullam esse legem opinioni suæ contrariam : atqui nulla lex obligat in iis circumstantiis in quibus prudenter creditur non existere; lex enim quæ prudenter creditur non esse, perindè est ac si non esset in ordine ad obligandum.

PROPOSITIO II.

In concursu duarum opinionum æquè probabilium, minùs tutam sequi non licet, tutiore relictâ.

Prob. 1.° *ex dictis sectione præcedenti :* in dubiis pars tutior eligenda est : atqui, quandò duæ opiniones oppositæ sunt æquè probabiles, tunc veri nominis est dubium : cùm enim rationes hinc et indè supponantur æquales, nihil occurrit quod intellectum determinet ad assentiendum uni parti potiùs quàm alteri; ergo dubius et anceps maneat necesse est; ergo, etc.

Prob. 2.° *auctoritate Cleri Gallic.* qui, in Comitiis anni 1700, hæc habet : *Ad rectum usum probabilium opinionum has regulas à Jure præscriptas agnoscimus : primùm ut, in dubiis de salutis negotio, ubi æqualia utrinquè animo sese offerunt rationum momenta, sequamur id quod tutius, sive quod est in hoc casu unicè tutum; neque id consilii, sed præcepti, loco habemus, dicente Scripturâ : « Qui amat periculum, in illo peribit » : hæc prima regula.*

Prob. 3.° *ex S. August.*, lib. I, de Bapt., cap. 3: *Graviter peccaret*, inquit, *in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo quòd certis incerta præponeret;* et cap. sequenti: *Quis dubitet certum esse peccatum non ibi potiùs accipere, ubi certum est non esse peccatum?* Igitur peccat qui in materià morum certis incerta præponit: atqui operans secundùm opinionem minùs tutam, neglectà tutiore æquè probabili, certis incerta præponit; ille etenim certis incerta præponit, qui non implet legem quam certò citra peccatum implere potest, ut sequatur partem quæ libertati favet, dubitans et incertus an, secundùm eam operando, non transgrediatur legem: atqui ita se gerit qui præfert opinionem minùs tutam æquè probabilem, quia agit dubitans et incertus an non existat lex prohibens actionem quam hìc et nunc exercet, cùm nullum habeat sufficiens motivum, quo dubium expellat de existentià legis illius; supponitur quippe motiva, quæ stant pro libertate, validiora non esse motivis, quæ pro lege pugnant; ergo, etc.

Probatur iterùm ex omnibus ferè momentis quibus sequentem adstruemus propositionem.

PROPOSITIO III.

In concursu duarum opinionum, non licet sequi minùs tutam simul et minùs probabilem.

Prob. ex præcedenti propositione: si enim illicitum sit amplecti opinionem minùs tutam, licet æquè probabilem, quantò magis, si minùs probabilis sit.

Prob. aliundè et speciatìm, 1.° *ex Script.* quæ passìm præceptum inculcant diligendi Deum ex

totis viribus, vitandi periculum peccandi, ab omni specie malâ se abstinendi, sectandi in viâ salutis filiorum hujus seculi prudentiam : atqui operans secundùm opinionem quam ipse judicat minùs tutam, minùsque probabilem, hæc omnia divinæ legis transgreditur præcepta; etenim quomodò quis Deum ex totis viribus diligere censeri potest, qui sciens et volens, ut suo levi consulat commodo, ea facit vel omittit ex quibus judicat, et quidem probabiliùs, Deum graviter offensum iri? Quis peccandi periculo manifestiùs se exponit, quàm qui ea præstat quæ novit probabiliùs esse divinæ legi contraria? Nunquid ab ipsâ specie malâ se abstinet, qui iis operibus vacat quæ peccaminosa esse verisimiliùs ipse judicat? Nonne Christi querimonias, Luc. c. 16, augent Probabilistæ, receduntque à prudentiâ filiorum seculi, dùm ipsi in negotio salutis ea faciunt quæ in rebus temporalibus sedulò caverent; ergo, etc.

Prob. 2.° *Auctoritate Innoc. XI,* qui anno 1679 sequentes damnavit propositiones, quarum censuram renovavit Clerus Gallic., anno 1700.

3.ª *Generatìm dùm probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvìs tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus;* ergo, falsum est adversariorum capitale principium, quòd scilicet omnis opinio, in quovis inferiori gradu probabilitatis sit, non desinat esse verè probabilis, et ideò digna quæ moveat virum prudentem, quæque prudenter in praxi teneri queat.

4.ª *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili :* atqui tamen potior non est ratio cur à transgressione cujusvis alterius divinæ legis excusetur, qui

sequitur opinionem minùs probabilem; ergo, sicut certò peccat infidelis in casu proposito, ita et quilibet Christianus, qui, ductus opinione minùs probabili, quamlibet legem Dei vel Ecclesiæ transgreditur; ergo, in concursu duarum opinionum, non licet sequi sententiam minùs tutam simul et minùs probabilem.

Prob. 3.° Omnis novitas in doctrinâ morum, sicut et in materiâ fidei, certum est falsitatis argumentum : atqui doctrina Probabilistarum recens est, et per sexdecim priora Ecclesiæ secula nullum habuit ex Patribus aut Doctoribus defensorem, ut non diffitentur ardentiores Probabilistæ, ex quibus scribere ausus est quidam, *juniores potius quàm antiquos esse in materiâ morum audiendos*, quam propositionem acri notavit censurâ Clerus Gallic., anno 1700.

Prob. 4.° *ex destructione fundamentalis adversariorum principii;* scilicet, loco principii statuunt Probabilistæ, quòd opinio, in quovis inferiori gradu probabilitatis sit, non desinat esse verè probabilis : atqui, inquiunt, omnis opinio verè probabilis digna est quæ moveat virum prudentem; ergo quisque sequi potest opinionem, etiam in inferiori gradu probabilitatis constitutam; præterquàm enim quòd ex damnatis ab Innoc. XI propositionibus patet hujus principii falsitas, illius aliundè vanitas claret ex antè præmissis observationibus, nimirùm, opinio minùs probabilis remanet quidem speculativè et secundùm se probabilis, non autem practicè et respectivè; opinio enim practicè et respectivè probabilis ea est quæ, ob apparentiam veritatis, ut vera prudenter potest approbari : atqui talis non potest esse opinio minùs probabilis; prudenter quippe,

ob apparentiam veritatis, ut verum approbari non potest, quod majorem falsitatis apparentiam habere cognoscitur : atqui minùs probabilis opinio majorem habere falsitatis apparentiam cognoscitur; ergo, etc. Quemadmodùm quis, debili in luce judicans oblatum pannum probabiliùs esse nigri coloris, non potest sibi persuadere coloris esse rubri; sic, qui sequitur opinionem minùs probabilem, non potest habere moralem certitudinem de honestate actûs sui, quæ tamen moralis certitudo, ex dictis, necessaria est ut quis agendo non peccet.

Prob. 5.° Probabilismus, ut innumera alia prætermittam, christianæ prudentiæ contrarius, soli innititur prudentiæ carnis, occasionemque dedit, ob enormem extensionem, lugendæ morum laxitati. Quot enim indè natæ sunt opiniones horrendæ! Quot damnatæ propositiones! Sic ex Probabilismi principiis docuerunt plurimi hominem, in toto vitæ decursu, actum divini amoris elicere non teneri; condonationem injuriarum non esse præcepti, sed consilii; licitum esse mortem patris appetere ob emolumentum temporale, puellæ abortum sibi procurare ut infamiam devitet, concubinario retinere concubinam, ne, eâ dimissâ, vitam agat tristiorem, etc.

Colliges ex dictis nemini licere consilium dare, secundùm opinionem quam minùs tutam minùsque probabilem judicat, quia nemini licet consulere actum illicitum.

Obj. 1.° *adversùs secundam et tertiam propositionem :* Matth. c. 11, Christi jugum suave est, et onus leve : atqui hâc nostrâ sententiâ jugum Christi asperum facimus, et onus grave; ergo, etc. Aliundè ex regulâ Juris : *Odia sunt restrin-*

genda, favores ampliandi; ergo, in concursu duarum opinionum, præferri potest quæ libertati favet, sive sit æquè vel minùs probabilis.

Resp. 1.° talem istorum principiorum interpretationem horrendis, in materiâ morum, sententiis viam aperire, quas reipsâ docuêre nonnulli Casuistæ laxiores, censuræ verò subjecerunt Sum. Pontifices et Clerus Gallicanus.

Resp. 2.° *Ad primum, dist.* Suave est Christi jugum, quatenùs tale per gratiam efficitur, *conc.;* quatenùs unicuique licitum est quod velit facere, atque istud etiam quod probabiliùs judicat esse peccatum, *nego.* Hæc enim laxior doctrina apertè contradicit sententiæ Christi, Matth. c. 7, ℣. 14: *Quàm arcta via est, quæ ducit ad vitam!*

Ad secundum, dist. ant. Et illa regula valet tantùm in dubiis facti, de admissione criminis; et cùm agitur de infligendâ pœnâ, *conc.;* valet etiam in dubiis de licito vel illicito, *nego.* Statuunt quidem Jura ut, cùm agitur de pœnâ criminibus non omninò certis infligendâ, mitior opinio teneatur; sed, nedùm nobis noceat hæc dispositio, imò verò maximè favet; fundatur enim in nostrâ Juris regulâ: *In dubiis pars tutior eligenda;* quia nempè, in dubiis de pœnâ infligendâ, tutius est partem sequi benigniorem; etenim tutius est exponere se periculo absolvendi reum, aut mitiùs puniendi, quàm periculo innocentem condemnandi, aut reum ultra meritum puniendi. Hinc ista Juris altera regula: *In re dubiâ benigniorem interpretationem sequi non minùs justius est quàm tutius.*

Obj. 2.° Celebris hæc regula Juris, *in dubiis melior est conditio possidentis,* sicuti valet in materiâ justitiæ, ita et in quâvis aliâ materiâ;

undè, quisque in suâ libertatis possessione legitimâ existens, si dubium posteà suboriatur an lex positiva lata sit, v. g., an votum castitatis emiserit, suâ nubendi libertate privari non debet. Nec aliâ ratione uxor, quæ dubitat de validitate matrimonii, viro petenti debitum reddere potest, quàm quia suam possidet libertatem. Enim verò quæ potior sit ratio, cur in unâ magìs quàm in aliâ materiâ valeat prædicta regula, non satis apparet.

Resp. Nego ant. et ejus prob. Ut enim certa sit totius hujus argumenti falsitas, satis est quòd, in dubio de existentiâ legis, possessio non sit pro libertate: atqui, in tali dubio, possessio non est pro hominis libertate; possessio quippe libertatis est jus quod libuerit faciendi: atqui, in dubio de existentiâ legis etiam positivæ, de quâ præsertìm disputant adversarii, non habeo jus quod libuerit pro nutu faciendi: etenim, in dubio an existat lex, v. g., jejunii, dubito an obligatus sim ad jejunium; in dubio an castitatem voverim, dubito an ad servandam castitatem tenear, an licitum vel illicitum mihi sit matrimonium, et ideò dubito an libertate, quâ ad utrumlibet, ad matrimonium contrahendum vel non contrahendum, anteà fruebar, nunc privatus sim: sed, qui dubitat, an suâ libertate, suoque jure ad utrumlibet, sit privatus, seu an tale jus retineat, hoc ipso jus non habet quidquid libuerit faciendi, aliàs se exponeret periculo non faciendi id ad quod est obligatus.

Undè hæc primò occurrit discriminis ratio inter justitiæ materiam et quamlibet aliam, quòd, in materiâ justitiæ, stante dubio de proprietate rei, certa possit esse possessio mea, contrà verò, suborto dubio in quâvis extra justitiam materiâ,

utrùm, v. g., castitatem voverim, hoc ipso dubium nascatur de meâ libertatis ad matrimonium contrahendum possessione, cùm dubitem an memet astrinxerim ad non nubendum. Altera est disparitatis ratio, quòd, in materiâ justitiæ, possessio dubium tollat aut saltem minuat, quia rei possessor legitimè præsumitur illius dominus, quatenùs, moraliter loquendo, meum est quod apud me est, nisi contrarium probetur; idcircò favet altera regula : *In dubio standum est pro quo stat præsumptio.* Verùm in aliâ materiâ, quæcunque fingatur libertatis possessio, talem præsumptionem facere non potest : v. g., qui dubitat an voverit castitatem, et ideò an uxorem ducere queat, quidquid sit de ejus libertatis possessione, nulla tamen præsumptio fundatur, undè inferat se non vovisse.

Perperàm verò supponitur ideò mulierem, in dubio primitùs subsistente de validitate matrimonii, marito petenti debitum reddere posse, quia suam possidet libertatem; si enim hæc ratio esset, non solùm reddere, sed et debitum ipsa petere, posset, quod ex omnibus falsum est. Legitima ergo ratio, propter quam uxor ista debitum reddere potest, ea est quam suprà attulimus sectione præcedenti, necessitas scilicet è duobus malis quod gravius est vitandi.

Obj. 3.° Licitum est sequi sententiam verè probabilem : atqui, in opinionum concursu, sententia minùs tuta, æquè vel minùs probabilis, non desinit esse verè probabilis, innixa motivo gravi cujus tota vis æqualiter subsistit; neque enim motivum grave gravitatem suam amittit ex concursu cum motivo graviori, vel saltem cum motivo æquè gravi; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Licitum est sequi sententiam verè probabilem practicè et respectivè ad operantem, *conc.;* probabilem duntaxat speculativè et secundùm se, *nego.* Similiter, *dist. min.* Opinio minùs vel æquè probabilis non desinit esse probabilis speculativè et secundùm se, innixa motivo gravi seorsìm et absolutè, *conc.;* probabilis practicè, motivo innixa gravi comparatè ad motivum gravius vel æqualiter grave in oppositum, *nego.* Item, in proposito casu, motivum grave gravitatem suam absolutam, et in mente aliorum Doctorum qui illud fortius judicant, non amittit, *conc.;* gravitatem suam relativè ad operantem, qui judicat motivum oppositæ sententiæ gravius aut æquipollens, *nego.*

Itaque 1.° motivum opinionis, quæ minùs probabilis apparet operanti, respectu ipsius non potest censeri firmum et grave, cùm intellectus ejus cognoscat et judicet tale motivum esse potiori ratione leve et falsum; ergo prudenter illud in praxi sequi non potest. Aliàs enim quælibet opinio probabilis, *quamtumvìs tenui probabilitate,* prudenter teneri posset, cùm in se non desinat esse probabilis; falsum tamen consequens, ut patet ex propositione damnatâ ab Innoc. XI quam suprà retulimus. 2.° Si opinio minùs tuta sit æquè probabilis, operans jam utriusque sententiæ oppositæ motiva judicat æqualia; ergo unam præ alterâ veram judicare non potest; ergo necessum est ut inter utramque dubius et anceps maneat intellectus: atqui, in hoc dubio de licitate actûs, pars securior teneri debet, et impleri præceptum vetans ne quis peccandi periculo se exponat; ergo, etc.

Inst. Motivum, per se sufficiens ad prudentem

assensum, semper ad eum sufficit: atqui motivum, in se et seorsìm grave, per se sufficit ad prudentem assensum; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Motivum, per se sufficiens pro quocunque casu, semper sufficit, *conc.;* per se sufficiens in quibusdam solùm casibus, *nego.* Porrò motivum, in se et seorsìm grave, tale non est pro quocunque casu, aliàs sufficeret, etiam dùm occurrit motivum certum et evidens pro oppositâ parte. Undè, sicut pondus unius libræ in se et seorsìm sufficit ad inclinandum stateræ lancem in quâ repositum est, minimè verò, si in oppositâ lance ponatur pondus duarum librarum, vel etiam unius libræ, ita de motivis contra se nitentibus dicendum.

Obj. 4.° Qui sequitur opinionem minùs tutam simulque æqualiter aut minùs probabilem, ille non agit in dubio practicè practico; sed, dubio speculativo per actum reflexum deposito, certò judicat se licitè agere; ergo omnia ferè cadunt argumenta nostra, quæ in hâc fundantur regulâ Juris: *In dubiis pars tutior est eligenda.*

Resp. Ex dictis dubium speculativum in praxi deponi non potest, nisi legitima adsit ratio: atqui ex omnibus probationibus nostris constat legitimam rarò occurrere causam deponendi dubium speculativum de honestate actùs; et reipsâ, quæ opponunt Probabilistæ principia ad deponendum in praxi dubium, nedùm certa sint, certumque possint fundare judicium practicum, dubia sunt, controversa, ac etiam falsa, ut patet ex præcedentium solutione objectionum; ergo, etc.

Obj. 5.° Potest Confessarius pœnitentem absolvere, sententiâ minùs tutâ minùsque probabili utentem; ergo et ipse eamdem sequi potest.

Resp. Dist. ant. Si pœnitens ipse opinionem hanc minùs probabilem judicet, *nego.;* si hæc opinio, judicio Confessarii minùs probabilis, ipsi pœnitenti probabilior videatur, *subdist.* Si talis opinio sit in materiâ communiter apud eruditos controversâ, *conc.;* secùs, *nego.* Etenim, ubi agitur de materiâ controversâ, pœnitens, omnibus seriò perpensis, prudenter judicare potest opinionem, quæ Confessario minùs probabilis apparet, esse probabiliorem, et consequenter non peccat eam sequendo; ipsi ergo denegari non potest absolutio; nec tunc Confessarius ipse sequitur opinionem minùs probabilem, sed solùm permittit pœnitentem eam sequi opinionem quæ sibi probabilior, Confessario autem minùs probabilis, videtur; si verò sententia, quam sequitur pœnitens, ipsi sicut et Confessario minùs probabilis videretur aut dubia, tunc non esset absolvendus; similiter denegandum esset absolutionis beneficium, si Confessarii opinio manifestè probabilior esset, talisque videretur omnibus bonæ notæ Theologis, qui eam ut unicè tutam in praxi et veram judicarent.

Obj. 6.° Toto spatio unius seculi ferè integri, communis fuit in Scholis sententia quam refellimus; ergo, si ea sit intoleranda, jam dicendum est 1. toto eo tempore Ecclesiam errâsse; 2. peccâsse tum Doctores qui eam docuère, tum Fideles quia eam in praxi secuti sunt.

Resp. Etsi eo tempore communior fuerit sententia, quæ docet licitum esse sequi opinionem minùs tutam minùsque probabilem, relictâ tutiore, perperàm infertur et Ecclesiam tunc errâsse, et peccâsse quotquot eam docuerunt aut in praxi secuti sunt.

1.° Non ideò erravit Ecclesia, 1. quia nullibi definivit talem sequi sententiam licitum esse, imò Ecclesia Romana, tum in Rotâ, tum in Congregatione Concilii, tum in pontificiis Decisionibus, probabiliorem partem constanter amplexa est, atque etiam, in pluribus quas damnavit propositionibus, ipsa Probabilismi principia proscripsit. 2. Quia, qualescunque progressus fecisse supponatur Probabilismus, pro communi tamen Ecclesiæ Fide nunquàm haberi potuit; etenim ad summum fuit opinio : hæc autem est opinionis natura, ut, sicut potest admitti, ita et rejici ac reprobari; undè non magìs hâc in parte defecit Ecclesia, quàm Pater-familiâs permittendo ut zizania non statìm eradicarentur. Adde quòd ex iis, qui tanquam Probabilismi defensores habentur, plurimi non eum propugnaverint quo sensu à nobis impugnatur, ut ostendit *Gonzalès;* hoc unum nempè volebant, licitum esse sequi sententiam minùs tutam, quæ communiter minùs probabilis judicatur, si ipsi opinanti longè probabilior inculpatè videatur, quod quidem à Probabilismo longiùs distat.

2.° Licèt intoleranda sit quam hìc refellimus sententia, non ideò peccaverunt quotquot eam docuerunt, aut in praxi secuti sunt, si nimirùm bonâ fide et post sufficiens examen ita se gesserint. Verùm à peccato excusari non posse fatemur, qui laxiorem hanc opinionem absque sufficienti examine, vel ex studio hominibus placendi, aut ex turpi cupiditate amplexi sunt.

Ex dictis totâ præsenti quæstione juvat paucis resumere, quæ in hâc materiâ capitalia sunt, puncta.

1.° Contra conscientiam quamlibet præcipien-

tem, exceptâ conscientiâ scrupulosâ aliquâ, nunquàm agere licet. Omnis ergo conscientia strictè dicta regula est morum, quam sequi tenemur, nihil agendo contra eam.

2.° Multiplex est conscientia juxta quam agere non licet, conscientia nempè vincibiliter erronea, conscientia dubia, et conscientia minùs tuta simul et minùs aut æquè probabilis. Non omnis ergo conscientia regula est, quam sequi possumus agendo juxta eam.

3.° Ad non peccandum in quovis actu requiritur conscientia practicè recta et moraliter certa, saltem quoad nos. Sola ergo conscientia practicè recta moraliterque certa, saltem quoad nos, regula est morum, quam sequi possimus et teneamur agendo juxta eam.

TRACTATUS

DE LEGIBUS.

QUINQUE proponuntur capita. In primo videbimus quid et quotuplex sit lex; in secundo, an omnis lex, etiam humana, obliget in conscientià; in tertio, ad quid obliget; in quarto, quos obliget; in quinto, quomodò cesset obligare.

CAPUT PRIMUM.

Quid et quotuplex sit Lex.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Lex.

NOMINE legis intelligitur regula quædam, quæ ita dirigit actus humanos, ut etiam obliget ad aliquid agendum vel omittendum. Definitur etiam: *Ordinatio stabilis ad bonum commune, ab eo qui curam habet Communitatis præscripta, subditos obligans post promulgationem.* Hæc definitio est S. Thomæ.

Dicitur 1.° *ordinatio,* quia lex vim habet subditos ordinandi et dirigendi, et ipsis quæ visum fuerit præscribendi.

Dicitur 2.° *in bonum,* quia omnis lex essentialiter in bonum tendit, ita ut lex prorsùs nulla

sit, si malum præcipiat; nam potestas data est superiori à Deo non ad destructionem, sed ad ædificationem.

Dicitur 3.° *ad bonum commune*, per quod significatur quòd lex imponitur alicui Communitati, et non uni vel alteri personæ; non sufficit enim ut ea Communitas sit imperfecta, qualis est familia, sed requiritur ut sit Communitas perfecta, quæ scilicet sit capax politicæ gubernationis, seu quæ gubernetur per publicam potestatem, habentem proprium tribunal et forum externum, in quo subditi litigantes possint contendere et judicari, et etiam inviti cogi ad observantiam legum : talis est Ecclesia universalis, Diœcesis, Ordo Religiosus, Regnum, Provincia, Civitas.

Neque tamen necessarium est quòd lex semper obliget totam Communitatem et singula illius membra, sed potest aliquandò sic ferri, ut obliget solùm omnes et singulos talis conditionis, vel officii, vel loci, v. g., Clericos, Magistratus, Plebeios, certos artifices in tali parte Civitatis habitantes, dummodò tamen id redundet in bonum Communitatis.

Dicitur 4.° *ab eo qui habet curam Communitatis præscripta*; quia, cùm lex habeat vim cogendi totam Communitatem pro quâ fertur, certè ferri debet à legitimo superiore, id est, ab eo qui habet curam talis Communitatis : undè Pater-familiâs præcepta quidem ferre potest, non verò leges, quia lex respicit Communitatem, non verò solam familiam. Contrà verò Summus Pontifex pro totâ Ecclesiâ, Episcopus pro suâ Diœcesi, hi omnes qui jurisdictionem habent quasi episcopalem, ut Abbates aliqui, pro locis sibi subditis, leges ecclesiasticas ferre possunt; item

leges civiles possunt sancire, Imperator pro toto imperio, Rex et quivis Princeps ac Respublica superiorem non agnoscens, pro suis ditionibus.

Hodiè in Galliâ potestatem legislativam collectivè exercent Rex, Cœtus Parium *(la Chambre des Pairs)*, et Conventus deputatorum ex præfecturis *(la Chambre des Députés des départemens)*, juxta eum quem præscribit modum Charta Constitutionalis.

At Rex solus Edicta et Statuta profert quæ ad legum exsecutionem, sanctionem et promulgationem spectant, juxta ejusdem Chartæ Constitutionalis dispositionem.

Dicitur 5.° *obligans*, et per hoc lex differt à consiliis superiorum, quæ ordinariè non obligant sub pœnâ peccati.

Dicitur 6.° *obligans subditos*, quia, cùm lex sit actus jurisdictionis, in subditos tantùm ferri potest, ut patet tum ex Jure canonico, tum ex Jure civili.

Animadvertendum tamen, juxta Codicem nostrum civilem, tres esse legum species : scilicet, leges politiæ et securitatis, leges circa immobilia, et leges quæ statum et capacitatem civium definiunt.

Porrò leges politiæ eos omnes obligant qui nunc intra regni fines versantur; leges circa immobilia iis etiam immobilibus applicari debent quæ possidentur ab alienigenis. Leges tandem postremæ speciei ad omnes Gallos extenduntur, etsi actualiter extra patriam sedem suam habeant; art. 3 Cod. civ.

Dicitur 7.° *obligans post promulgationem*, id est, publicationem. Ratio est quia imperia, qualis est lex, essentialiter postulant subditis proponi

ac denuntiari ab imperante ut imperans est, et ideò lex nondùm promulgata nullam vim habet, etiamsi decreta sciatur à superiore, aut publicationi mandata.

È contrà verò lex sufficienter promulgata suam vim statìm acquirit, quamvis actu et de facto non obliget eos qui talem invincibiliter ignorant.

Porrò ad sufficientem legis promulgationem requiritur tantùm ut Legislator Communitati denuntiet se velle hoc vel illud ab omnibus fieri; neque requiritur ut omnibus et singulis personis denuntiet, sed sufficit ut semel publicè, v. g., in Curià suà, denuntiet; sic enim à præsentibus ad absentes notitia legis deferetur.

Certus etiam modus et solemnitas ordinaria promulgationis fit sive per vocem ipsius Legislatoris, sive per vocem præconis, sive per insertionem illius in còrpus Juris, aut per affixionem legis scriptæ in publico loco, etc. Potest tamen determinari vel ab ipso Jure, vel ex consuetudine receptà simul cum voluntate Legislatoris, si Juri vel consuetudini derogare possit.

In Gallià, legis promulgatio fit per insertionem illius in Tabulas legum, quas vernaculè nuncupamus, *Bulletin des Lois*; hæc autem promulgatio publica censenda est, nempè:

In præfecturà in quà Rex sedet, uno tantùm die postquàm ex regià typographià delatæ sunt Tabulæ legum ad Ministrum pro justitià (*le Ministre de la Justice*), qui diem receptionis scripto consignari curat.

In cæteris verò præfecturis, promulgatio est publica post idem temporis spatium, cui addideris totidem dies quot sunt dena myriametra, seu 20 leucæ circiter, inter præfecturæ cujusque urbem

urbem principem, et locum ubi promulgatio legis primùm facta fuerit. Vid. art. 1. Cod. civ. et art. 1, 2, 3 Decreti regii 27 septembris 1816.

Attamen si Regi, in certis rerum circumstantiis, vel in certis locis, promulgationem legis accelerandam esse visum fuerit, tùm Præfecti, statìm post receptam legem seu edictum regium, illam typis mandari decreto statuunt et locis publicis affigi, et quâ quidem publicatione lex exsecutionem suam sortitur; art. 1 et 2 Decreti regii 18 januarii 1817.

Adverte 1.° Lex, ut jam diximus, *justa* esse debet; hanc autem conditionem legi essentialem optimè explicat S. Thomas, ex consideratione quadruplicis causæ legis; scilicet, lex justa esse debet ex parte *causæ efficientis*, ex parte *causæ finalis*, ex parte *materiæ* et ex parte *formæ*. Ac 1. quidem ex parte *causæ efficientis* lex erit injusta et nullius valoris, si Legislator non habeat legitimam auctoritatem condendi legem, qualis est tantùm suprema potestas, et quæ ejus habet quodammodò participationem vel Jure, vel consuetudine, vel privilegio et concessione. 2. Ex parte *finis* lex erit injusta et nullius valoris, si id quod per legem præcipitur ex se non tendat aut redundet in bonum Communitatis, saltem probabiliter apparens. 3. Ex parte *materiæ* lex erit injusta ac nullius valoris, si id quod per legem præcipitur sit iniquum et superiori legi contrarium; tunc enim sine peccato servari non posset; lex injusta etiam censebitur, si præcipiat impossibilia. 4. Ex parte *formæ* lex erit injusta et nullius roboris, si imponat subditis onus excedens necessitatem publicam, vel si illud onus imponat, non servatâ justâ distributione ac pro-

portione, v. g., si æquale onus imponat diviti et inopi.

Adverte 2.° In omni lege reperitur *imperium* seu *præceptum ;* ad præceptum autem tria requiruntur; 1. judicium superioris quo statuit ac decernit expedire ut subditi ad aliquod faciendum obligentur; 2. voluntas efficax obligandi subditos; 3. imperium quo superior suis subditis denuntiat hanc suam voluntatem.

Adverte 3.° Lex debet esse *præceptum stabile*, per quam conditionem lex differt à præcepto seu mandato, quod aliquandò datur Communitati pro brevi tempore, v. g., ne quis tali horâ domo exeat; ut cives dato signo armati exeant ad fugandum hostem; ut, quicunque noverit eum qui nuper incendit vel diripuit domum, teneatur indicare sub pœnâ excommunicationis, etc.; hæc enim et similia sunt mandata quæ dantur per modum personalis præcepti, et quæ, ex communi Doctorum consensu, expirant per mortem mandantis: at verò lex stabilitatem ac perpetuitatem habet tum ex parte ipsius Legislatoris, quia, eo mortuo vel ab officio amoto, lex non amovetur, tum ex parte subditorum, quia obligat Communitatem de se perpetuò, et consequenter non tantùm præsentes, sed etiam futuros statìm atque incipiunt esse membra Communitatis. Dixi, *de se perpetuo ;* non enim eo sensu stabilis est quòd non possit abrogari, sed quòd obliget donec abrogetur.

Adverte 4.° deniquè quòd lex naturalis obligat tantùm post usum rationis, quia non promulgatur neque innotescit ante usum ipsum rationis, sed post ipsius usum statìm irradiat intellectui, et tunc est sufficienter promulgata.

ARTICULUS II.

De Divisione Legis.

Lex in genere dividitur 1.° in *naturalem* et *positivam*. 2.° Positiva dividitur in *divinam* et *humanam*. 3.° Lex divina dividitur in *veterem* et *novam*. 4.° Lex humana dividitur in *canonicam* et *civilem*. 5.° Lex civilis divitur in *jus civile* et *jus gentium*.

Et 1.° quidem lex dividitur in *naturalem* et *positivam*.

Lex *naturalis* vel consideratur in Deo, vel in ipsâ creaturâ; si consideretur in Deo, tunc vocatur lex æterna; lex autem æterna propriè dicta est suprema Dei ratio, quâ judicat quid creatura rationalis agere vel fugere debeat. Dixi, *lex æterna propriè dicta*, quia si latè sumatur, est suprema Dei ratio per quam Deus universum mundum gubernat, ut ait S. Augustinus; undè omnes creaturæ, sive rationales sive irrationales, legi æternæ subjiciuntur, sed diverso modo; nam creaturæ irrationales subjiciuntur tantùm legi æternæ per naturalem inclinationem, ideòque necessariò; creaturæ verò rationales per rationem et judicium, ideòque liberè.

Lex etiam naturalis, prout consideratur in creaturâ rationali, definitur dictamen seu lumen naturæ rationalis omnibus hominibus ab ipso Deo impressum et insitum, quo dictamine cognoscimus ea quæ facienda sunt et fugienda.

Undè patet legem naturalem esse participationem legis æternæ, et velut irradiationem divini vultûs, id est, sapientiæ divinæ, juxta illud Psalmi 4, ℣. 7: *Signatum est super nos lumen*

vultûs tui, Domine. Quamobrem ipsa lex naturalis potest vocari divina, tum quia ab ipso Deo in cordibus nostris imprimitur, tum quia per legem naturalem cognoscimus non solùm ea quæ naturæ rationali convenientia et disconvenientia sunt, sed etiam quæ placent et displicent Deo ut Gubernatori et Legislatori.

Circa legem naturalem duo alia potissimùm quæruntur: 1.° quænam præcepta ad legem naturalem pertineant; 2.° an lex naturalis aliquâ ratione sit mutabilis: quæ duo hic obiter solvenda sunt. Itaque

Resp. ad 1.um Omnia præcepta Decalogi, exceptâ circumstantiâ diei sabbati, pertinent ad legem naturalem, sicut et alia omnia præcepta quæ præscribit recta ratio sive dictamen naturæ rationalis. Illorum autem præceptorum alia sunt primaria, quæ et dicuntur prima principia per se nota, v. g., *Bonum est amplectendum et malum fugiendum, Deus est colendus, Parentes honorandi, Nemini facienda injuria,* etc.; alia sunt secundaria, quæ ex primis principiis deducuntur, v. g., *Fugienda sunt mendacium etiam officiosum, usura,* etc. Prima porrò principia juris naturalis sunt eadem apud omnes, nec circa ea dari potest ignorantia invincibilis; secundaria verò non eadem sunt apud omnes, atque invincibiliter ignorari possunt: undè nonnulli quasdam actiones ut peccatum reputant, quas alii licitas judicant; sic quidam Ecclesiæ Doctores aliquandò putàrunt illicitum non esse mendacium officiosum, quod nunc omnes vetitum consentiunt.

Resp. ad 2.um Legi alicui duobus præsertim modis mutatio potest accidere: 1.° per *additio-*

nem, cùm ei nova lex superadditur; 2.° per *substractionem*, cùm aliquid, quod erat de lege, de lege esse desinit. Hæc autem substractio multipliciter contingit: 1.° per *derogationem*, cùm pars legis tollitur, alterâ vim suam retinente; 2.° per *abrogationem*, cùm lex omninò tollitur; 3.° per *dispensationem*, cùm obligatio legis relaxatur respectu personæ particularis, quæ aliàs lege teneretur.

Jam verò 1.° certum est legem naturalem mutari posse *per additionem*, quia ipsi de facto additæ sunt variæ leges positivæ, tum divinæ tum humanæ, quibus multa prohibentur aut imperantur, quæ lege naturali nec vetita erant nec præcepta, sed simpliciter permissa: suppositis autem iis legibus positivis, jam ipsa lex naturæ prohibet aut præcipit quæ ab illis prohibentur aut imperantur, quia generatìm dictat legitimis superiorum legibus esse obsequendum.

2.° Ex communiori sententiâ, lex naturæ per *substractionem* mutari non potest; si enim ita mutaretur lex naturalis, vel per abrogationem vel per derogationem, vel per dispensationem: atqui nihil horum dici potest; non primum: mutari quippe per abrogationem, est desinere quoad omnes suî partes: atqui lex naturæ quoad omnes suî partes tolli nequit, cùm omnia ejus præcepta, tum primaria tum secundaria, necessariò sint inter se connexa, tamque necessariò vera, quàm ipsa lex æterna undè dimanant, et nihil vetent aut præcipiant nisi quod ex naturâ suâ malum est aut bonum. Non secundum: quia, cùm necessaria sit quoad omnes suas partes, non magis ex unâ parte quàm ex alterâ tolli potest. Non tertium, quia nec ipse Deus *directè et pro-*

priè dispensare potest à lege naturali; etenim propriè dispensare in lege, est liberare aliquem ab obligatione legis, manentibus circumstantiis omnibus sub quibus lex viget et obligat, seu est alicui permittere ut agat aliquid jure naturali vetitum, vel omittat quod eodem jure præceptum est, et quidem in iis circumstantiis in quibus prohibetur aut præcipitur: atqui Deus istud permittere non potest; aliàs permitteret et concederet fieri quod est intrinsecè malum, vel omitti quod ex naturâ rei necessarium est ad honestatem morum, et cujus omissio dedecet naturam rationalem, quod certè divinæ sanctitati et sapientiæ repugnat. Enim verò, si Deus, v. g., mentiendi licentiam alicui concedere posset, quidni et mendacium præcipere? Quidni et ipse mentiri? Quidni et de facto supponi posset mentitus in iis quæ per Scripturas revelavit? Quod quàm horrendum sit nemo non videt.

Dixi, *directè et propriè*, Deus enim impropriè dispensare potest in iis legis naturæ præceptis quorum materia pendet à dominio Dei, quatenùs materiæ legis quasdam apponere potest vel tollere conditiones, quibus positis aut sublatis, actiones jam non sunt lege naturali prohibitæ vel præceptæ. Sic Deus, prout supremus rerum ac jurium omnium creaturarum Dominus, Abrahamo præcepit ut filium innocentem immolaret, et Hebræis ex Ægypto egredientibus tribuit jus vasa Ægyptiorum usurpandi. Nempè justa est occisio innocentis auctoritate Dei facta, qui pro libito de vitâ hominum disponere potest; eâdem summâ auctoritate bona Ægyptiorum ad Hebræos potuit transferre, et reverà transtulit Deus; quo jure dato, acceptio non fuit boni alieni, sed boni

quod fuerat alienum, et quod, per donationem Dei, factum erat proprium accipientis, etc. In iis verò præceptis quorum materia non pendet à dominio Dei, ne impropriè quidem dispensare potest; sic dispensare nequit in odio Dei, in blasphemiâ, idololatriâ, perjurio, etc., quia illi actus ita sunt intrinsecè mali, ut nullâ prorsùs circumstantiâ possint cohonestari.

Ex duplici responsionis parte colliges aliquid dupliciter esse de jure naturali, *permissivè* scilicet, vel *præceptivè*. Illud est de jure, naturali *permissivè*, quod lex naturalis nec præcipit nec prohibet, sed permittit fieri, aut aliter de eo statui; illud est de jure naturali *præceptivè*, quod ab ipso præcipitur vel prohibetur, ac proindè cujus oppositum à nullo statui potest.

Lex *positiva* est ea quæ verbo vel scripto in tempore lata fuit, vel à Deo, vel à creaturâ rationali.

Quæ fuit lata in tempore à Deo vocatur lex *positiva divina*; illa verò quæ fuit lata ab hominibus vocatur lex *positiva humana*.

Lex *divina positiva* definitur lex voce vel scripto à Deo lata in tempore.

Lex autem positiva divina differt à lege naturali, quòd lex naturalis non fuit scripto vel voce lata, sed in cordibus nostris à Deo impressa et nobiscum nata est.

Lex divina positiva dividitur in *veterem* et *novam*; nullam enim aliam hominibus exteriùs dedit legem Deus quàm veterem et novam; nam, ab Adamo usque ad Moysen, homines solâ lege naturali dirigebantur, et ideò totum hoc tempus dici solet tempus legis naturæ; posteà verò Deus per Moysen tulit ac promulgavit legem pro Israelitico populo : undè illud tempus à Moyse usque

ad Christum vocatur tempus legis scriptæ seu legis veteris. Vocatur lex scripta, vel quia in tabulis lapideis digito Dei scripta est, vel quia in Pentateucho operâ Moysis exteriùs descripta est. Vocatur etiam vetus, quia post mortem Christi abrogata est quoad præcepta cæremonialia et judicialia; et, ut ait Apostolus, ipsa lex vetus inveterata est ac penitùs mortua, tum quoad obligationem, tum quoad efficaciam : imò et post sufficientem per totum orbem Evangelii promulgationem facta est observatoribus mortifera, ita ut deinceps usus legalium seu cæremoniarum legis factus sit superstitiosus et illicitus.

Lex vetus tria præceptorum genera continebat : 1.° moralium, ad compositionem morum; 2.° cæremonialium, ad externum Dei cultum; 3.° judicialium, ad justitiæ conservationem inter homines : licèt autem præcepta cæremonialia et judicialia nunc sint abrogata, ut jam diximus, non tamen præcepta moralia, quæ in novâ lege observanda sunt sicut et in veteri : undè Christus aiebat : *Non veni solvere legem, sed adimplere;* Matth. c. 5, ℣. 17.

Veteri autem legi successit *nova* et *evangelica* à Christo Domino, Deo et homine, lata, non pro uno populo, sed pro omnibus ubiquè gentium. Tria etiam genera præceptorum continet, scilicet 1.° morum, 2.° fidei magis explicitæ, 3.° sacrificii ac sacramentorum. Hæc igitur lex, ad consummationem usque seculi duratura, appellari solet lex gratiæ scripta in tabulis cordis, quia id proprium habet, ut ex vi statûs sui et specialibus promissionibus gratiam, eamque abundantiorem, conferat, quâ voluntas faciliùs inclinatur ad legem implendam.

Lex humana dividitur in *canonicam* et *civilem*, quia omnis lex humana est aut à Republicâ aut à Principe in bonum temporale subditorum directè constituta, et dicitur *civilis*; aut ab Ecclesiæ Prælatis, v. g., à Summo Pontifice pro universo orbe, vel ab Episcopo pro suâ diœcesi, in bonum spirituale subditorum, et dicitur lex *canonica* seu *ecclesiastica*.

Lex civilis dividitur in *jus civile* et *jus gentium*, quia omnis lex civilis vel est unius Civitatis aut Provinciæ aut Regni, et dicitur strictè *jus civile*; vel est omnium aut ferè omnium gentium, et dicitur *jus gentium*; v. g., admittere Legatos sub conditione securitatis, item admittere inducias seu fœdera pacis, item posse liberè inire contractus cum externis non inimicis, et alia similia quæ sunt apud omnes ferè gentes introducta, non quidem scriptâ lege, sed usu et moribus, et quæ proindè sine causâ si quis impediret, violaret jus gentium.

Porrò advertendum est quòd lex etiam dividi potest in *præcipientem* et *prohibentem*, quia omnis lex vel præcipit bonum vel prohibet malum: lex *præcipiens* dicitur communiter præceptum affirmativum, quia exprimitur per affirmationem, v. g., *Honora patrem tuum*, etc.; lex *prohibens* dicitur præceptum negativum, quia per negationem exprimitur, v. g., *Non occides*. Utrumque præceptum affirmativum et negativum obligat quidem *semper*, quandiù non est revocatum; non autem *pro semper*, sed duntaxat negativum quia rem prohibitam tenemur semper et omni tempore omittere; rem autem præceptam tenemur semper, sed suo tempore facere.

CAPUT II.

An omnis Lex, etiam humana, obliget in conscientiâ.

Nota 1.° obligationem legis spectari posse vel solùm pro foro externo et coram hominibus, vel etiam pro foro interiori conscientiæ et coram Deo.

Rursùs obligatio in conscientiâ triplex distingui potest: 1. sub peccato, ita ut, qui transgreditur legem, peccet; 2. sub pœnâ, ita ut, qui transgreditur legem, verè et coram Deo incurrat pœnam etiam civilem vel canonicam à lege impositam; 3. sub nullitate actûs, ita ut, si quis transgrediatur legem directè prohibentem et irritantem aliquem actum, vel non servet formam essentialem actûs à lege præscriptam, hujusmodi actus sit etiam coram Deo invalidus, nullus, ac planè irritus.

Nota 2.° nullum posse esse dubium quin, omnis lex divina obligare possit in conscientiâ, tum sub culpâ mortali aut veniali, tum sub pœnâ sive æternâ sive temporali, tum etiam sub nullitate actûs, si illum directè vel indirectè irritet. Ratio est evidens, quia non deest auctoritas in Deo ad hanc triplicem obligationem inducendam.

Nota 3.°, cùm nullum possit esse dubium de legibus divinis, totam quæstionem reduci debere ad leges humanas, sive canonicas sive civiles, an scilicet obligent, 1. sub culpâ, 2. sub pœnâ, 3. sub nullitate actûs.

ARTICULUS PRIMUS.

An Lex humana obliget sub culpâ.

Tria hìc exponenda sunt : 1.° an lex humana obliget sub culpâ ; 2.° quandonàm obliget sub peccato mortali vel veniali ; 3.° an in omni casu obliget sub periculo vitæ.

PROPOSITIO PRIMA.

Lex non solùm ecclesiastica sed etiam civilis obligare potest subditos in conscientiâ sub pœnâ peccati.

Prob. ex Script. Rom. c. 13, ℣. 1 : *Omnis anima* (id est, omnis homo) *potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et iterùm, ℣. 2 : *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Item ibi additur ratio, quia scilicet Princeps est Dei minister, ideòque illi obediendum non solùm propter iram et timorem pœnæ, sed etiam propter conscientiam et timorem culpæ seu peccati. Item ex I Petri c. 2, ℣. 13 et 15 : *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi,* etc... *quia sic est voluntas Dei.*

Quæres utrùm omnis lex humana obliget sub culpâ, et utrùm nulla sit merè pœnalis.

Resp. plures Theologos docere legem merè pœnalem dari posse, sed difficultas est utrùm de facto detur. Certè vix reperiri potest hujusmodi lex pœnalis tam in Jure canonico quàm in civili ; si qua tamen inveniatur quæ purè pœnalis videri possit, his dignosci poterit an reverà talis sit.

1.° Quidem ex formâ legis; nam, si nihil præcipiat aut prohibeat, sed tamen aliquid præscribat, v. g., *qui extulerit de Regno triticum, solvat decem libras,* illa lex erit merè pœnalis, quia non importat præceptum aut prohibitionem. (Id autem nemo dictum putet de legibus circa portorium, gallicè *lois de douane,* quæ certam pecuniæ summam mercibus tum invehendis tum exportandis irrogant : hæc enim solutio non ut pœna sed tributi instar imponitur.

2.° Cognosci potest ex materiâ legis; si enim pertineat ad bonos mores, et necessaria ac utilis sit ad prohibenda vitia, tunc magna est præsumptio eam ferri cum intentione obligandi : tales censeri dicuntur omnes leges ecclesiasticæ.

3.° Dignosci poterit ex pœnâ appositâ; nam, etsi nihil lege præcipiatur aut prohibeatur, tamen ob gravitatem pœnæ, mortis, v. g., excommunicationis, suspensionis, etc., lex censetur obligare sub peccato, quia gravis pœna supponit culpam.

4.° Deniquè cognosci potest ex generali aliquâ declaratione Legislatoris; si enim significet se nolle obligare sub peccato, ut faciunt superiores aliquorum Ordinum religiosorum, erit merè pœnalis.

Cæterùm lex etiam purè pœnalis, si remotè spectetur et quoad pœnam quam decernit, verè obligat sub culpâ; qui enim eam legem violat, tenetur in conscientiâ, post sententiam Judicis, statutam subire pœnam (vide art. sequentem); si verò spectetur penes actum qui proxima ejus est materia, non obligat sub peccato.

PROPOSITIO II.

Lex humana obligat sub peccato mortali, si adsit materiæ gravitas et Legislatoris voluntas.

Ratio est quia, cùm lex humana obliget in conscientiâ, ex se inducit obligationem materiæ proportionatam, et consequenter sub mortali culpâ, si materia sit gravis, nisi Legislator velit tantùm obligare sub veniali.

Dixi 1.° in propositione, *si adsit materiæ gravitas;* tunc autem materia est gravis, quandò res secundùm se spectata vel cum suis omnibus circumstantiis, præsertìm cum fine suo, censetur magni momenti. Sæpè enim evenit ut, quamvis materia legis in seipsâ levis sit, tamen prohibeatur vel præcipiatur sub gravi culpâ, ad vitandum grave damnum aut scandalum : exemplum est in legibus militaribus minuta furta militum adeò severè prohibentibus. Idem dici potest de lege ecclesiasticâ quâ quibusdam in diœcesibus prohibetur Clericis, sub pœnâ suspensionis ipso facto incurrendæ, et consequenter sub peccato mortali, ne in cauponis edant et bibant, nisi sint in itinere saltem unius leucæ constituti.

Dixi 2.°, *si sit Legislatoris voluntas obligandi sub peccato mortali;* quæ quidem voluntas cognosci potest adesse, non solùm si mentem suam clarè exprimat Legislator, sed etiam prætereà si, quandò materia est gravis, utatur verbis præceptivis, v. g., *Mandamus, Præcipimus, Prohibemus;* maximè si addat, *In virtute sanctæ obedientiæ, Sub interminatione divini judicii, Sub pœnâ indignationis Dei, maledictionis æter-*

næ, etc. Si autem verba non sint clarè præceptiva, sed ambigua, mens Legislatoris cognosci poterit ex adjectione pœnæ gravis spiritualis vel corporalis, v. g., censuræ de facto incurrendæ. Præterea mens Legislatoris cognosci poterit ex consideratione materiæ ac præsertim finis quem intendit Legislator. Deniquè id cognosci poterit ex consuetudine et piorum hominum persuasione, quæ est optima legum interpres, ratione cujus, v. g., certum est leges ecclesiasticas de jejunio vel abstinentià quibusdam diebus, de Missæ auditione, de annuà Confessione, de Communione, Paschali, etc., obligare sub peccato mortali.

Notandum tamen transgredi legem, etiam in re levi, mortale esse, si fiat ex contemptu formali Legislatoris, ut Legislatoris, quod quidem contingit quandò violatur præceptum quia præceptum est. Ita S. Thomas 2.ª 2.æ, quæst. 186, art. 9, ad 3.um; ratio est, quia talis contemptus redundat in Deum, à quo procedit omnis auctoritas Legislatoris.

PROPOSITIO III.

Lex humana ordinariè non obligat cum periculo mortis, mutilationis, aut gravis infamiæ, vel notabilis damni.

Ita communiter omnes Canonistæ.

Prob. Quia tam rigorosa obligatio ordinariè necessaria non est ad bonum commune, ideòque excedit potestatem Legislatoris, qui solùm præcipere potest moraliter possibilia secundùm hominum naturam et conditionem; et, quamvis aliquandò non sit evidenter supra Legislatoris potestatem, qui præcipere potest aliquandò sub pœnâ mortis, tamen censetur ordinariè esse præ-

ter illius voluntatem, quia voluntas prudens non vult obligare quantùm potest, sed cum moderatione et benignitate. Hinc leges jejunii, abstinentiæ, Missam audiendi, etc., verè non obligant sub periculo vitæ, aut sub gravi incommodo.

Dixi, *ordinariè,* quia aliquandò lex humana obligat cum periculo mortis, idque in duplici casu: 1.° si legis transgressio cessura sit in gravissimum damnum Reipublicæ: tunc enim, v. g., miles cum evidenti periculo vitæ tenetur stationem non deserere. Item Episcopus potest Presbyteris præcipere ne tempore pestis urbem deserant; idemque Respublica potest præcipere Medicis. 2.° Si legis transgressio cessura sit in contemptum potestatis Legislatoris, aut fidei ac Religionis christianæ detrimentum, aut in aliorum scandalum; v. g., si tyrannus in contemptum Religionis jubeat Sacerdoti sacrificare sine vestibus sacris; vel si in contemptum legum ecclesiasticarum jubeat die prohibito carnes manducare, etc.: in prædicto enim duplici casu ipsa lex naturæ dictat legem humanam obligare, et etiam esse servandam cum propriæ vitæ dispendio.

ARTICULUS II.

An Lex humana obliget sub Pœnâ.

Nota 1.° legem humanam duplici modo posse imponere pœnam: 1. ut ferendam sententiâ Judicis, v. g.: qui hoc fecerit, privabitur beneficio; et ideò ad hanc pœnam subeundam lex non obligat in conscientiâ, nisi post condemnationem. 2. Lex humana imponit pœnam ut ipso jure latam, et ipso facto incurrendam statìm post patratum delictum, non exspectatâ Judicis condem-

natione, v. g. : qui hoc fecerit, sit ipso facto privatus beneficio. De tali pœnâ tota est quæstio, an scilicet lex illa pœnam imponens obliget in conscientiâ ad illam subeundam et exsecutioni dandam, ante sententiam Judicis declaratoriam.

Nota 2.° pœnas, quæ ipso jure imponi possunt à lege, in duplici esse differentiâ : aliæ enim sunt pœnæ quas lex non solùm per se ipsam potest statuere et ferre, sed etiam inferre et immediatè exsequi sine ullâ hominis actione; tales sunt pœnæ irregularitatum, censurarum et inhabilitatum ad aliquid, v. g., ad suffragium. Aliæ verò sunt pœnæ quæ ad suî exsecutionem requirunt aliquam hominis actionem, neque immediatè possunt infligi à lege; tales sunt pœnæ mortis, mutilationis, exilii, flagellationis, mulctæ pecuniariæ, fisco addictionis, privationis Beneficii aut dignitatis vel officii anteà acquisiti, de quibus pœnis præsertìm quæstio intelligitur. Nam, quoad priores pœnas, 1. constat irregularitates semper incurri ipso facto ante omnem sententiam. 2. Omnes etiam conveniunt quòd censuræ similiter incurruntur, quandò additur in lege, *Ipso facto, ipso jure*, vel aliquid æquivalens. 3. Doctores satis communiter censent idem dicendùm de inhabilitatibus, v. g., ad Beneficium acquirendum ob simoniam commissam. Tota ergo difficultas superest de pœnis secundi generis.

PROPOSITIO.

Lex humana potest imponere pœnam activam, ipso facto incurrendam ante omnem sententiam.

Prob. Quia lex humana potest præcipere quidquid nec malum est nec nimis grave, si aliundè

sit utile bono communi : atqui exsecutio pœnæ activæ ante omnem sententiam potest esse talis; ergo, etc.

Adverte tamen, cùm hoc valdè rigidum sit, requiri, ex usu et communi Doctorum sensu, ut lex humana exprimatur verbis adeò apertis ut aliter exponi non possit; v. g., si lex addat expressè pœnam incurrendam fore non solùm ipso facto, sed etiam statim in conscientiâ et absque aliâ declaratione vel monitione præmissâ, etc.; non enim sufficiunt particulæ, *Ipso facto, ipso jure,* et similes, quia hujusmodi particulæ, quoad pœnas activas (nisi pœnæ illæ leves sint, ut pœnitentiæ monasteriorum), non excludunt sententiam declaratoriam, sed solùm condemnatoriam, id est, important quidem condemnationem quæ fertur ex vi ipsorum verborum, et ideò, postquàm Judex declaravit aliquem esse conscium delicti, condemnatio retrotrahitur ad diem commissi delicti, ita ut reus pœnam luat et privetur, v. g., Beneficii fructibus, perindè ac si, patrato delicto, pœna fuisset exsecutioni demandata : non tamen hæ particulæ excludunt necessitatem declarationis judicialis, ut patet ex usu communi, quia, non obstantibus his particulis, solet exspectari sententia declaratoria.

Hæc sententia confirmatur ex Jure canonico, cap. *Cùm secundùm leges*, de Hæreticis, in Sexto. Cæterùm, quamvis verum sit leges humanas posse obligare in conscientiâ ad subeundam pœnam activam ante omnem declarationem, de facto tamen nulla reperitur lex civilis tali modo obligans. Aliud dicendum est de legibus ecclesiasticis : quædam enim *ipso jure* irritant actum vetitum, ut matrimonium clandestinum;

vel reum inhabilem reddunt, ut Clericum ad Beneficium possidendum, aut ad suscipiendos Beneficii reditus, si per simoniam realem illud obtineat, aut horas non recitet: illæ enim effectum suum sortiuntur ante sententiam declaratoriam; undè clandestinè conjuncti debent statim separari; Simoniacus realis Beneficium dimittere tenetur, perceptosque fructus restituere, etiam non exspectatâ Judicis declaratione.

ARTICULUS III.

An Lex humana irritans aliquem actum obliget in conscientiâ.

Nota 1.° leges humanas irritantes, aliquandò actum irritare per seipsas et ipso jure; aliquandò verò per sententiam Judicis actum irritandum decernere, v. g., si lex dicat, *Rescindatur, Annulletur,* etc.

Nota 2.° quòd, quandò accedit sententia Judicis irritans actum vel declarans esse irritum, tunc non licet, etiam in foro conscientiæ, uti illo actu, v. g., testamento per sententiam infirmato. Ratio est, quia sententia supponitur esse lata secundùm leges, proindèque ei obediendum; imò, qui actu illo uteretur, injuriam faceret alteri qui per sententiam accipit jus, v. g., ad hæreditatem possidendam.

Superest ergo quæstio de legibus irritantibus ipso facto; constat enim has habere aliquem effectum irritationis ante omnem sententiam; sed videndum est qualis sit ille effectus: an scilicet talis, ut actus nullus sit et invalidus in foro, tum externo tum interno, nullumque habeat valorem neque civilem neque naturalem; an verò talis sit,

ut, quamvis actus pro foro conscientiæ valorem retineat naturalem donec à Judice rescindatur, tamen pro foro externo nullum habeat valorem civilem, eique omnis fides et actio deneganda sit in judiciis, imò per Judicis sententiam ita sit infirmandus ac si ab initio nullus et infectus esset.

PROPOSITIO.

Leges humanæ possunt irritare actus pro utroque foro, et quoad valorem tum civilem tum etiam naturalem; idque statìm ante omnem Judicis rescissionem.

Propositio certa est, et *prob.* Quia id potest esse utile bono communi et expedire ad vitandas fraudes et alia incommoda, neque excedit potentiam Legislatoris humani, neque ulla potest afferri repugnantia; quamvis enim potestas contrahendi sit homini naturalis, potest tamen eâ privari non minùs quàm libertate.

Imò Theologi consentiunt quòd aliquæ leges humanæ de facto sic irritent plures actus pro utroque foro : 1.° quidem hæ leges quæ disertis verbis exprimunt, actum in conscientiâ nullum, irritum, et pro infecto habendum esse; vel quæ in conscientiâ impediunt dominii translationem, v. g., si dicunt *ut talis non possit in conscientiâ recipere vel tenere*. Hæ leges tamen sic expressæ raræ sunt, maximè civiles. Imò in novo Jure nostro nulla citatur lex, quæ expressè adjunctam habeat obligationem in conscientiâ. 2.° Consentiunt Theologi quasdam leges canonicas, quæ sunt circa Sacramenta vel Sacramentaria, irritare pro utroque foro, ut patet in his legibus quæ irritant matrimonia consanguineorum, etc.

Item consecrationes aut benedictiones altaris, nempè quæ factæ sunt sine formâ essentiali. Adverte tamen in Jure gallico recentiori nulla impedimenta matrimonii agnosci præter illa quæ in Codice exprimuntur.

Solùm dubitant Theologi de legibus canonicis circa quosdam actus externos et magìs temporales, ut sunt alienationes bonorum Ecclesiæ, item electiones, præsentationes Beneficiorum, collationes, item judicia, quandò fiunt sine debitis solemnitatibus; et multò magìs adhuc dubitant de legibus circa testamenta, donationes, contractus, etc. quia leges civiles præcipuè intendunt gubernationem et pacem exteriorem, et sic magìs videntur irritare tantùm pro foro externo et quoad valorem civilem.

In his autem magna est varietas opinionum quas recensere longum esset: solùm advertimus hanc opinionum diversitatem certissimum videri pluribus argumentum, quòd, quandò neque ex verbis legis, neque ex materiâ, neque ex usu constat legem tum civilem tum ecclesiasticam irritare actum in conscientiæ foro, tunc valdè probabile sit eam irritare solùm pro foro externo; istudque probant 1.° ex axiomate quod omnes Theologi recipiunt, in dubio præsumendum esse pro valore actùs, et leges irritantes strictæ esse interpretationis, nec facilè extendendas. Probant 2.° quia non est consuetudo, inquiunt, ut restituantur ea quæ ex hujusmodi contractibus, v. g., alienationibus, testamentis, habentur, nisi post Judicis sententiam; et ipsæ leges, sive ecclesiasticæ sive civiles, non videntur receptæ nisi juxta hanc moderationem: sed hâc de re fusiùs in *Tractatu de Contractibus*.

Quæres an ignorantia aut alia causa excuset à pœnâ legis, impediatve ne lex ipso facto irritans suum habeat effectum.

Resp. ad primum : 1.° Ignorantia, et omnis causa excusans ab omni culpâ, ab omni similiter excusat pœnâ ; quæ verò à gravi solùm culpâ, non autem à veniali, excusat, pariter à gravi pœnâ, non à levi, excusat ; ratio est quia, quod tollit aut minuit causam pœnæ, pœnam tollit aut minuit : atqui sola culpa causa est pœnæ per legem non purè pœnalem, de quâ hìc quæstio est, impositæ ; ergo ignorantia, aut quævis alia causa tollens vel minuens culpam, tollit vel minuit pœnam. 2.° Ignorantia etiam invincibilis solius pœnæ non excusat à pœnâ, nisi lex contumaciam requirat ; ratio est quia, qui liberè legem transgreditur ignorans solùm pœnam lege impositam, ille totam ponit pœnæ subeundæ causam, peccatum scilicet in transgressione legis positum. Hinc pœnâ mortis afficiuntur, v. g. fures, etiam ubì fortè pœnâ hâc furtum puniri invincibiliter ignorant. Dico, *nisi lex contumaciam requirat ;* ubi enim agitur de censuris, quæ omnes contumaciam requirunt, illæ non incurruntur, nisi adsit cognitio legis ecclesiasticæ sub censurâ prohibentis, quia aliàs non esset contumacia, ut diximus in *Tract. de Censuris.*

Resp. ad secundum : 1.° Si lex nonnisi in culpæ vindictam actum ipso facto irritet, quidquid excusat ab omni culpâ, eximit et ab actûs irritatione ; sublatâ quippe causâ totali, effectus quoque tollitur. Hinc, qui ex oblivione naturali, vel ex Breviarii inculpabili defectu, Horas non recitat, Beneficii fructus suos facit, et pro eo casu liberatur à lege fructuum acquisitionem irri-

tante; hinc tamen perperàm inferres eum, qui simoniæ nescius per alterius simoniam Beneficium acquirit, illud retinere posse; specialis enim Ecclesiæ lex obstat, quæ, in odium culpæ alienæ, insontem eo in casu privat Beneficio. 2.° Qui, sciens legem actum prohibentem, ignorat solùm irritationem lege impositam, irritationi subjacet, quamvis hæc in solius culpæ vindictam statuta fuerit. Eadem ratio est quæ suprà: scilicet, culpa in transgressione legis hujus posita totalis est et adæquata causa irritationis; ergo, quicunque culpam hanc admittit, irritationi subjicitur. Hinc, qui sciens et volens Horarum omittit recitationem ab Ecclesiâ præceptam, verè suos fructus non facit, licèt irritam esse fructuum receptionem ab eo qui non recitat ignoret. 3.° Invincibilis etiam ignorantiâ legis irritantis non impedit actûs irritationem, quandò immediatè propter bonum commune statuta est; istudque patet in matrimonio quod quis bonâ fide cum aliquo impedimento dirimente contraxisset; et ratio est quia leges maximi momenti, et quæ bono communi maximè sunt utiles, effectum suum prorsùs et absolutè debent habere; ergo à fortiori nec metus gravis talem impedit actûs irritationem. Aliàs enim verò homines occasionem sumerent incutiendi metum ad eludendam legem, quod bono communi multùm obesset.

CAPUT III.

De Materiâ Legum, seu quænam cadant sub obligatione Legis.

Tria hic quæruntur : 1.° quinam actus sint materia legis et sub illius obligatione cadant; 2.° an modus implendi legem cadat etiam sub obligatione legis; 3.° an etiam tempus implendi legem.

ARTICULUS PRIMUS.

Quinam actus cadant sub obligatione Legis.

Actus humani boni sunt vel mali, vel etiam indifferentes ex objecto, item interni vel externi.

Certum est dari tantùm leges de actionibus humanis ad bonum commune necessariis vel utilibus, dummodò communitati hominum et ordinariæ eorum facultati conveniant : undè sequitur præcipi etiam per leges humanas non solùm actus virtutis justitiæ, sed etiam cujuscunque alterius, non tamen nimis arduos; è contrà verò prohiberi posse actus cujuscunque vitii : sequitur deniquè prohiberi posse vel præcipi actus ex objecto indifferentes, quatenùs sunt nocivi vel utiles bono communi, sub quâ ratione fiunt per legem vel boni vel mali.

Restat igitur quæstio de actibus internis, an scilicet præcipi vel prohiberi possint per leges humanas; nam de divinâ lege, tum naturali tum positivâ, certum est de fide posse præcipi vel prohiberi actus internos.

Nota etiam quòd actus interni possunt consi-

derari vel ratione suî præcisè, vel quatenùs sunt conjuncti cum externis, quatenùs scilicet requiruntur ad moralem substantiam actuum externorum.

PROPOSITIO PRIMA.

Actus internus præcisè spectatus non cadit de facto sub lege humana.

Prob. Quia nulla lex ecclesiastica vel civilis afferri potest quæ actum internum præcisè spectatum præcipiat.

Quæres utrùm Legislator humanus possit ferre leges quæ actum merè internum præcipiant.

Resp. 1.° communiter negari de Legislatoribus civilibus, quia scilicet potestas civilis respicit tantùm bonum temporale Communitatis, ad quod nihil conducunt actus merè interni.

Resp. 2.° majorem esse difficultatem de Legislatoribus ecclesiasticis; variæ enim sunt Doctorum sententiæ: alii enim docent Ecclesiam à Christo non accepisse talem potestatem, et probare contendunt, tum quia neque in Scripturâ neque apud SS. Patres reperitur aliquod indicium hujus potestatis; tum quia 1.° Ecclesia leges ferre nequit, de quibus judicare non potest: atqui non potest Ecclesia judicare de actibus internis; ergo, etc. 2.° Potestas ferendi leges involvit jurisdictionem: atqui Ecclesia nullam habet jurisdictionem in actus internos; ergo, etc.

Alii verò asserunt Ecclesiam habere hujusmodi potestatem, quia potestas ecclesiastica respicit bonum spirituale subditorum, et hujusmodi potestas non est ab hominibus, sed immediatè à Deo, qui potestatem habet imperandi actus internos,

ternos, et videtur eam potestatem contulisse Ecclesiæ pro bono regimine subditorum. Atque ad objecta rationum momenta respondent:

Ad 1.um, *dist. min.* Ecclesia de internis non judicat, judicio forensi et cum strepitu judiciali, *conc.*; non judicat directivè, expendendo an bona sint, ut præcipiantur, an mala, ut prohibeantur, *nego*. Enimverò actus exteriores occulti verè prohibentur ab Ecclesiâ, et quidem sub pœnâ censuræ, licèt de illis in exteriori foro judicare nequeat; sicut ergo dedit Ecclesiæ Deus potestatem ferendi leges quæ obligent in conscientiâ, quamvis de conscientiâ nemo judicare queat, ita à pari potuit Deus, etc.

Ad 2.um *dist.* Involvit jurisdictionem quæ immediatè cadat in personas, mediatè verò solùm in actus, *conc.*; secùs, *nego*. Aliundè negari potest minor propositio; quid enim incommodi, si dicatur Ecclesiam in ipsos actus interiores habere jurisdictionem, non coactivam quâ exteriùs puniantur, sed directivam quâ præcipiantur?

PROPOSITIO II.

Actus interni ab humanâ potestate præcipi vel prohiberi possunt concomitanter, *quatenùs scilicet requiruntur ad moralem substantiam actuum externorum.*

Prob. 1.° Quia id potest esse utile et necessarium ad bonam Communitatis gubernationem: v. g., quandò imperatur actus exterior quo contractus initur, bonum commune postulat ut verè, non fictè, contrahatur. 2.° Quia Ecclesia potest præcipere et de facto præcipit, v. g., orationem et peccatorum confessionem: atqui non potest

præcipere orationem quin præcipiat interiorem attentionem, quæ necessariò moraliter requiritur in oratione vocali; et similiter, quandò Ecclesia præcipit confessionem peccatorum, præcipit etiam contritionem internam, quia contritio requiritur ad validam confessionem. Undè jure merito Summi Pontifices Alexander VII et Innocentius XI eorum Doctorum sententiam damnaverunt, qui asserebant satisfieri præcepto annuæ confessionis per confessionem nullam et invalidam, et præcepto communionis paschalis, per sacrilegam corporis Domini manducationem. Undè constat contra illos Doctores quòd Ecclesia potest præcipere et de facto præcipit actus internos, saltem indirectè et concomitanter.

ARTICULUS II.

An modus implendi Legem cadat sub præcepto,

Nota quæstionem maximè habere locum et intelligi de actione externâ per quam impletur aliquod præceptum affirmativum, an scilicet ea actio certo modo fieri debeat: 1.° an scienter et liberè; 2.° an ex intentione satisfaciendi præcepto; 3.° an benè et virtuosè, id est, ex rectâ intentione aliisque debitis circumstantiis ut sit actus virtutis.

PROPOSITIO PRIMA.

Ad satisfaciendum præcepto, actio debet esse libera et scienter facta.

Prob. Quia alioqui non esset actio humana, et proindè præcepto satisfieri non posset: dantur enim præcepta affirmativa ad eliciendos actus humanos. Undè sequitur quòd qui ebrius, dormiens, aut mentis impos, vel omninò invitus Missam,

v. g., die festo audivit, Horas Canonicas recitavit, pœnitentiam à Confessario injunctam implevit, non satisfecit præcepto, sed tenetur aliam Missam audire, iterùm Horas Canonicas recitare, et pœnitentiam adimplere.

PROPOSITIO II.

Ad satisfaciendum legi humanæ ordinariè non requiritur intentio satisfaciendi præcepto.

Ratio est quia sine hâc intentione satisfaciendi legi fit totum quod præcipitur à lege; ergo sine illâ intentione impletur præceptum. Undè, qui immemor præcepti, v. g., ignorans esse diem festum, voluntariè et attentè audivit Missam, satisfecit præcepto; simili modo, qui immemor voti, vel juramenti, vel pœnitentiæ, opus promissum vel injunctum liberè præstitit, suæ satisfecit obligationi.

PROPOSITIO III.

Ad implendum præceptum humanum non requiritur necessariò ut actus sit virtuosus vel meritorius.

Prob. Quia hic modus non pertinet ad substantiam actûs externi imperati, et ideò sæpè lex humana impletur, licèt non adsit intentio recta. Imò lex naturalis dandi eleemosynam, restituendi rem alienam, impletur per ipsum actum præceptum, quamvis non rectè factum, v. g., ex pravo fine inanis gloriæ, vel aliâ simili circumstantiâ depravatum; qui tamen propter finem pravum implet præceptum, peccat contra legis naturalis vel divinæ præceptum aliud, quo prohibetur hic pravus finis.

ARTICULUS III.

An tempus implendi Legem cadat sub illius obligatione.

Triplex hic constituitur quæstio: 1.° an lex obliget ut certo tempore impleatur; 2.° an aliquandò obliget ante hoc tempus; 3.° an post illud jam elapsum.

§ I.

Utrùm Lex obliget ut certo tempore impleatur.

PROPOSITIO PRIMA.

Leges obligant tempore præfixo.

Propositio per se patet; nam jure naturali constat obediendum esse legibus legitimi Superioris.

Adverte tamen quasdam leges habere tempus præfixum expressè, v. g., audiendi Missam diebus festivis, jejunandi in Quadragesimâ. Sunt etiam quædam leges quæ habent tempus præfixum virtualiter solùm et implicitè, qualia sunt præcepta quæ obligant tantùm in aliquâ necessitate vel periculo, v. g., præceptum dandi eleemosynam in necessitate proximi, eliciendi actum contritionis in periculo mortis, quandò quis est conscius peccati mortalis.

PROPOSITIO II.

Quandò tempus nec expressè nec implicitè præfixum est, tunc leges per se obligant quamprimùm possunt commodè impleri, v. g., in præceptis implendi voti, exsequendi pœnitentiam, eliciendi actus Fidei, Spei et Charitatis.

Ratio propositionis est, quia alioqui non posset

assignari certum tempus quo leges per se obligare incipiunt.

Dixi in propositione, *quamprimùm*, etc., quæ particula intelligi debet moraliter et cum aliquâ temporis latitudine, judicio viri prudentis.

Quæres 1.° utrùm eodem tempore et uno actu possit satisfieri pluribus præceptis.

Resp. aliquandò posse fieri, ut patet ex usu et praxi quotidianâ; nam, cùm dies Dominica et Festum incidunt in eumdem diem, fideles non tenentur duobus Sacris seu Missis interesse.

Quæres 2.° utrùm licitum sit audire Missam et simul recitare Horas Canonicas.

Resp. aliquos Doctores asserere id licitum esse, quia illi actus non sunt incompatibiles, id est, alter alterum non impedit. Verùm, nisi quis necessitate prematur, non est concedendum ut, tempore Missæ quam ex præcepto audire tenetur, Horas Canonicas recitet, quia obligamur ad hæc duo præcepta distinctis temporibus implenda, et contrarius quorumdam Clericorum usus à tepiditate et mundanâ exteriorum affectione plerumquè oritur.

Porrò adverte per unum actum eodem tempore pluribus præceptis satisfieri nullo modo posse, quandò Legislator contrarium præcipit : undè, v. g., uno jejunio regulariter satisfieri non potest trinæ obligationi præcepti, voti ac pœnitentiæ, si Legislator vel directè vel indirectè id prohibet. Hinc, v. g., si voveris semel jejunare singulis hebdomadis, et Confessarius unum jejunium imponat, teneris ad bis jejunandum in unâ hebdomadâ, quia alioqui nullam imponeret pœnitentiam. Si verò tibi Confessarius injungat ut diebus singulis Sacro intersis, tibi satis erit si

unicam Dominicis et festivis diebus Missam audias, talisque præsumitur intentio Confessarii, cùm pœnitentia satis adhuc longa remaneat, ut peccato proportionata videri possit.

§ II.

An aliquandò Leges obligent ante vel post tempus præfixum.

PROPOSITIO PRIMA.

Leges non obligant ad prævenicndum tempus, quandò tempus præfixum est ad statuendam aut finiendam obligationem, ita ut ea obligatio sit affixa tempori et ab eo inseparabilis secundùm mentem Legislatoris.

Ratio est quia obligatio limitatur ad tempus cui affixa est.

Quæres undè cognosci possit obligationem esse affixam tempori.

Resp. id colligi posse ex verbis legis, vel ex circumstantiis, ut quandò, propter specialem solemnitatem et reverentiam diei vel temporis, principaliter ponitur obligatio, v. g., audiendi Missam die festo, jejunandi in vigiliâ alicujus Sancti, vel quandò designatur actus præceptus velut proprium onus talis temporis, v. g., recitare Horas Canonicas singulis diebus; in his enim et similibus, qui prævidet se impeditum iri tempore præfixo ab audiendâ Missâ, à jejunando, à recitandis Horis Canonicis, non tenetur anticipare die præcedenti, imò nec satisfaceret anticipando : et, tempore etiam culpabiliter elapso, exspirat obligatio, nec tenetur posteà audire Missam, vel jejunare, vel Horas Canonicas recitare.

Dixi, *non teneri anticipare die præcedenti*, quia tenetur eâdem die anticipare, si prævideat fore ut posteà non possit implere præceptum: v. g., tenetur summo manè audire Missam vel Horas recitare, qui prævidet se horis subsequentibus impeditum iri ab audiendâ Missâ vel ab Officio recitando, quia scilicet obligatio Missæ et Horarum Canonicarum est diei affixa, non tamen horæ.

PROPOSITIO II.

Cùm tempus lege præfixum est ad urgendam obligationem, tunc leges obligant etiam post elapsum tempus præfixum, si opus nondùm impletum sit.

Ratio est quia semper remanet obligatio donec opus præceptum impletum fuerit, cùm tempus præfixum non sit ad finiendam obligationem, sed ad urgendam, id est, ne ultrà differatur operis executio. Undè colligitur quòd, quandò tempus præfixum elapsum est, nullo modo exspirat obligatio, sed fortiùs urget, ita ut tantò magìs acmagìs peccetur, quantò magìs ac magìs differtur executio ultra tempus designatum. Talis est lex communionis paschalis, confessionis annuæ; item lex seu obligatio implendi vota, exsequendi pœnitentiam, etc.; similiter obligatio celebrandi Missas certis diebus ex fundatione seu obligatione Beneficii. Ratio est quia in his casibus principaliter præcipitur actus quoad substantiam; circumstantia enim temporis præcipitur tantùm secundariò, ac solùm ut magìs conveniens ad opus exsequendum, vel ne ultrà differatur operis executio.

CAPUT IV.

Quinam Legibus obedire teneantur.

Quamvis certum sit et evidens legibus teneri omnes et solos subditos rationis capaces, specialis tamen est difficultas : 1.° an aliqua lex obliget infantes; 2.° an lex humana obliget ipsum Legislatorem; 3.° an lex localis obliget cives absentes; 4.° deniquè an advenas et vagos.

ARTICULUS PRIMUS.

An aliqua Lex obliget infantes.

PROPOSITIO PRIMA.

Nulla lex obligat infantes ante usum rationis.

Propositio est communis et certa.

Prob. Quia infantes ante usum rationis non sunt capaces præcepti seu obedientiæ ac peccati, ideòque nec obligationis in conscientiâ; idemque dicendum est de perpetuò amentibus. Undè colligunt Doctores licitum esse præbere illis carnes ad comedendum diebus abstinentiæ, opera servilia imponere diebus festis; non tamen eodem modo licitum erit eos irritare et incitare ad blasphemandum, verberandum, etc., quia hæc sunt ex se intrinsecè mala. Imò probabilior sententia docet, etsi non peccent infantes qui ante rationis usum introducuntur in sacra Claustra, peccare tamen et excommunicationem incurrere Moniales quæ pueros mares, et Religiosos qui puellas introducunt ad se; quod probatur tum ex periculo

talium ingressuum, tum ex responsione Clementis VIII ita affirmantis, et Cardinalis S. Severinæ magni Pœnitentiarii.

Dices : Non licet carnes præbere ebriis tempore jejunii; ergo nec infantibus aut perpetuò amentibus.

Resp. Nego parit. Quia ebrii, vel dormientes, vel ad tempus amentes verè obligantur legibus Ecclesiæ, quia verè sunt subjecti et capaces usûs rationis, quamvis pro illo brevi tempore per accidens ratione non utantur, et à peccato excusentur, si tunc comedant; quamobrem illis porrigens carnes vel imponens opera servilia diebus interdictis peccat, quia cooperatur actioni quæ est alteris prohibita, ac proindè saltem materialiter mala : at verò infantes vel perpetuò amentes nullo modo obligantur legibus Ecclesiæ, quia non sunt capaces usûs rationis; ac proindè illis porrigere carnes non est cooperari actioni prohibitæ et saltem materialiter malæ.

PROPOSITIO II.

Omnis lex etiam humana obligat pueros post usum rationis, si materia legis eorum ætati conveniat.

Propositio est certa.

Prob. Quia omnis lex obligat Communitatem, et consequenter pueros, si sint capaces præcepti et peccati, id est, si rationis usum sint assecuti, quod ordinariè evenit, et in dubio præsumitur, post elapsum septennium.

Dixi, *si materia legis eorum ætati conveniat.* Sic enim pueri tenentur, v. g., confiteri semel in anno, audire Missam diebus festis, abstinere à

carnibus diebus vetitis: è contrà non tenentur lege jejunii, communionis annuæ, nec similibus quæ eorum ætati non conveniunt.

Cæterùm adverte quòd, quamvis pueri post septennium teneantur legibus communibus, transgredientes tamen non ita puniuntur ut adulti, et ideò ordinariè excusantur ante adeptam pubertatem à censuris aliisque gravibus pœnis. Vide art. 66 ad 69 Cod. Pœn.

ARTICULUS II.

An Lex humana obliget Legislatorem.

PROPOSITIO.

Lex humana, cujus materia est communis et ejusdem rationis in Legislatore et subditis, Legislatorem ipsum obligat sub peccato, non tamen sub pœnâ; seu, quod idem est, *Legislator tenetur suâ lege quoad vim directivam, non verò quoad vim coactivam.*

Propositio communis est et certa.

Prob. Quia, quamvis Legislator sibi ipsi non possit imperare, Deus tamen per legem naturæ (ut docent periti et sapientes) præcipit ac jubet legem servandam esse à Principe, quam ipse pro Communitate tulit; idque ob necessitatem boni communis, et ut, tanquam caput Reipublicæ, cæteris membris congruat.

Dixi, *Legislatorem non obligari sub pœnâ legis,* scilicet canonicâ vel civili, quia nec à seipso nec ab inferioribus potest judicari, ideòque non potest cogi vel puniri propter legis transgressionem. Colliges Episcopum, qui sub pœnâ suspensionis ludum aleæ vel venationem prohi-

buit, peccare quidem, si ludo huic aut venationi vacet, non autem incurrere pœnas quas aliis indixit.

ARTICULUS III.

An Lex localis cives absentes obliget.

Nota leges alias esse communes et universales, v. g., legem communionis paschalis, vel confessionis annuæ, vel jejunii Quadragesimalis; alias verò esse locales et proprias alicujus territorii, v. g., Diœcesis vel Parochiæ, qualis est lex jejunii in vigiliâ Patroni loci, aut lex quâ debet festivari.

De legibus Ecclesiæ communibus non est difficultas : certum est enim iis obligari omnes Christianos et ubiquè, cùm totus orbis sit Ecclesiæ territorium, ideòque non sit extra illius jurisdictionem leges condere quæ toto orbe obligent. Tales sunt leges communes et universales suprà assignatæ, quæ proindè obligant omnes Christianos ubicumquè demorati fuerint.

Excipe tamen 1.° nisi jam legem impleverint; fieri enim potest ut quis, expletâ jam Quadragesimâ, veniat ad locum ubi Calendarium reformatum non est adhuc receptum, et proindè nondùm finitum jejunium Quadragesimæ; nam tunc non tenebitur jejunare, modò fieri possit sine scandalo. Plurimi tamen Auctores contrarium sentiunt, ut P. Henno, Paulus à Lugduno, et Theologiæ Tournelyanæ Continuator.

Excipe 2.° si lex aliqua communis non vigeat in loco ubi quis versatur pro aliquo tempore; tunc enim uti poterit privilegio locali. Undè ipsi licitum erit in multis Galliæ Diœcesibus carnes comedere diebus Sabbati à Nativitate Domini ad Purificationem.

PROPOSITIO.

Leges locales non obligant cives ex justâ causâ absentes seu peregrinantes extra proprium territorium.

Hæc propositio ferè communis est omnium Doctorum, et constat ex cap. 2 de Constitutionibus in Sexto, ubi dicitur : *Statuto Episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus, furtum extra ipsius Diœcesim committentes, minimè ligari noscuntur, cùm extra territorium jus dicenti non pareatur impunè.*

Ex quo Canone ratio propositionis sumitur, quia statutum seu lex, cùm stabilem habere debeat obligationem, immediatè afficit locum seu territorium, et hinc transit in subditos ibi existentes, neque extrà extendi potest; in quo lex differt à sententiâ et præcepto; nam sententia et præceptum immediatè afficiunt personas, et, quocunquè recesserint, semper sententia et præceptum eis cohærent.

Duplex tamen ponenda est exceptio : 1.ª nisi lex localis vigeat etiam in loco ubi peregrinus pro tempore versatur; tunc enim sine dubio obligabitur illam servare, quia nihil est quod excuset. 2.ª Exceptio, nisi statutum respiciat rem in territorio sitam; tunc enim, quamvis persona sit extra territorium, ejus tamen operatio et res circa quam operatur est in territorio, et ideò legi subjacet : sic, v. g., legi, quâ Clerici obligantur ad residentiam sub pœnâ suspensionis ipso facto incurrendæ, vel legi, quæ præcipit ut veniant ad Synodum, obedire tenentur etiam absentes, ubicun-

què sint; sic ille, qui intra propriam Diœcesim existens, ictu sagittæ hominem in alienâ Diœcesi occidisset, incurreret excommunicationem quæ ibi esset statuta in homicidas. Ratio est, quia hæc delicta fieri censentur in proprio territorio; ibi enim aliquis videtur delinquere, ubi non facit quod debet, vel ubi facit quod non debet.

Dixi in propositione, *absentes ex justâ causâ*, quia, licèt quidam Doctores asserant eos qui absunt etiam sine causâ liberos esse ab obligatione legum localium sui territorii, alii tamen docent quòd, ex fidelium persuasione et Ordinariorum praxi, certum sit non licere fidelibus subterfugere leges ecclesiasticas, quia *Fraus et dolus nemini patrocinari debent*. Hinc peccant qui aliò discedunt, præcisè ut carnibus vescantur, vel ut servilibus vacent operibus, cùm hæc suis in locis sunt vetita.

Quæres utrùm discessurus è loco, ubi jejunium vel dies festus observatur, teneatur jejunare vel audire Missam.

Resp. 1.° Quoad Missam, videtur esse mentem Legislatorum Ecclesiæ, quam consuetudo et fidelium persuasio interpretatur, quòd incolæ die festo Missam audire teneantur, si per tale temporis spatium in oppido existant, ut commodè audire possint; quarè ad id ab Episcopo et Parochis jure optimo compelluntur.

Resp. 2.° Quoad jejunium, quorumdam est sententia incolam discessurum teneri quidem abstinere à carnibus, quandiù versatur in proprio territorio, sicut etiam tenetur abstinere ab operibus servilibus die festo; at verò, statim ac venit in territorium ubi lex jejunii vel festi non obligat, potest carnibus vesci et operibus servi-

libus incumbere. Hinc etiam fit ut, cùm ipse manè prævideat sibi post meridiem licitum fore carnibus vesci, etiam repetitâ refectione, aliqui censeant eum non teneri ad servandum jejunium, sed posse ante exitum sumere jentaculum vel prandium, sed tamen sine carnibus. Ratio est, quia in præcepto ecclesiastico jejunii duplex est obligatio: alia est abstinentiæ à carnibus, alia unicæ refectionis. Prior quidem est dividua, ita ut, quamvis unâ diei parte illam non serves vel possis licitè non servare, debeas tamen alterâ diei parte servare, ubi præceptum obligat. At verò posterior obligatio, nempè unicæ refectionis, est individua, ita ut qui bis in die refici potest, ut in casu proposito, non ampliùs eâ obligatione teneatur, cùm illam possit non servare. Tutiùs tamen faciet, si jejunium non solvat, nisi cùm ad locum in quo non jejunatur pervenerit; atque etiam eum ad id teneri plurimi censent, saltem ut vitetur scandalum.

Colligitur è contrà quòd ille, qui manè discedit è loco ubi jejunium non servatur, certò perventurus meridie vel vespere ad domum ubi jejunium servatur, potest licitè jentare vel prandere, et posteà, cùm domum pervenerit, non erit obligatus ad servandum jejunium, cùm id ampliùs non possit strictè loquendo, sed solùm ad abstinendum à carnibus; tamen tutius erit, si cœnulam tantùm cum jejunantibus sumat. Nam advertendum est in his et similibus casibus diligenter cavendum esse scandalum.

ARTICULUS IV.

An Lex localis obliget advenas et vagos.

Nota quæstionem non esse 1.° de advenis qui

ad locum aliquem veniunt cum animo ibi perpetuò manendi, quia ex tunc et statìm contrahunt verè domicilium, et proindè statìm obligantur legibus loci; nec 2.° de advenis qui ad aliquem locum veniunt cum animo ibi manendi per majorem anni partem; hi enim contrahunt quasi domicilium, quod dicitur parochiale, et ex communi sententiâ obligantur legibus loci. 3.° Non agimus de legibus communibus quæ vigent in locis quà transeunt advenæ, quamvis ipsæ leges in patriâ non observentur; Doctores enim sentiunt advenas his legibus obligari, quia privilegio suo, ut potè locali, uti non possunt extra patriam.

Solùm quæstio intelligitur de legibus propriis territorii seu loci ad quem veniunt advenæ et vagi solùm animo ibi hospitandi, vel breviter commorandi, aut tantùm transeundi, an scilicet eos obligent.

PROPOSITIO.

Probabilius videtur advenas, et à fortiori vagos, teneri legibus locorum per quæ transeunt, dummodò per tantum temporis spatium ibi versentur, quantum moraliter potest suppetere ad implendum præceptum.

Prob. 1.° Quia passìm et ubiquè advenæ, etiam docti, sic observant, putantque se obligari ad jejunia seu festa locorum per quæ transeunt, maximè si per aliquot dies ibi commorentur; Prælati enim ad id cogere solent.

Prob. 2.° Quia non deest potestas in Legislatore ad conservandam Rempublicam ejusque bonos mores tenendos; hoc autem præstare non potest, nisi possit etiam advenas obligare ut mo-

ribus populi se conforment, quandiù ibi versantur; docet enim experientia quòd, si aliter fiat, multa indè oriantur dissidia, scandala, etc.

Prob. 3.° Quia ex parte advenarum non deest sufficiens subjectio, cùm ad obligationem quasi transitoriam sufficiat transitoria subjectio; sicut enim qui transfert domicilium in aliquem locum, eo ipso subjacet legibus loci, et permanenter subjacet jurisdictioni Legislatoris; ita etiam qui alicubi vult ad breve tempus morari, hoc ipso vult pro tunc subditus esse legibus et regimini illius loci. Item, sicut incola discedens è territorio per breve tempus, ipso facto desinit pro illo tempore esse actu subditus et obligatus legibus loci, ita è contrà accedens ad aliquod territorium, pro brevi tempore, fit pro tunc actu subditus et obligatus legibus loci.

Prob. 4.° Quia reperitur talis obligatio in quibusdam legibus, quæ ex consensu adversariorum ipsos advenas obligant, v. g., ne quis nocte arma ferat, ne extra regionem triticum afferat; ne viator ampliùs triduo in urbe commoretur, etc.: porrò si talibus legibus obligantur, cur non etiam aliis?

Dixi etiam in propositione 1.°, *probabilius videri,* quia multi Doctores censent advenas non teneri legibus locorum per quæ transeunt, nisi violatio legum vergat in scandalum incolarum, vel in damnum locorum, vel in perturbationem Reipublicæ, vel deniquè nisi celebrandus sit aliquis contractus, quia tenentur etiam advenæ servare leges et consuetudines locorum in celebrandis contractibus.

Dixi 2.°, *à fortiori vagi,* quia, si vagi non tenerentur legibus locorum per quæ transeunt,

nullis tenerentur legibus nisi communibus, quod nec ad Reipublicæ bonum, nec ad ipsorum salutem expedit. Deniquè etiam, juxta usum et praxim communem, Judices locorum jurisdictionem habent in vagos, ita ut propter eorum delicta, etiam alibi commissa, eos punire possint; ergo vagi multò magis quàm advenæ subjiciuntur legibus locorum.

Dixi 3.°, *dummodò*, etc. quia, si ibi solùm advenæ maneant quantùm sufficit ad capiendum cibum, non tenebuntur Missam audire die festo, ad quod tenerentur, si toto matutino tempore ibi morarentur. Item nonnulli docent eos non teneri ullam jejunii partem observare, si ibi non versentur per totum diem; tenebuntur tamen abstinere à carnibus, quia id impleri potest et servari quâlibet diei horâ. Imò ex dictis tutius est eos eam jejunii partem servare quæ diei parti correspondet quam eo in loco peragunt.

CAPUT V.

Quibus modis Lex cesset obligare.

Nota 1.° hanc quæstionem intelligi solùm de lege positivâ, quia, ut suprà diximus, lex naturalis est immutabilis, nec ullo modo fieri potest ut cesset obligare ad aliquid ad quod anteà obligabat, quia quidquid est contra legem naturalem, est difforme rectæ rationi et proindè intrinsecè malum, ideòque semper est et in omni casu illicitum.

Nota 2.° omnes modos quibus lex positiva amittit vim obligandi quam anteà habebat, ad quatuor posse revocari, scilicet: 1.° ad epiikiam;

2.° ad cessationem legis; 3.° ad dispensationem; 4.° ad abrogationem : de quibus seorsim.

ARTICULUS PRIMUS.

De Epiikia.

Epiikia, quæ latinè dicitur *æquitas*, est benigna legis interpretatio, quâ prudenter judicatur aliquis casus particularis non comprehendi à lege, quamvis generalibus verbis latâ : undè per epiikiam aliqua fit legis emendatio : nimirùm, sæpè contingit ut Legislator non potuerit prævidere et excipere quosdam casus particulares; vel, etsi potuisset, non debuit ad vitandam prolixitatem et confusionem legum, et tamen hi casus excipiendi sunt à lege universali. Sic, v. g., lex universìm posita audiendi Missam, reddendi depositum, dicitur emendari et corrigi, quandò judicatur non obligare in aliquo casu in quo ex ejus observatione aliquod grave damnum sequeretur; cùm enim lex sit universalis et hos casus particulares non excipiat, dicitur in his casibus deficere, id est, non obligare, ideòque benignâ interpretatione indigere.

Hinc epiikia differt à simplici interpretatione, quâ præcisè explicatur ambiguitas verborum legis; hæc simplex interpretatio triplex distinguitur : 1.a dicitur *authentica*, quæ fit vel à Legislatore, aut ejus successore, vel à Superiore : et vim habet legis, si sit promulgata. 2.a Est *usualis*, quæ fit per usum et consuetudinem populorum; *Consuetudo* enim *est optima legum interpres*, cap. 8, de Consuetudine. 3.a Est *doctrinalis*, eaque fit per peritorum explicationem. Utilis est hæc interpretatio, quia vix ulla lex est circa quam dubia

plurima moveri non possint, de quibus peritos consuli necesse est; vim tamen legis non habet, quia non emanat ab hominibus jurisdictionem habentibus. Legitimæ hujus interpretationis regulas exponemus modò.

PROPOSITIO.

Lex cessat obligare in his casibus qui in eâ per epiikiam non censentur comprehendi, tametsi generalia verba legis illos casus comprehendere videantur.

Propositio est communis et certa.

Prob. Quia lex, quantumvìs universalis, non potest obligare ultra Legislatoris potestatem et voluntatem : atqui multi casus contingere possunt, in quibus lex esset manifestè ultra potestatem vel voluntatem Legislatoris; ergo, etc. 1.° Quidem ultra potestatem, si legis observatio manifestè fieret iniqua, vel bono communi damnosa, vel majoris boni impeditiva, vel impossibilis, aut saltem nimis difficilis et ardua. 2.° Esset ultra voluntatem Legislatoris, si legis observatio esset manifestè contra usum et ordinarium modum præcipiendi, vel morem interpretandi legem, spectatis circumstantiis; ergo in his casibus lex universalis non obligat, sed obligare cessat per epiikiam. Sic, v. g., lex tenendi portas civitatis obsessæ clausas non obligat in eo casu quo copiæ auxiliares veniunt, vel cives ab irruptione redeunt, quia tunc legis observatio esset Reipublicæ damnosa; sic lex festa celebrandi non obligat in casu gravis damni, etiam temporalis, proprii vel alieni; sic non solùm lex jejunii cessat obligare in gravi ægritudine, in quâ jejunium

non posset ab Ecclesiâ præcipi, sed etiam in communi, in quâ communiter creditur Ecclesia noluisse obligare.

Dixi, *in his casibus in quibus legis observatio esset manifestè ultra potestatem, vel voluntatem Legislatoris,* quia, si id non sit manifestum, sed solùm dubium, tunc non licebit uti epiikiâ, sed recurrendum erit ad Superiorem. Si quis tamen nolit aut non possit recurrere, servanda erit lex; quia nempè præsumptio, veluti possessio, stat pro lege generalibus verbis positâ. Quòd si quis non omninò ambigat, sed probabiliùs arbitretur legis observationem in aliquo casu excedere potestatem vel voluntatem Legislatoris, tunc licitè poterit uti epiikiâ et judicare legem in eo casu non obligare; ratio est, quia hic modus agendi est juxta humanam prudentiam et conditionem, juxta Doctorum sensum et totius Ecclesiæ usum, qui si non liceret, quis auderet excusari vel excusationis consilium dare à lege positivâ propter urgentem necessitatem, cùm nemo sit tam certus de sufficientiâ suæ causæ quin formidet circa probabilitatem oppositi : si tamen possit Superior adiri, cessabit necessitas utendi judicio probabili.

Postremò, propositio nostra intelligi solùm debet de obligatione legis sub culpâ vel pœnâ, non autem de irritatione actuum; nam in legibus ipso facto irritantibus constat, ex communi Doctorum sensu et usu Ecclesiæ, epiikiam non habere locum : sic, v. g., matrimonium, ob quamcunque causam ex ignorantiâ invincibili vel metu gravi contractum, vel cum aliquo impedimento dirimente, est nullum et irritum in quocunque casu et eventu; ratio est, quia multùm conducit ad bonum commune quòd irritatio sit fixa, stabilis,

firma et certa; ideòque non expedit ut cesset ac desinat ob aliquam necessitatem supervenientem, alioquin aperiretur via frequenter agendi contra leges irritantes, cum maximo Reipublicæ incommodo.

Ex dictis colliges in legem naturalem et divinam propriè non cadere epiikiam, quia lex naturalis et divina in omnibus obligant casibus qui lege comprehenduntur: et lex naturalis excipit, Deusque prævidit omnes casus excipiendos; atque ideò neutra ullo in casu emendatione indiget.

Quæres quænam servandæ sint regulæ ad legitimam interpretationem doctrinalem.

Resp. Eæ præcipuæ sunt observandæ : 1.° accipienda sunt verba legis secundùm suam nativam proprietatem et usitatam acceptionem, nisi sensus fiat absurdus, aut lex inutilis reddatur et illusoria. Cùm enim legem esse claram et distinctam oporteat, semper præsumitur Legislator eo loqui sensu, quo verba communiter accipiuntur; adeò ut, inquiunt plurimi, ne ipsius quidem Legislatoris declarationi standum sit, si, extra legem loquens, dicat se talem intentionem habuisse, quæ cum verborum proprietate non cohæreat.

2.° Si verba legis sunt ambigua vel æquivoca, eorum significatio colligi debet ex antecedentibus et consequentibus, ex subjectâ legis materiâ, et circumstantiis, item ex aliis legibus in quibus eadem verba vel similia adhibentur.

3.° Lex omnis onerosa et pœnalis strictè, quantùm verba sinunt, debet intelligi; lex verò favorabilis, quæ præsertìm nulli præjudicium affert, quantùm patitur sensus legitimus, est extendenda et amplianda, ex Regulâ 15.ª Juris in Sexto : *Odia restringi, et favores convenit ampliari.* Hinc

1. in favorabilibus, quod de filiis dicitur ad nepotes etiam, item ad filios legitimatos et adoptivos pertinet, nisi contrarium constet : in onerosis verò, per filios non intelliguntur etiam ipsæ filiæ, nisi rationis identitas persuadeat eamdem de omnibus fuisse Legislatoris intentionem, ut modò explicabimus. 2. Pœnæ non extenduntur ad casum in lege non expressum, nec in hâc materiâ valet argumentum à pari, imò nec à minori ad majus; quia Legislator potest velle punire minus crimen, non majus, eò quòd fortè sit bono communi periculosius, aut sæpiùs patretur.

4.° Lex, generaliter et indefinitè loquens, omnia significata propria comprehendit : *Ubi* namque *lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*, Glossa in lib. 8, ff *de Publician.*

5.° Generaliter loquendo, lex ad casus sub verborum formâ non comprehensos extendi non debet ob similitudinem vel identitatem rationis; quia non ratio legis, sed voluntas Legislatoris significata subditis lex est et obligat : ille autem velle potuit ad unum obligare, et non ad aliud; unum crimen punire, non aliud, quamvis pro utroque eadem esset ratio.

Dixi, *generaliter loquendo;* lex enim ab uno ad aliud extenditur ob rationis paritatem : 1. si aliàs aliqua sequeretur iniquitas vel absurditas; 2. *in correlativis :* undè, quia vir et uxor sunt correlativa, quæ sanciuntur de marito, et de uxore sancita censentur, ubi par est pro utroque ratio, ut cùm agitur de debito conjugali : 3. *in æquiparatis, vel connexis et subordinatis :* undè, quia electio, postulatio, præsentatio æquiparantur in Jure, quod lege statuitur circa unam, statuitur et circa alteram in iis in quibus æquiparantur;

item, quia codicillus in testamento continetur, cui permittitur testamentum, illi permittitur et codicillum facere; 4. *in Judiciis*, ex lib. 12, ff *de Legibus*; dictat enim ratio, ut, cùm pro aliquo casu decidendo non est lex certa, decisio petatur à similis casûs decisione. (Vid. Cod. civ. art. 4).

ARTICULUS II.

De Cessatione Legis.

Nota legem dici cessare, quandò penitùs et in totum desinit obligare aliter quàm per abrogationem legitimi Superioris. Hoc autem fit, quandò materia legis mutatur contrariè et negativè : contrariè quidem, si fiat iniqua, vel illicita, vel moraliter impossibilis, vel inutilis ad bonum commune; negativè autem, si, quamvis hæc materia maneat per se licita, possibilis, et ad bonum commune utilis, tamen hujusmodi lex non ampliùs habeat locum, et penitùs cessaverit causa motiva, seu finis et ratio propter quam Legislator legem tulit : v. g., quandò Episcopus jussit ut singuli Pastores suæ Diœcesis in suâ Parochiâ funderent preces ad obtinendam pacem, postquàm pax facta est, cessat negativè obligatio illas preces fundendi.

PROPOSITIO.

Lex penitùs cessat obligare, non solùm quandò ejus materia est iniqua, impossibilis vel inutilis, sed etiam quandò legis ratio adæquata cessat universìm et respectu totius Communitatis.

Propositio est communis et omnium Doctorum. Prima pars, quæ est de cessatione legis modo

contrario, est evidens; nec dubium esse potest quin lex prorsùs et statim cesset, nullâ expectatâ Superioris abrogatione vel declaratione, si tamen talis materiæ mutatio sit manifesta et evidens, quod addo, quia in dubio præsumendum est pro justitiâ legis.

Secunda pars, de cessatione legis modo negativo, constat, quia, cessante fine adæquato quem solùm intendit Legislator, non præsumitur ampliùs velle obligare. Undè dicendum est legem cessare, idque etiam statim, ita ut, nullâ exspectatâ Superioris abrogatione vel declaratione, liceat legem non observare. Oportet autem ut cessatio causæ finalis sit publicè nota; si autem uni tantùm vel alteri è Communitate nota sit, signum est cessationem non esse universalem respectu Communitatis; si tamen dubium sit, semper præsumendum est pro lege.

Dixi 1.° in propositione, *quandò finis seu ratio legis adæquata cessat :* si enim ob plures causas lex lata sit, et, unâ causâ cessante, maneat alia sufficiens, non cessabit obligatio legis; similiter, si lex sit divisibilis et virtualiter multiplex, cessante causâ unius partis tantùm, non cessabit lex secundùm se totam, sed secundùm illam partem; deniquè, si causa cesset tantùm ad tempus, non extinguitur lex, sed tantùm suspenditur pro illo tempore.

Dixi 2.° *quandò finis cessat universìm et respectu Communitatis ;* quia, si solùm finis cesset respectu hominis privati, v. g., ratio vitandi scandala, lex tamen, respectu ejus qui rem occultam ageret, semper subsistit, quia semper manet ratio seu finis respectu Communitatis, ob quam expedit etiam tunc legem servari ab homine privato, tum

tum ad servandam uniformitatem in Communitate, tum ad vitanda multa incommoda et nimiam licentiam transgrediendi leges. Imò Legislator, quamvis advertat finem seu rationem suæ legis in aliquibus defuturam, tamen potest rationabiliter, et debet etiam, illos velle obligare; talisque voluntas præsumi debet, quandò verba legis generalia sunt.

Colliges legem in præsumptione fundatam desinere obligare, si de contrariâ veritate constet. Duplex tamen distinguenda est hìc præsumptio : alia est particularis, et dicitur præsumptio *facti*, quandò, v. g., in aliquo casu particulari præsumitur adfuisse fraudem; alia est præsumptio generalis, et vocatur præsumptio *periculi*, quandò, v. g., in tali modo contrahendi præsumitur sæpiùs intervenire fraudes et periculum esse ne interveniant.

Leges in præsumptione *facti* fundatæ cessant, id est, non obligant, si de contrariâ veritate constet : sic lex, præcipiens obedire sententiæ quam præsumit justam, non obligat, quandò constat de injustitiâ sententiæ; at verò leges in præsumptione *periculi* fundatæ obligant in conscientiâ, quamvis in casu particulari non evenerit id quod justè timebatur, v. g., frans aut vis propter quas vitandas lex lata fuerat; quia semper manet causa et fundamentum legis, scilicet ratio et periculum timendi incommoda : tales sunt leges irritantes matrimonia et Professiones; aliàs enim malum efficaciter non impediretur, quia plerique falsò sibi persuadere possent non extare periculum respectu suî, et sic lex paucos obligaret.

ARTICULUS III.

De Dispensatione Legis.

Dispensatio est relaxatio legis, seu exemptio à legis obligatione, ab eo qui legitimam habet auctoritatem facta, pro aliquo casu in quo lex alioquin obligaret.

Dicitur 1.°, *relaxatio seu exemptio*, eaque vox locum tenet generis.

Dicitur 2.°, *ab eo qui legitimam habet auctoritatem;* dispensatio enim est actus jurisdictionis, et eâ ratione differt ab epiikiâ, quæ solùm est actus doctrinæ et prudentiæ.

Dicitur 3.°, *pro aliquo casu, in quo lex alioquin obligaret;* undè rursùs dispensatio differt tum ab epiikiâ, quæ in iis tantùm casibus locum habet in quibus lex judicatur nullatenùs de se obligare; tum à licentiâ seu permissione, quâ non relaxatur lex aliàs obligans: sic Superior Religionis permittere potest Monacho ut aliquid donet, nec tamen in paupertatis voto dispensat; tum ab abrogatione, quâ lex universìm et absolutè tollitur.

PROPOSITIO.

Lex cessat obligare per legitimam Superioris dispensationem.

Prob. Quia legis obligatio pendet à voluntate Superioris legitimi, qui proindè, sicut eam obligationem ab initio inducere potuit condendo legem, sic etiam auferre potest vel in totum per abrogationem, vel ex parte per dispensationem.

Dixi 1.°, *per Superioris dispensationem*, quia inferior dispensare non potest in lege Superioris,

cujus scilicet potestatem ligare et impedire non potest. Superioris autem nomine intelligitur ille qui jurisdictionem habet. Dispensatio enim est actus jurisdictionis vel ordinariæ, quam scilicet habet ratione dignitatis ipse Legislator, vel ejus successor aut superior; vel saltem jurisdictionis delegatæ, quam habet ratione delegationis qui eam à prædictis accepit.

Colliges Summum Pontificem, ratione suæ dignitatis, habere potestatem, secundùm sacros canones exercendam, dispensandi in omnibus Ecclesiæ legibus tam universalibus quàm particularibus (Vid. *Tract. de Ecclesiâ,* Dissert. 5, cap. 2, art. 1.); Episcopi enim non possunt dispensare in legibus Sum. Pontificum vel Concil. universalium, nisi ipsis concessum fuerit expressè aut tacitè à Jure vel consuetudine, vel rationabiliter præsumptâ Sum. Pontificis voluntate.

Ac 1.° quidem Episcopi habent à Jure facultatem dispensandi, quoties in lege aliquâ universali additur, *ut in eâ dispensari possit;* per hæc verba intelligitur facultas Episcopis concessa dispensandi; alioquin ea verba essent superflua, cùm evidens sit Summum Pontificem in eâ lege posse dispensare, nec ipse indigeat eâ speciali concessione.

2.° Episcopi facultatem dispensandi sibi comparârunt ex consuetudine, idque in pluribus casibus; v. g., dispensant in impedimentis dirimentibus, quæ matrimonio jam contracto superveniunt, et impediunt petitionem debiti, ut in cognatione spiritali vel affinitate.

3.° Deniquè Episcopi possunt dispensare, 1. in legibus quæ non sunt gravis momenti, et quæ non obligant sub peccato mortali; 2. in frequenter occurrentibus et sæpiùs dispensandis, v. g., in Fes-

tis, etc.; 3. in iis de quibus dubium est an indigeant dispensatione; 4. in casibus extraordinariis, quandò necessitas dispensandi maximè urget, scilicet ratione vitandi scandali aut alterius gravissimi damni, et est periculum in morâ; tunc enim postulat charitas et suave Ecclesiæ regimen ac commune bonum ut Episcopi facultatem dispensandi habeant, etiam in casibus Papæ reservatis.

Quæres utrùm Superior se ipsum dispensare possit.

Resp. negativè. Sicut enim nemo sibi ipsi imperare potest, ut suprà diximus, ita nec quisquam potest se *directè* et *auctoritativè* aliquâ obligatione solvere. Sed, quemadmodùm Legislator obligatur sub pœnâ peccati legem propriam servare, quandò materia legis ipsi communis est et ejusdem rationis cum subditis, ita etiam æquitas naturalis dictat Superiorem posse reputare se esse immunem à legis obligatione, cùm adest justa causa ob quam in tali eventu cum subdito dispensare posset.

Dixi 2.° in propositione, *per legitimam dispensationem;* nam dispensatio dari potest ex justâ et sufficienti causâ vel necessitatis vel utilitatis: et quoad hoc, 1. conveniunt omnes Theologi dispensationem, datam ab inferiore in lege Superioris sine justâ causâ existente vel saltem probabiliter existimatâ, omninò esse nullam, ideòque graviter peccare tum dantem, tum etiam postulantem, imò et sponte oblatâ utentem. Ratio est, quia inferior nec licitè nec validè dispensare potest in lege Superioris, nisi ex ipsius Superioris concessione. Hinc omnes consentiunt prorsùs nullam esse et invalidam dispensationem sine causâ concessam ab ipso Papâ in votis et jura-

mentis, quia sunt de jure divino; item ab Episcopis in impedimentis matrimonii, quæ leges sunt universalis Ecclesiæ, cui inferiores sunt Episcopi. Ratio est, quia Superior non concedit nec potest unquàm præsumi concedere inferiori facultatem dispensandi sine causâ et temerè et iniquè, cùm ea concessio esset illicita. Addunt tamen communiter Doctores subditum, qui, bonâ fide dispensationem petens, rationes suas attulit ac subjecit dispensantis examini, posteà impetratâ dispensatione uti posse securè et in conscientiâ; præsumere enim potest dispensationem fuisse licitè collatam, donec contrarium appareat.

2. Conveniunt etiam Theologi dispensationem, à Legislatore in propriâ lege datam sine causâ, esse quidem illicitam, sed tamen validam. Ratio est, quia legis obligatio pendet à voluntate Legislatoris; si ergo Legislator aliquem pro suâ voluntate eximat, quamvis sine causâ, hic lege non obligabitur. Adverte tamen eum peccare qui sine causâ dispensat, quia imprudenter ac temerè utitur suâ potestate, eamque veluti prodigit, et non tam dispensat quàm dissipat. Præterea ille peccat qui, dispensationem petendo, cooperatur peccato concedentis.

Disputant Theologi an dispensans in propriâ lege peccet mortaliter, an solùm venialiter. Sed præferenda videtur sententia juxta quam peccatum istud mortale dicitur, si materia sit gravis; quia, qui sic dispensat, agit contra proprium officium, et contra bonum commune ac charitatem, benè multis occasionem præbendo peccandi. Item disputant Theologi utrùm utens dispensatione sic concessâ et sponte oblatâ peccet, necne, et utrùm non teneatur aliis se confor-

mare, tanquam exemptus sine causâ à lege communi. Probabilius videtur peccare eum qui tali utitur dispensatione; tunc enim agit contra naturæ legem, quæ præcipit ut, qui nullam habent ab aliis dissentiendi rationem, ab iis non discordent, iisdemque legibus positivis ob bonum commune latis subjiciantur omnes.

Quæres utrùm dispensatio nulla sit et invalida, quandò causa finalis et principalis ipsius dispensationis cessat.

Resp. 1.° Si causa non subsistat, quandò Superior, v. g. Papa, dat Episcopo seu Confessario indultum seu mandatum vel facultatem dispensandi cum tali personâ, tunc, inquiunt plurimi, dispensatio est invalida, et delegatus eam exsequi non potest, quamvis posteà causa dispensationis esse possit. Ratio est, quia Superior non dat facultatem, nisi sub eâ conditione quòd res ita sit ut dicitur; cùm autem ea conditio desit, deest quoque Superioris concessio. Alii autem cum Pyrrho Corrado, lib. 7, cap. 6, n. 25, et *Ducasse*, 2. part., cap. 4, sect. 1, n. 3, docent talem validam esse dispensationem, modò, tempore fulminationis seu exsecutionis litterarum, vera exstet causa, probantque, quia dispensationes hodiè dantur in formâ commissoriâ, nec veræ sunt nisi cùm exsecutioni mandantur; ergo sufficit si exsecutionis tempore preces veritate niti deprehendantur: v. g., si Petrus dispensationem petat ut possit ducere Mariam sibi affinem, quæ propter paupertatem innupta maneret, validè concedetur, juxta illos Auctores, dispensatio, si paupertas Mariæ vera sit tempore fulminationis, seu exsecutionis litterarum, licèt tempore illarum impetrationis non fuerit vera:

ita practicatur, inquiunt illi Auctores in his rebus versatissimi.

Nec ideò tamen à priori sententiâ recedendum est, 1.° quia Marcus Paulus Leo, Curiæ romanæ recentioris praxis peritissimus, expressè asserit preces veritati consentaneas esse debere tempore quo Rescriptum concessum est; et hanç esse sacræ Pœnitentiariæ praxim etiam testatur Auctor epistolæ Româ missæ ad D. *Collét*. Vid. *Traité des Dispenses*, tom. 1, pag. 97. 2.° Huic opinioni favet Benedictus XIV, in Bullâ *Ad Apostolicæ*, ann. 1742, ubi dicit quòd *expressio causarum, earumque verificatio ad substantiam et validitatem dispensationis pertineat, illisque deficientibus, gratia nulla, ac irrita sit, nullamque executionem mereatur*. Bullar. part. 1, n. XIX.

Resp. 2.° Ex communi sententiâ, si, post impetratum indultum, sed ante collatam dispensationem, cessavit causa nec ampliùs subsistat, delegatus non potest validè dispensare, 1. quia, juxta Benedict. XIV, suprà, *verificatio* causarum *ad substantiam et validitatem dispensationis* pertinet; 2. quia facultas delegato conceditur tantùm à Superiore sub eâ conditione, *Si preces veritate nitantur;* imò, si causa tunc non subsistat, ipse Superior dispensare non posset sine peccato, et ideò non præsumitur dare facultatem Confessario id faciendi.

Resp. 3.° Si, post obtentam super impedimento dispensationem à Superiore vel delegato, causa dispensationis cesset antequàm dispensatio ultimum suum effectum habeat, v. g., si propter paupertatem dispensatio impetrata sit ad matrimonium contrahendum intra gradum prohibi-

tum, et paupertas cesset post dispensationem obtentam et fulminatam, sed antequàm contrahatur matrimonium, *resp.* inquam, tunc, ex probabiliori sententiâ, dispensationem adhuc subsistere. Ratio est, quia dispensatio jam effectum suum sortita est, et relaxatio impedimenti est plenè consummata, cujus proindè obligatio exstinguitur, nec posteà reviviscere potest per solam causæ cessationem.

Dixi, *super impedimento;* si enim agatur de dispensatione super observantiâ alicujus præcepti, v. g. officii, jejunii, etc., propter infirmitatem, si ante dispensationis usum, vel etiam posteà, cesset penitùs infirmitas, tunc manet obligatio servandi præceptum.

Resp. 4.° Si causa cesset, postquàm dispensatio super impedimento habuit suum effectum, v. g., postquàm initum est matrimonium, tunc dispensatio nullo modo reddi potest invalida; et actus ex vi dispensationis jam legitimè factus non potest posteà fieri invalidus vel illicitus.

Quæres an dispensatio cesset per mortem dispensatoris.

Resp. negativè; etenim ex Regulâ 16.â Juris in Sexto, *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum;* favet constans praxis, juxta quam rescripta gratiæ, etiam mortuo Papâ, quotidiè exsecutioni mandantur. Imò, ex communiori sententiâ, omnes gratiosæ concessiones extra contentiosam jurisdictionem, v. g., litteræ dimissoriæ, facultates audiendi confessiones, absolvendi à censuris et casibus reservatis, commutandi vota et juramenta, dispensandi in iisdem et in impedimentis matrimonii, item licentia celebrandi Missas in domo privatâ, etc., non exspirant morte concedentis.

Dixi, *gratiosæ concessiones ;* odiosa enim privilegia, quæ scilicet ita privilegiato favent ut aliis noceant, cessant concedentis obitu; sicut et mandata ad litteras justitiæ exsequendas, re adhuc integrâ, mandantis morte finiuntur.

Hic agendum esset de dispensationibus subreptitiis et obreptitiis, scilicet in quibus casibus dispensatio nulla sit et irrita, propter suppressionem veri vel expressionem falsi : verùm de his sufficienter diximus, ubi de Sacramento Matrimonii.

ARTICULUS IV.

De Abrogatione Legis.

Abrogatio legis est illius universalis abolitio facta ab eo qui habet potestatem.

Dicitur 1.°, *abolitio universalis*, quia per abrogationem lex tollitur absolutè et universìm ac respectu totius communitatis, in quo differt à dispensatione.

Adverte autem quòd, si tota lex ejusque omnis obligatio tollatur, erit propriè abrogatio, si verò una pars legis tollatur, aliâ remanente, v. g., obligatio jejunandi, manente obligatione abstinendi à carnibus, tunc propriè dicitur legis derogatio.

Dicitur 2.°, *facta ab eo qui potestatem habet*, id est, ab ipso Legislatore, vel successore, aut ejus Superiore; et in hoc abrogatio differt à cessatione legis, ad quam sufficit sola mutatio materiæ vel causæ.

PROPOSITIO.

Lex cessat obligare per abrogationem.

Prob. Quia, ut sæpè dictum est, obligatio

legis pendet à voluntate Superioris, qui proindè eam tollere et abrogare potest.

Quæres quomodò lex abrogetur.

Resp. tribus modis legem abrogari posse : 1.° per puram et expressam revocationem; 2.° per legem contrariam ; 3.° per consuetudinem.

Et 1.° per revocationem expressam tollitur legis obligatio ; nempè per declarationem Legislatoris expressè et legitimè manifestatam, se velle talem legem non ampliùs obligare.

2.° Lex abrogatur per contrariam legem, quandò scilicet ponitur nova lex, quæ præcipit fieri contrarium ejus quod priori lege imperabatur. Leges tamen speciales per posteriores generales non abrogantur, nisi expressâ mentione, vel clausulâ saltem generali expressè derogatoriâ, quia, inquiunt Canonistæ, Princeps censetur ignorare legem specialem cui expressè non derogat.

Adverte quòd lex non debet dici abrogata quoties excusari seu explicari potest contrarietas duarum legum, ut habetur lege ultimâ, Codice de Appellat. et cap. *Cùm expediat*, de Electione, in Sexto.

3. Deniquè legis abrogatio fit per consuetudinem. Sed de hâc paulò fusiùs agendum est.

APPENDIX.

De Consuetudine.

Quæres 1.° quid sit consuetudo.

Resp. consuetudinem esse frequentiam actuum inter se similium, seu frequentem à longo tempore continuatam seriem quorumdam actuum humanorum similium.

Quæres 2.° quotuplex sit consuetudo.

Resp. triplicem esse consuetudinem : alia enim est *secundùm legem*, alia *contra legem*, et alia *præter legem.*

Consuetudo *secundùm legem* est communis observatio legis, seu est frequentia actuum à lege præceptorum, v. g., consuetudo audiendi Missam diebus festis, jejunandi in Quadragesimâ, etc.

Consuetudinis secundùm legem duplex est effectus : 1.us est legem firmare et conservare, ut notat Gratianus in cap. *In istis*, distinct. 4.â, ubi sic loquitur : *Leges instituuntur cùm promulgantur; firmantur cùm moribus utentium approbantur.* 2.us Effectus est legem interpretari, velut testificando talem fuisse mentem Legislatoris, vel legem taliter fuisse receptam : undè cap. *Cùm dilectus*, de Consuetudine, dicitur : *Consuetudo optima legum interpres*; et communiter dicunt Doctores legem esse interpretandam secundùm consuetudinem, etsi oporteat verba legis minùs propriè exponere.

Dupliciter autem consuetudo legem interpretari potest. Primò quidem certò et infallibiliter, et, ut loquuntur, authenticè, si nempè sit universalis et legitimè præscripta. Secundò conjecturaliter tantùm et probabiliter, quandò consuetudo nondùm est præscripta.

Consuetudo *contra legem* est frequentia actuum qui à lege prohibentur : hæc autem consuetudo, si debitas habeat conditiones, vim habet abrogandi legem positivam humanam, ut constat ex titulo de Consuetudine, idque verum est de omnibus legibus etiam ecclesiasticis, item de irritantibus et pœnalibus, ita ut contraria consuetudo eas omninò abrogare possit.

Quæres 3.° an consuetudo possit abrogare legem, si lex ipsa prohibeat quamcunque contrariam consuetudinem.

Resp. 1.° legem quæ resistit consuetudini, solùm revocando consuetudinem præteritam, posse per sequentem contrariam consuetudinem abrogari, quia lex præcedentem legem revocans abrogari potest per subsequentem; ergo similiter consuetudo sequens potest abrogare legem, quæ revocat tantùm consuetudinem præteritam.

Utrùm autem hæc formula, *Non obstante quâcunque consuetudine*, et similes extendantur ad futuram consuetudinem sicut et ad præteritam, controvertitur inter Doctores. Affirmant aliqui, sed alii probabiliùs negant, tum quia non est extendenda improbatio consuetudinis, ut potè odiosa, tum quia Legislator interdùm non vult nec intendit futuram consuetudinem revocare; ergo, si non exprimat, præsumitur eum velle tantùm revocare consuetudinem præteritam et non futuram.

Resp. 2.° legem quæ revocat futuram consuetudinem non posse per illam consuetudinem abrogari. Ratio est, quia, ut dicemus, consuetudo non potest legem abrogare, nisi Princeps consentiat, qui certè non consentit, cùm in lege suâ expressè resistit consuetudini contrariæ.

Consuetudo *præter legem* est frequentia actuum qui nullâ lege præcipiuntur aut prohibentur; hæc autem consuetudo, si debitas habeat conditiones, vim habet inducendi legem et jus constituendi perindè ac si lex scripta esset, et ideò potest sicut lex scripta obligare in conscientiâ sub peccato, et etiam sub pœnâ, et irritatione ac nullitate actûs.

Definitur ab Isidoro, *Jus quoddam moribus*, id est, actuum frequentiâ *institutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex*, scilicet scripta.

Quæres 4.° quænam conditiones requirantur ut consuetudo legem inducat vel abroget.

Resp. omnes reduci posse ad quinque.

1.ª Est ut consuetudo sit publica et universalis; publica quidem, quia, nisi actus frequententur palàm et publicè, non aderit consensus populi nec Principis; universalis verò, quia, nisi populus vel major pars Communitatis frequentet actus, non poterit introduci consuetudo quæ vim habeat abrogandi vel inducendi legem obligantem totam Communitatem.

2.ª Conditio est ut consuetudo seu frequentia actuum voluntaria sit et fiat à populo ex intentione se obligandi vel se eximendi ab obligatione legis: 1.° quidem consuetudo debet esse voluntaria, alioqui populus non censeretur in eam consentire: ex quo patet quòd ad inducendam consuetudinem non sufficiant actus ex ignorantiâ vel errore frequentati, quia liberi non sunt, imò neque ex gravi metu extorti, quia, licèt metus gravis non tollat omninò libertatem, tamen tollit voluntarium ad inducendam obligationem, cùm liberior consensus populi postuletur. 2.° Frequentia actuum debet fieri à populo ex intentione se obligandi vel eximendi ab obligatione legis: de intentione se obligandi patet, quia lex nulla est sine intentione se obligandi; ergo nec consuetudo vim legis obtinebit, si desit in populo intentio se obligandi. Hinc fit ut aliquæ consuetudines universales reperiantur, v. g., sumendi aquam benedictam in ingressu Ecclesiæ, accipiendi cineres benedictos initio Quadragesimæ, quæ ta-

men non obligant nec habent vim legis, quia scilicet inchoatæ sunt et continuantur, non animo inducendæ obligationis, sed liberâ pietate ac devotione fidelium.

Quæres quomodò cognosci possit utrùm aliqua consuetudo introducta sit cum intentione se obligandi, necne.

Resp. certam in hoc non posse dari regulam, sed id relinquendum esse judicio viri prudentis, qui attendere debet ad quasdam conjecturas, v. g., si consuetudo sit longi temporis ac rei gravis ac difficilis, vel Reipublicæ valdè utilis. Quòd si populus graviter scandalizetur, et prudentes malè sentiant de his qui non servant consuetudinem, maximè si accedat ex parte Superiorum consensio vel punitio, hæc et similia signa erunt consuetudinem habere vim obligandi.

Quod spectat ad intentionem se eximendi ab obligatione legis, constat etiam eam requiri ut consuetudo possit abrogare legem; quæ quidem intentio et voluntas populi satis ostenditur et significatur per frequentiam actionum vel omissionum contra legem.

3.ª Conditio est ut consuetudo sit cum aliquo consensu Principis, si ab eo pendet Communitas; solius enim est Principis legem statuere et abrogare; ergo, ex ejus solùm consensu, consuetudo populi legem inducere potest vel abrogare.

Cæterùm duplici modo consentire possunt Principes, 1.° personaliter, idque vel expressè, approbando consuetudinem, vel saltem tacitè, videndo scilicet et non impediendo, in iis circumstantiis in quibus moraliter constat tolerantiam non solùm esse permissivam sed et approbativam. 2.° Princeps consentire potest legaliter

et juridicè per aliquod jus et legem, nempè si lex aliqua statuat ut consuetudo, quæ habet has vel illas conditiones, valeat ad inducendam vel abrogandam legem : sic, capite ultimo de Consuetudine, statuitur consuetudinem, rationabilem et legitimè præscriptam, Juri canonico derogare; quòd si Juri canonico derogare potest, à fortiori novam potest inducere obligationem. Idem etiam habetur in lege ultimâ, Codice, *quæ sit longa consuetudo*. Undè infertur quòd, quandò consuetudo populi habet duas conditiones mox explicandas, adest tunc Principis consensus legalis et juridicus, neque requiritur ejus consensus personalis, neque scientia consuetudinis, sed, ipso Principe nihil de novo sciente aut volente, consuetudo efficaciter inducitur.

4.[a] Conditio est ut consuetudo sit rationabilis, ita enim habetur citato capite ultimo de Consuetudine; et ratio est evidens, quia, si id per quod introducitur consuetudo non sit rationabile, id est, res honesta et utilis Reipublicæ, non poterit esse materia legis introducendæ, nec causa justa illius abrogandæ.

Quæres quot conditiones requirantur ut consuetudo judicetur rationabilis.

Resp. quatuor requiri : 1.[a] quòd nec naturali nec divino juri repugnet, quia contra illud non possunt prævalere consuetudines et traditiones hominum, Matth. c. 15. 2.[a] Est ut consuetudo non reprobetur ut irrationabilis et corruptela seu abusus, ut patet ex cap. *Cùm venerabilis*, de Consuetudine, et capite 1, *Eodem*, in Sexto. Adverte tamen ob rerum mutationem fieri posse ut consuetudo, quæ priùs reprobata erat tanquam irrationabilis, evadat deindè rationabilis. 3.[a] Est

ut consuetudo non præbeat occasionem peccandi, nec aliâ ratione sit perniciosa utilitati communi, quod patet ex cap. 1 et cap. *Ex parte*, de Consuetudine; v. g., si talis esset consuetudo quòd subditi non visitentur à Prælatis, quòd homicidium levi pœnâ pecuniariâ plectatur. 4.ª Est ut consuetudo nitatur aliquâ ratione quæ sufficeret ad legem statuendam vel justè revocandam. Quæ quidem ratio major esse debet ad legem inducendam per consuetudinem, quàm ad abrogandam; quia ad inducendam legem requiritur ut consuetudo positivè conferat ad utilitatem publicam, ad legem autem abrogandam sufficit si publicæ utilitati consuetudo non adversetur. 5.ª et ultima conditio, ad consuetudinem introducendam necessaria, est ut longa sit et diuturna, sive, ut Jura loquuntur, legitimè præscripta censeatur.

Quæres quale tempus requiratur ut consuetudo legitimè præscripta censeatur.

Resp. 1.º, ex communi sententiâ, requiri in civilibus legibus decennium tam ad abolendam quàm ad inducendam legem per consuetudinem. Ratio est, quia Jus civile solùm requirit ad consuetudinem longum tempus: at longum tempus est decem annorum, Cod. de Præscript. longi temporis.

Contendit verò D. *Toullier* nullam dari posse certam regulam, et illud pendere ex factis et circumstantiis, proindèque ad judices pertinere ut, attendendo ad numerum et frequentiam actuum, statuant nùm declarandæ præscriptioni locus sit, an sufficientes illius consuetudinis afferantur probationes, an deniquè, pro tempore ex quo viget, censeri possit in notitiam venisse civium et Legislatoris. Quæ quidem omnia eruuntur, pergit citatus auctor, ex auctoritate, ut aiunt, *rerum per-*

petuò similiter judicatarum, L. 38, ff *de Leg.*; ex testimonio Magistratuum, Jurisperitorum, Causidicorum, etc. *Toullier*, tom. 1, pag. 101, 1. edit.

Resp. 2.°, ex communi sententiâ, in legibus ecclesiasticis requiri decem annos ad eas introducendas, quadraginta verò ad eas abolendas. Ratio est, quia, in iis quæ non sunt contra jus Ecclesiæ, decem anni dicuntur longum tempus in Jure canonico; in iis autem quæ sunt contra jus Ecclesiæ, longum tempus dicitur quadraginta annorum, capite *De quartâ*, cap. *Ad aures*, et aliis, de Præscriptionibus.

Aliqui tamen non improbabiliter censent sufficere decennii præscriptionem, tam ad abrogandas quàm ad introducendas leges ecclesiasticas.

Adverte 1.° determinatum et longum tempus requiri solùm pro consuetudine, ignorante Principe, et tantùm cum juridico seu legali ejus consensu. Si tamen Princeps sciat consuetudinem, et personaliter in eam consentiat, sive expressè sive tacitè, nullum requiritur tempus determinatum à Jure, sed tamen tale, quale sufficit judicio viri prudentis ad cognoscendam mentem Principis, attendendo, v. g., utrùm consuetudo frequentiorem et magis publicum usum habeat, quia tunc breviori tempore Princeps censebitur consentire, et etiam adhuc breviori, si qua sententia lata sit in favorem consuetudinis, maximè si sit à Principe confirmata.

Adverte 2.° Si, post incœptum consuetudinis tempus, populus faciat contra consuetudinem, vel Princeps resistat, tunc præscriptio non valet, ita ut necesse sit illud tempus iterùm incipere.

Dices : Consuetudo contra legem non potest esse rationabilis, quia scienter facere contra legem est peccatum. Item non potest legitimè præscribi,

quia, ubi est peccatum, non adest bona fides, quæ tamen necessaria est ad præscribendum.

Resp. præscriptionem consuetudinis inchoari non posse nisi cum bonâ fide; cùm verò sæpè contingat, saltem in principio consuetudinis, ut actus scienter fiant contra legem absque sufficienti ratione, ac proindè cum peccato, indè fit ut consuetudinis præscriptio non inchoetur ab his qui consuetudinem incipiunt, sed solùm ab eorum successoribus, qui existimant, et in dubio præsumere possunt, antecessores suos justam habuisse causam non servandæ legis, quorum exemplum secuti, possunt bona fide præscriptionem inchoare, imò etiam, quasi bonâ fide jam ab antecessoribus fuisset inchoata, hanc tandem implere et perficere.

Respondent alii quòd, quamvis omnes actus facti contra legem ante impletum tempus præscriptionis fuissent peccaminosi, nihilominùs tamen, completo tempore, lex abrogaretur vi Juris; adduntque illam consuetudinem non fore proptereà irrationabilem, quia non erit contra jus naturale vel divinum aut communem utilitatem.

Deindè respondent quòd bona fides requiritur quidem ad præscriptionem propriè dictam, non autem ad consuetudinem, quæ impropriè tantùm et quasi præscripta dicitur solùm, quia diuturnum tempus postulat.

Ex dictis constat ad consuetudinem legitimè introducendam has quinque conditiones requiri: 1.ª est ut consuetudo sit publica et universalis; 2.ª ut actus seu frequentia actuum fiat à populo ex intentione se obligandi vel se eximendi ab obligatione legis; 3.ª ut consuetudo introducatur cum aliquo consensu Principis; 4.ª ut sit rationabilis; 5.ª ut sit legitimè præscripta.

TRACTATUS
DE PECCATIS.

Quanta sit hujus Tractatùs utilitas ipso titulo declaratur : sicut enim in lege mosaicâ ad Sacerdotes pertinebat lepram et varias lepræ species discernere, ita et nunc in lege evangelicâ Sacerdotis proprium ac difficillimum officium est peccata et varias peccatorum species cognoscere, ut in tribunali pœnitentiæ, velut spiritualis Medicus, animi morbos valeat curare atque avertere.

Hic autem sex nobis circa peccatum in ordine ad praxim Sacramenti Pœnitentiæ præcipuè examinanda sunt; 1.° quandonàm actio aliqua sit peccatum; 2.° quandonàm peccatum sit mortale aut veniale; 3.° undè sumatur distinctio specifica peccatorum; 4.° quænam circumstantiæ mutent speciem peccati, vel aggravent; 5.° undè sumatur distinctio numerica peccatorum; 6.° deniquè agemus de multiplici divisione peccatorum.

CAPUT PRIMUM.

Quandonàm aliqua actio sit peccatum.

Ad discernendum inter peccatum et non peccatum, duo tantùm scire opus est : 1.° quid sit peccatum; 2.° quæ sint conditiones ad peccandum necessariæ : de quibus agemus sequentibus articulis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit peccatum.

Nota 1.° aliud esse vitium, aliud peccatum.

Nam vitium propriè significat habitum seu pravam aliquam et permanentem subjecti dispositionem, quæ inclinat ad peccatum. At verò peccatum propriè significat operationem aliquam à debitâ regulâ deficientem.

Nota 2.° peccatum posse considerari, vel ut est actuale seu actus quidam pravus, vel prout dicitur habituale, id est, quatenùs post se relinquit maculam seu privationem gratiæ à peccato dependentem, vi cujus homo est et manet peccator. Porrò peccatum præteritum mortale censetur perseverare, donec sufficienter retractatum sit.

His prænotatis, non est hìc nobis animus tractandi de vitiis, neque etiam de peccato habituali, sed tantùm de peccato actuali propriè sumpto.

PROPOSITIO.

Peccatum in genere benè definitur, transgressio libera legis, *seu* libera actio vel omissio transgressiva legis.

Ratio propositionis est, quia in hâc brevi definitione continetur genus et differentia peccati; genus quidem, in eo quòd sit actio vel omissio libera; per hoc enim convenit peccatum cum omni actu humano; differentia verò, quòd sit contra legem seu præceptum Superioris; per hoc enim differt ab actu humano bono vel indifferenti.

Confirmatur, quia in idem recidunt aliæ definitiones peccati, præsertìm verò ista S. Thomæ definitio : *Peccatum est actus humanus moraliter malus ;* item celebris ista definitio S. Augustini : *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.*

Circa quas definitiones notandum est, quandò peccatum dicitur esse contra legem Dei, non excludi alias leges Superiorum, sed significari quòd in omni peccato et transgressione cujuscunque legis, etiam humanæ, Deus ipse offenditur, et violatur lex Dei æterna, quâ tenemur quibuscunque legitimis Superioribus obedire.

Simili modo omne peccatum rectæ rationi adversatur, quia recta ratio docet Superioribus obediendum esse.

ARTICULUS II.

Quæ sint conditiones ad peccandum necessariæ.

PROPOSITIO.

Ad peccandum, seu ad culpabilem legis transgressionem, duæ conditiones sunt necessariæ, scilicet advertentia rationis, et consensus liber voluntatis.

Propositio hæc certa est, et ratio est evidens, quia sine hâc duplici conditione transgressio legis non esset voluntaria et libera, ideòque nec peccatum. Solùm igitur explicandæ sunt hæ duæ conditiones.

1.ª Conditio ad peccandum requisita se tenet ex parte intellectùs, et est deliberatio et advertentia, id est, aliqua actualis et expressa consideratio sive cogitatio malitiæ et prohibitionis actûs, aut saltem aliqua dubitatio vel suspicio peccati, aut periculi peccandi, aut prævisio distincta vel confusa actûs mali in suâ causâ, aut negligentia cognoscendi et advertendi; ita ut, si nihil eorum penitùs sit aut præcesserit, quandò actio contra

legem exercetur, non possit esse peccatum. Ratio est, quia, si non præcessit advertentia modo jam explicato, malitia peccati est omninò incognita, ideòque involuntaria, quia nihil est volitum quin præcognitum.

Notandum tamen diligenter quòd, si inadvertentia vel inconsideratio seu omissio advertentiæ voluntaria sit, nullo modo excuset à peccato; sic impii, qui plurima scelera committunt, licèt actu non cogitent de offensâ Dei, non ideò tamen immunes sunt à peccato.

Colliges 1.° motus sensualitatis, et alios quoscunque actus omninò indeliberatos, qui præveniunt omnem rationis advertentiam, et qui dici solent motus primò primi, non esse propriè et formaliter peccata; ratio est, quia illi actus non sunt liberi, quippe non est in nostrâ potestate ut illi actus sint, vel non sint. Notandum tamen pro praxi, difficillimum sæpè esse cognoscere utrùm illi actus omninò prævenerint advertentiam rationis. Undè, quandò pœnitentes confitentur actiones graves ex objecto, v. g., blasphemias aut verba obscena, etc., ordinariè non sunt imponendæ pœnitentiæ leves, etiamsi pœnitentes asserant se illas actiones, sine ullâ prorsùs advertentiâ, commisisse; ratio est, quia non est facilè credendum ipsis pœnitentibus in re tam gravi, et periculum est ne qua culpa intercesserit.

Colliges 2.° nullum peccatum esse, tametsi quis faciat cum advertentiâ actum qui est contra legem Dei, sed sine suâ culpâ non advertendo illum actum esse malum et prohibitum, v. g., cùm quis advertit quidem se comedere carnes, vel cœnare, sed sine suâ culpâ non advertit diem esse jejunii.

Colliges 3.° non committi duo peccata, sed

solùm unum, quoties aliquis actus duplicem habet malitiam, peccator autem unam duntaxat advertit; v. g., qui occidit hominem non advertens esse Clericum, non peccat peccato sacrilegii, sed tantùm injustitiæ, modò tamen illa ignorantia vel inadvertentia sit antecedens et causa actûs, nec merè concomitans.

2.ª Conditio ad peccandum requisita, quæ se tenet ex parte voluntatis, est consensus liber ipsius voluntatis, id est, actus aliquis voluntatis, quo ipsa voluntas liberè et sine necessitate fertur in objectum malum ab intellectu propositum; ratio est, quia sine libero consensu voluntatis peccatum non potest esse liberum, ac proindè nec ad culpam imputari, ut patet ex condemnatione tertiæ propositionis Jansenii, quæ hæretica à Summo Pontifice declarata est. Hæc autem propositio his verbis continetur : *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

Colliges 1.° non esse peccatum quoties non adest consensus liber voluntatis. Sic 1. cogitationes aut imaginationes malæ non sunt malæ formaliter seu peccata, quantumcunque durent, quandiù voluntas eas non approbat, nec iis consentit, nec per desidiam negligit. Sic 2. id omne quod fit renitente voluntate non est peccatum; v. g., si apprehensâ manu alicujus inviti et reluctantis alius occidatur, illud homicidium non erit peccatum formaliter respectu reluctantis. Sic deniquè omnes actus necessarii et coacti non sunt peccaminosi, quia non sunt liberi.

È contrà colliges 2.° toties esse peccatum, quoties, in transgressione alicujus legis actu obligan-

tis, adest consensus voluntatis cum sufficiente rationis advertentiâ. Neque refert quòd hunc consensum veluti extorqueat vehementissima passio, vel metus mortis, aut vis aliqua de facto illata; si enim hæc omninò non tollant judicium et advertentiam rationis, non excusant à peccato, sed tantùm illud minuunt. Ratio est, quia semper remanet voluntas libera et indifferens ad consentiendum vel dissentiendum; quippe quæ cogi non potest quoad suum consensum seu actum interiorem ab ipsâ immediatè elicitum, quamvis cogi possit circa actus potentiarum exteriorum, quæ ipsius moventur imperio : sic, v. g. quamvis aliquis, apprehensâ alterius manu, possit illum cogere ad occidendum hominem, non tamen ad consentiendum tali occisioni cogere illum potest. Consule *Tract. de Actibus humanis*, cap. 1, sect. 1, art. 2.

Quæres quotuplex distingui possit consensus voluntatis sufficiens ad peccandum.

Resp. duplicem esse, scilicet *directum* et *indirectum*.

Consensus *directus* est ille quo voluntas aliquid in se immediatè et expressè vult et intendit, v. g., cùm quis inimicum suum vult occidere.

Consensus *indirectus* est ille quo voluntas aliquid vult non quidem in se, sed in alio ex quo illud secuturum esse prævidet, aut prævidere potest et debet, tanquam ex suâ causâ, ut cùm quis vult aliquid facere, v. g., se inebriare, vel diligentiam omittit liberè, prævidens indè secuturum aliquod peccatum, ut homicidium, blasphemiam, etc. Hujusmodi enim peccatum est ipsi voluntarium indirectè et in causâ, non in se, sed in actione vel omissione ex quâ prævidetur secuturum;

secuturum; quod sufficit ut imputetur ad culpam, etiamsi de facto non sequatur ex eâ actione, v. g., quamvis in ebrietate reipsâ non fiat homicidium, nec blasphemia proferatur. Ratio est, quia tunc verè et propriè aliquis fit reus homicidii vel blasphemiæ, quandò voluntariè ponit ejus causam, scilicet inebriationem in casu proposito. Vid. ibid. art. 1.

Ad consensum indirectum reducitur negligentia crassa et culpabilis tollendi seu destruendi pravos habitus, ex quibus prævidetur multa oritura peccata. Hujusmodi enim actus, qui oriuntur ex pravis habitibus non retractatis, sunt voluntarii indirectè, id est, non quidem aliquandò in se, sed in suâ causâ, seu in habitu pravo non retractato. Undè sequitur quòd, si quis habitum blasphemandi vel perjurandi contraxerit, et destructioni hujus pravi habitûs, secundùm Confessarii consilium, sedulò vacare noluerit, tunc blasphemiæ et perjuria, quæ quasi sine actuali advertentiâ profert, ipsi tamen ad culpam imputantur. È contrà sequitur quòd, si quis post contractum hujusmodi habitum pravum, aliquas blasphemias vel perjuria profert sine advertentiâ ullâ actuali, tunc non peccat, modò adsit duplex conditio. Prima est, si habitum pravum per veram pœnitentiam retractavit; secunda est, si fidelis sit ad remedia adhibenda à prudenti Confessario injuncta, qualia sunt oratio, jejunia, eleemosynæ, frequentatio sacramentorum, fuga occasionum, et alia hujusmodi: tunc enim illæ blasphemiæ vel perjuria, quæ sine advertentiâ ex habitu oriri supponuntur, non sunt voluntaria: non quidem in se, ut patet; neque etiam in causâ, cùm illa sufficienter retractata sit, ut supponimus.

Notandum tamen est in praxi vix contingere ut ejusmodi mala verba proferantur, absque aliquâ vel advertentiâ vel saltem negligentiâ advertendi; atque ideò unumquemque conscium quòd ea sibi exciderint de iis accusare se in confessione debere.

Cæterùm, ut peccatum censeatur voluntarium hoc consensu indirecto, requiritur ut quis omittat non solùm quod potest, sed etiam quod tenetur facere; quia, si omittat id quod potest sed quod non tenetur facere, dicitur solùm permittere peccatum materiale, non tamen illud velle.

CAPUT II.

Quandonàm Peccatum sit mortale, aut solùm veniale.

Notandum 1.° peccatum mortale rectè definiri ex S. Thomâ, et Ricardo à S. Victore, peccatum quod, tam ex parte objecti seu materiæ, quàm ex parte modi quo committitur, habet totum omne quod requiritur ut sit gravis offensa Dei, repugnans amicitiæ et charitati erga Deum. Dicitur autem mortale, quia infligit mortem animæ, tollendo principium vitæ spiritualis, scilicet gratiam spiritualem, et inducendo reatum secundæ mortis, id est, damnationis æternæ. Veniale peccatum illud est quod ex parte objecti seu materiæ, vel ex parte modi quo committitur, est tantùm levis offensa, nec dissolvit amicitiam cum Deo. Dicitur autem veniale, quia, salvo principio vitæ spiritualis, nempè gratiâ sanctificante, languorem et infirmitatem facilè curabilem infert animæ, et solùm pœnæ temporalis reatum inducit.

Notandum 2.° peccatum mortale aut veniale

aliud esse tale *ex genere suo*, id est, ex naturâ suâ præcisè, et spectato objecto sine circumstantiis : sic homicidium est peccatum mortale ex genere suo, mendacium verò jocosum est solummodò veniale ex genere suo. Aliud autem est mortale aut veniale solummodò *per accidens*, nempè ex accidentali aliquâ circumstantiâ : sic voluntariè delectari cogitatione rei turpis est peccatum mortale; tamen per accidens, ob imperfectam deliberationem, poterit esse solùm veniale. È contrà verò mendacium jocosum, quamvis ex se sit peccatum veniale tantùm, tamen per accidens, propter aliquod grave scandalum, poterit fieri peccatum mortale; v. g., si quis mendacium proferat ad aliquem inducendum ad peccatum mortale.

Porrò hìc nobis præcipuè elaborandum est in tradendo modo quo possimus discernere peccatum veniale à mortali, quod summè necessarium est, et non parùm difficile. Ut igitur hoc tentemus, quæstionem propositam in tres articulos dividemus : in 1.° quæremus quandonàm peccatum judicari debeat mortale, aut solùm veniale ex genere suo; in 2.° discutiendum erit quandò peccatum mortale ex genere suo fiat veniale per accidens; in 3.° quandò peccatum veniale ex genere suo fiat mortale per accidens.

ARTICULUS PRIMUS.

Quandonàm Peccatum judicari debeat mortale aut veniale ex genere suo.

Dari peccata mortalia certum est ex Scripturâ et Patribus : Gal. c. 5, Rom. c. 1, etc., ut dicemus inferiùs. Similiter certum est dari peccata venialia : undè Prov. c. 24, ℣. 16, dicitur :

Septies enim cadet justus et resurget; difficultas tantùm est dignoscendi quænam sint peccata mortalia, quænam verò venialia.

PROPOSITIO PRIMA.

Toties peccatum judicari debet mortale ex genere suo, quoties gravem deformitatem habere dignoscitur, vel ex Scripturâ sacrâ, vel ex consensu Ecclesiæ, vel ex communi Doctorum sententiâ, vel ex ratione.

1.° Quidem judicamus ex Scripturâ sacrâ aliquod peccatum esse mortale ex genere suo, quandò dicitur dignum morte, aut excludere à regno cœlorum, aut esse exsecrandum, vel abominabile, etc. Hæ et similes expressiones significant deformitatem valdè gravem, et proindè mortalem: sic, v. g., Galat. c. 5, ℣. 21, enumerantur ab Apostolo opera carnis: scilicet fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia; de quibus pronuntiat S. Paulus: *Quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

2.° Judicamus aliquod peccatum mortale esse ex genere suo, quandò Ecclesia in Decretis Conciliorum aut Sum. Pontificum id tale declaravit, vel quandò est communis SS. PP. sensus, vel omnes fideles communiter sic sentiunt; sic, v. g., simonia et confidentia circa Beneficia ecclesiastica sæpiùs judicata est ab Ecclesiâ ut gravissimum peccatum; sic etiam, ex communi persuasione et consensu omnium fidelium, grave peccatum judicatur omissio Missæ die festo, et generaliter transgressio alicujus ex communibus Ecclesiæ præceptis.

3.° Optima via ad discernendum an aliquod peccatum sit mortale ex genere suo, est communis Theologorum consensus, à quo recedere planè esset temerarium : sic, v. g., administratio sacramenti, facta à Ministro ad id specialiter consecrato, in statu peccati mortalis, sine dubio judicari debet peccatum mortale, ita enim sentiunt omnes Doctores.

4.° Judicari potest aliquod peccatum esse mortale, quandò per rationem dignoscitur habere gravem deformitatem : ad cognoscendum autem utrùm peccatum habeat gravem deformitatem, examinandum est an gravem Deo injuriam faciat, ut sunt peccata contra fidem, spem, charitatem et religionem; vel utrùm illud peccatum cum proximi injuriâ notabili aut damno gravi conjungatur, ut sunt peccata contra justitiam et charitatem proximi; vel deniquè utrùm ipsum peccatum conjungatur cum ipsius operantis gravi incommodo contra naturæ ordinem, ut sunt peccata luxuriæ et ebrietatis. Itaque omnia supradicta peccata venialia esse non possunt, nisi ex parvitate materiæ, vel ex defectu advertentiæ aut consensûs. Sunt tamen quædam ex iis quæ levitatem materiæ non admittunt, v. g., peccata contra fidem et castitatem.

PROPOSITIO II.

Toties peccatum judicandum est solùm veniale ex genere suo, quoties neque ex Scripturâ, neque ex Ecclesiæ sensu, neque ex unanimi Theologorum sententiâ, judicari potest habere gravem deformitatem seu gravem repugnantiam cum lege Dei et rectâ ratione.

Porrò circa ea quæ tradidimus de modo dis-

cernendi peccata mortalia et venialia, adverte quòd regula discernendi peccata, quæ ducitur ex Scripturâ sacrâ, ex Conciliis et Sum. Pontificum Decretis, multò tutior sit, quàm regula ducta ex ratione; nam, ut ait S. Augustinus in sui Enchiridii cap. 78, *quæ sint autem levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio.* Et infrà, cap. 79 : *Sunt autem quædam quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo, fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret?*

Itaque ex S. Aug. judicare non debemus levitatem vel gravitatem peccatorum ex ratiocinationibus nostris, neque ex sensu nostro : nam is facilè allucinatur, et in materiâ morali nihil facilius quàm in utramque partem aliquid apparenter dicere. Undè patet casus difficiliores non leviter sed sedulò esse examinandos, antequàm definiantur. Dicit enim idem S. August., lib. 21 de Civ. Dei, cap. 27 : *Sed quæ sint ipsa peccata quæ impediunt perventionem ad regnum Dei... invenire difficillimum, periculosissimum definire : ego certè usque ad hoc tempus ad eorum indaginem pervenire non potui, et fortassis propterèà latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat.*

Ex quibus patet semper in hâc materiâ præsertim ad Scripturam recurrendum esse. Ubi verò nihil certi in Scripturâ habetur, sensus Ecclesiæ et majorum nostrorum consulendus est, et præferendus omni argutiæ et ratiocinationi nostræ.

ARTICULUS II.

Quandonàm Peccatum mortale ex genere suo sit veniale per accidens.

Suppono, ex communi Theologorum consensu, certum esse ad peccatum mortale tria requiri, scilicet: 1.° plenam advertentiam ex parte intellectûs; 2.° consensum plenè liberum ex parte voluntatis; 3.° gravem deformitatem ex parte materiæ seu objecti circa quod versatur peccaminosus actus, habitâ saltem ratione finis propter quem prohibetur objectum.

PROPOSITIO PRIMA.

Peccatum mortale ex genere suo potest fieri veniale per accidens, defectu plenæ advertentiæ.

Ratio est, quia, ut jam diximus, ad peccatum mortale requiritur plena advertentia, sed aliquandò potest deesse illa plena advertentia in peccato mortali ex genere suo, ut patet in semidormientibus; ergo tunc illud peccatum potest fieri veniale per accidens, defectu plenæ advertentiæ.

Dixi in propositione, *defectu plenæ advertentiæ,* quippe à Theologis distinguitur duplex deliberatio seu advertentia ad malitiam peccati, scilicet imperfecta et perfecta. Imperfecta seu semiplena est advertentia, cùm quis velut in confuso malitiam peccati vel periculum peccandi advertit, v. g., quandò semiebrii aut semidormientes aliquid advertunt: perfecta est autem advertentia, cùm quis malitiam peccati vel periculum peccandi distinctè cognoscit, aut potuit ac debuit cognoscere; v. g., quandò quis advertit

actum suum esse contrarium legi divinæ, vel saltem de eo dubitat, aut culpabiliter advertere negligit, putà, quia laborat ignorantiâ vincibili, tunc dicitur habere plenam advertentiam et sufficientem ad peccatum mortale. Quandò verò est imperfecta advertentia, tunc est tantùm peccatum veniale.

Porrò signa imperfectæ advertentiæ sunt, 1.° defectus ætatis, quandò scilicet peccans nondùm attigit septennium, et dubitat utrùm peccaverit mortaliter; tunc præsumi potest non habuisse plenum usum rationis; 2.° vehemens passio, aut ad aliud objectum attentio, quia hæc omnem advertentiam impedire possunt, et ordinariè illam minuunt; 3.° quandò quis dubitat an peccatum perpetrando fuerit perfectè excitatus à somno, vel non; an esset mentis compos, an in ebrietate, aut phrenesi, etc.; quæ enim fiunt ratione plenæ advertentiæ, facillimè cognoscuntur sic esse facta, nisi fortè mora temporis oblivionem induxerit.

Notandum obiter quosdam Doctores loqui de quâdam advertentiâ perfectissimâ, quâ non tantùm res, sed etiam ipsius sequelæ, motiva, et media clarissimè cognoscuntur, ac diù perpenduntur. Hæc autem advertentia non est necessaria ad peccandum mortaliter; sufficit enim advertentia perfecta de quâ locuti sumus, sive sit actualis, sive virtualis interpretativa; nam, si talis advertentia perfectissima requireretur, vix homines, præsertìm rudes, peccarent mortaliter. Veruntamen certum est eò gravius esse peccatum, quò perfectior est advertentia.

PROPOSITIO II.

Peccatum mortale ex genere suo potest fieri veniale per accidens, defectu consensûs plenè liberi.

Ratio est, quia, ut jam diximus, ad peccatum mortale requiritur consensus plenè liber : atqui sæpè contingit non esse consensum plenè liberum, ut interdùm accidit in tentationibus quas experiuntur viri timorati; ergo tunc peccatum illud erit veniale per accidens, defectu consensûs plenè liberi.

Dixi, *defectu consensûs plenè liberi,* quia consensus liber duplex distinguitur à Theologis, scilicet plenus et semiplenus. Consensus censetur plenus, quandò sequitur plenam rationis advertentiam. Semiplenus verò seu imperfectus censetur, quandò sequitur semiplenam et imperfectam rationis advertentiam, et talis consensus dicitur semiplenè deliberatus, seu motus secundò primus; motus verò primò primus ille est qui omninò est indeliberatus et sine ullâ advertentiâ.

Signa imperfecti et semipleni consensûs sunt, 1.° conscientia timorata abhorrens à peccato mortali, vel animus firmus ac sæpè repetitus nunquàm peccandi mortaliter; si enim quis talem habeat animum vel conscientiam, et dubitet an plenè consenserit, signum est eum non consensisse nisi ad summum imperfectè; quia, scilicet, præsumptio sumitur ex communiter contingentibus, et quia, si plenè consensisset, facilè id cognosceret : at verò non ita sentiendum est de homine qui facilè committit peccata mortalia; hic enim, quandò dubitat, præsumere debet se plenè consensisse. 2.° Fa-

cilitas quam quis habuit exsequendi exteriùs peccatum quod tamen non admisit, indicium est eum non consensisse tentationi; et similiter, si statim posteà facilè potuit peccatum admittere, illudque pro viribus respuit, præsumere potest se anteà peccato non consensisse, quia non ita facilè affectus mutatur, quin saltem id advertatur. Examinandum tamen est an præ pudore, aut timore humano, vel aliâ simili ratione, à peccato se abstinuit; in hoc enim casu aliter est ratiocinandum. 3.° Deniquè signa imperfectæ deliberationis sunt etiam signa semipleni consensûs.

PROPOSITIO III.

Peccatum mortale ex genere suo potest fieri veniale per accidens, ratione parvitatis materiæ.

Ratio est, quia ad peccatum mortale requiritur gravis deformitas ex parte materiæ, seu objecti circa quod versatur peccatum : sed potest aliquandò ita imminui materia peccati, ut levem tantùm deformitatem habeat; ergo, etc.

Porrò tunc adest materiæ parvitas, quandò materia seu objectum peccati est levis momenti, seu quandò in eâ non invenitur ratio gravis deformitatis, nempè vel gravis irreverentiæ contra Deum, vel gravis injuriæ contra proximum, vel gravis suî ipsius læsionis aut corruptionis. Ad majorem rei elucidationem,

Quæres quomodò discernendum sit utrùm aliquod peccatum sit grave vel leve ratione materiæ.

Resp. 1.° attendendum esse utrùm illud peccatum sit ex eorum numero quæ nunquàm fieri possunt venialia ratione parvitatis materiæ; quia,

etiamsi in illis materia videatur parva, tamen reverà gravis est, cùm in eà inveniatur ratio gravis irreverentiæ contra Deum, vel gravis injuriæ contra proximum, vel gravis incommodi contra seipsum. Sic 1. quoad peccata contra Deum, in odio Dei, in blasphemiâ, in perjuriis, in contemptu directo et immediato Dei, in infidelitate, in peccatis contra spem theologicam, in magià et superstitione junctâ cum pacto expresso cum dæmone, in simoniâ, in fractione sigilli confessionis, in illis omnibus materia est semper gravis, cùm reperiatur gravis injuria contra Deum vel res sacras. Sic 2. quoad peccata contra proximum, in homicidio injusto nunquàm reperitur materiæ parvitas, quia est gravis injuria contra proximum. Sic 3. quoad peccata contra nos ipsos, in ebrietate et luxuriâ non est materiæ parvitas, quia in illis peccatis est gravis læsio et corruptio suîipsius.

Resp. 2.° quoad alia peccata, quæ fieri possunt venialia ex parvitate materiæ, tunc ut rectum ac prudens feratur judicium de materiæ gravitate aut levitate, materiam considerandam esse non tantùm absolutè in seipsâ, sed etiam cum omnibus circumstantiis, maximè cum relatione ad finem præcepti contra quod peccatur; fieri enim potest ut, quamvis materia absolutè in se sit parva et levis momenti, tamen in ordine ad finem præcepti censeatur multùm gravis, et ideò in dijudicandâ materiæ gravitate duo imprimis attendenda sunt, scilicet 1. an finis præcepti contra quod peccatur sit gravis momenti; 2. utrùm talis materia ad illum finem notabiliter et multùm faciat; tunc enim erit materia magni momenti.

Sic igitur 1. Adamus peccavit mortaliter comedendo fructum vetitum, quia, etiamsi res in se

videatur levissima, tamen, si inspiciamus finem propter quem Deus illud sub tam rigorosâ comminatione mortis Adamo prohibuerat, nempè ut esset signum humanæ subjectionis erga Deum, res videbitur gravissima et magni momenti materia : è contrà verò, quia comestio unius frustuli parùm nocet fini præcepti ecclesiastici de jejunio, ideò censeretur respectu illius præcepti materia levis, ac proindè qui frustulum cibi in die jejunii comederet sine ullâ causâ, peccaret solùm venialiter.

Sic 2. in præcepto non furandi, finis intentus est ut non noceatur proximo in suis bonis; quia verò huic fini notabiliter repugnat furtum unius aurei, parùm autem furtum unius denarii, nisi homo esset valdè pauper, ideò materia furti unius aurei dicitur gravis, materia verò furti unius denarii dicitur levis.

Sic 3. in voto largiendi eleemosynam mille aureorum, quia finis intentus est sublevatio pauperum, et illi fini notabiliter noceret qui omitteret dare quinquaginta aureos, propterea omissio illa censeri debet omissio gravis materiæ, quamvis 50 respectu 1000 sint materia parva. Sic è contrà in voto recitandi Rosarii v. g., quia omissio quartæ vel tertiæ partis parùm nocet fini intento, ideò non censetur materia gravis, quamvis quarta vel tertia pars respectu totius sit notabilis.

ARTICULUS III.

Quandonàm Peccatum veniale sit mortale per accidens.

Suppono certum esse peccatum veniale ex genere suo aliquandò fieri posse per accidens mortale; ratio est, quia illud peccatum est mortale

cui adjicitur circumstantia mortaliter mala; sic, v. g., verbis jocosis à Clerico prolatis potest adjici circumstantia scandali mortaliter mali; hinc tot modis, seu toties peccatum veniale ex naturâ suâ evadit mortale, quoties ei adjicitur circumstantia mortaliter mala.

PROPOSITIO.

Sex modis peccatum veniale ex genere suo potest fieri mortale per accidens : 1.° ratione dispositionis actualis; 2.° ratione finis; 3.° ratione scandali; 4.° ratione periculi; 5.° ratione contemptûs; 6.° deniquè ratione multiplicationis materiæ : quæ omnia seorsìm sunt explicanda.

1.° Peccatum veniale ex naturâ suâ potest fieri mortale per accidens, ratione dispositionis actualis ad peccandum mortaliter; quod duobus modis contingere potest : vel 1. quandò quis ita actualiter affectus est ad peccatum veniale, ut, etiamsi sciret peccatum esse mortale, tamen actualiter paratus sit, cum jacturâ amicitiæ divinæ, illud committere, et propter illud gravia præcepta transgredi; vel 2. quandò quis ex conscientiâ erroneâ judicat peccatum quod committit, v. g., mendacium, esse mortale; eo enim ipso quo mentitur, manifestè judicat se habere affectum ad peccatum mortale; ergo peccat mortaliter.

Dixi, *ratione dispositionis actualis*, quia, si quis solùm habitualiter dispositus sit, sine expressâ actuali aut virtuali voluntate peccandi mortaliter, non peccabit mortaliter.

2.° Ratione finis mortaliter mali, quem actualiter intendit peccans, v. g., si quis mentiatur ut aliquem ad peccandum mortaliter inducat.

3.° Ratione gravis scandali; tunc enim peccatum, quod ex se solùm esset leve, fit mortale, nempè quandò aliquid fit undè alii inducantur ad peccandum mortaliter; hoc enim mortale est, ut patet: v. g., si quis jocosè mentiatur, prævidens alium indè ad graviora commovendum vel blasphematurum; aut si Sacerdos verba jocosa proferat, prævidens indè alios excitandos ad proferenda verba inhonesta.

4.° Peccatum veniale fit mortale ratione periculi, id est, si peccans advertat proximum esse periculum peccandi mortaliter: v. g., si quis otiosè colloquatur cum feminâ, expertus ex ejusmodi colloquiis sæpiùs se lapsum esse in peccatum mortale, sine dubio peccabit mortaliter, quia qui sponte tam proximum subit periculum, hoc ipso convincitur velle, ac proindè committere peccatum mortale cui se exponit, juxta illud Scripturæ: *Qui amat periculum, peribit in illo.*

5.° Peccatum veniale fit mortale, quandò procedit à contemptu formali et expresso, sive rei præceptæ, sive personæ præcipientis; nam præcipiens vel est Deus, vel homo: si Deus, talis contemptus est blasphemia seu sacrilegium; si sit homo, et contemnatur ut Superior, tunc contemptus Superioris redundat in ipsum Deum, juxta illud Scripturæ: *Qui vos spernit, me spernit.*

6.° Deniquè peccatum veniale fit mortale ratione multiplicationis materiæ; quamvis enim certum sit peccata venialia, quantumvis multiplicata, non posse constituere unum peccatum mortale, attamen certum est multiplicationem levis materiæ efficere posse ut peccatum veniale evadat mortale. Ratio est, quia multiplicatio materiæ efficere potest ut materia, quæ ex se levis

erat, fiat gravis propter unionem cum aliis materiis : v. g., in materiâ furti ille peccat mortaliter, qui, post multa minuta furta, in ultimo tandem furto advertit se notabilem quantitatem subripere; hoc enim ultimum furtum, quamvis secundùm se parvum sit et minutum, tamen cum unione præcedentium furtorum fit mortale, non solùm quia tunc adest voluntas notabiliter proximo nocendi, sed etiam quia adest materia, quæ unita cum præcedentibus est sufficiens ad peccatum mortale.

Notandum autem idem contingere non solùm in materiâ furti, sed etiam in multis aliis : sic, v. g., qui plures Psalmos repetitis vicibus omittit in eodem Officio unius diei; item, qui eâdem die jejunii sæpiùs parùm comedit; item, qui eodem die festo sæpiùs laborat; hi omnes peccant mortaliter ratione multiplicationis materiæ.

Quæres quandonàm illæ parvæ materiæ inter se uniantur.

Resp. tunc tantùm illas parvas materias inter se uniri ad constituendum unum numero peccatum, quandò habent ordinem ad unam numero obligationem, ut patet in exemplis allatis. Ratio evidens est, quia, si illæ parvæ materiæ respiciant diversas obligationes, procul dubio erunt materiæ diversorum numero peccatorum : undè, qui singulis diebus festis modicum laborat, vel singulis diebus jejunii modicum quid comedit, peccat tantùm venialiter, quia materiæ illæ non continuantur in ordine ad unam numero obligationem; quippe obligatio cujuscunque diei exstinguitur cum fine ejusdem diei.

CAPUT III.

Undè sumenda sit distinctio specifica Peccatorum.

Notandum ex doctrinâ Concilii Trid. Sess. 14, cap. 5, et can. 7, necessarium esse in confessione declarare varias species peccatorum mortalium, item circumstantias peccati speciem mutantes, ac deniquè numerum peccatorum ejusdem speciei. Quamobrem id nobis diligenter curandum est, ut quibusdam regulis hæc tria maximè cognoscere possimus, quod præstabimus in tribus sequentibus capitibus. In hoc autem capite agemus duntaxat de distinctione specificâ peccatorum.

ARTICULUS UNICUS.

Ex quâ regulâ desumenda sit distinctio specifica Peccatorum.

Nota 1.° tunc peccata inter se specie differre, quandò habent malitiam diversæ rationis et naturæ, id est, specialem indecentiam, inhonestatem, deformitatem et repugnantiam cum lege Dei et rectâ ratione notabiliter diversam. Sic, v. g., furtum et homicidium sunt diversæ speciei, quia deformitas utriusque non est ejusdem rationis. È contrà verò duo furta sunt unius speciei, et solo numero differunt, quia in duobus furtis deformitas est ejusdem rationis. Neque refert quòd hæc duo furta sint de rebus physicè diversis, v. g., quòd unum sit aureorum, aliud vestium; quia diversitas physica objectorum nihil facit ad diversitatem specificam peccatorum, quæ

non est physica, sed tantùm moralis, nec desumitur ab objecto prout est ens physicum, sed prout est indecens, et rectæ rationi difforme; undè et fierì potest ut duo peccata specie diversa versentur tamen circa res quæ non sunt diversæ speciei physicæ, qualia sunt simplex homicidium et parricidium.

Nota 2.° nos parùm curare undenàm sumatur distinctio specifica peccatorum, à priori vel à posteriori, remotè vel proximè; an scilicet ab objectis, an à virtutibus oppositis, an à diversis præceptis: de quo disputant Theologi, et variæ sunt opiniones quæ nihil ad praxim faciunt. Solùm igitur curæ nobis est tradere modum quo faciliùs cognosci possunt diversitates specificæ peccatorum. Quarè sit

PROPOSITIO.

Peccata tunc sunt specie diversa, quandò violantur præcepta diversarum virtutum, vel functionum diversarum ejusdem virtutis; aut quandò contrario modo, vel diversâ ratione, eidem virtuti opponuntur.

Hæc autem regula seu modus explicandi diversas species peccatorum videtur facilior pro praxi.

Sic enim 1.° facilè intelligitur peccata, v. g., contra fidem, spem, charitatem et religionem, esse specie diversa, quia violant præcepta illarum virtutum, quæ sunt specie diversæ.

Sic 2.° intelligitur idololatriam et superstitiosum cultum esse peccata specie diversa, quia violant diversas functiones virtutis religionis, nempè Deum cultu legitimo colendi, et cultum divinum alteri non exhibendi. Similiter dignoscitur blasphemiam et sacrilegium differre spe-

cie, quia contra diversas functiones ejusdem virtutis religionis pugnant, quæ sunt laudare Deum et reverenter tractare res sacras.

Sic etiam 3.° cognoscitur peccata esse specie diversa, quandò eidem virtuti opponuntur modo contrario, vel per excessum, vel per defectum, ut patet in avaritiâ et prodigalitate, quæ, licèt eidem virtuti liberalitatis opponantur, tamen illud contingit modo contrario.

Sic etiam 4.° cognoscitur peccata specie differre, quandò eidem virtuti diversâ ratione opponuntur, seu quandò habent diversas deformitates eidem virtuti repugnantes : undè, v. g., rapina et furtum differunt specie, quia diversâ ratione repugnant virtuti justitiæ; idem dicendum de contumeliâ et detractione.

Colliges ex dictis, unum et idem peccatum aliquandò in se continere plures malitias specie diversas, cùm scilicet illud peccatum violat plura præcepta virtutum specie diversarum : sic, v. g., in parricidio continetur malitia homicidii, quæ est contra justitiam, et malitia occisionis patris, quæ est contra pietatem; idem dicendum est de peccatis quæ violant præcepta, tum juris naturalis, tum juris ecclesiastici, quandò scilicet præcepta ecclesiastica lata sunt propter motivum speciale alicujus virtutis diversæ : sic, v. g., injusta percussio Clerici, quæ lege ecclesiasticâ sub excommunicationis pœnâ prohibetur, non tantùm est peccatum contra justitiam, sed etiam contra virtutem religionis, ex cujus motivo lex illa lata est. Idem dicendum est de furto quod fit in loco sacro, et, speciali motivo virtutis religionis, ab Ecclesiâ interdictum est. Verùm de his fusiùs agemus sequenti capite.

Notandum autem quòd, si præcepta illa ecclesiastica non sunt lata propter motivum speciale alicujus virtutis diversæ, tunc peccatum unam tantùm habet malitiam; ratio est, quia diversitas præceptorum non repetitur ex diversis præcipientibus seu Legislatoribus, sed ex diversis motivis virtutum, propter quæ lata sunt illa præcepta. Undè simonia, v. g., non habet malitias distinctas, etiamsi prohibita sit tum jure divino, tum jure ecclesiastico, quia præceptum ecclesiasticum est latum propter idem motivum ac præceptum divinum.

Porrò in hâc materiâ, quæ tota moralis est, et pendens à communi prudentûm æstimatione, multùm deferendum est judicio et sensui Doctorum, ita ut, quandò omnes omninò conveniunt aliqua peccata differre specie, et notabiliter diversam habere malitiam, res pro certâ habenda sit, quamvis ea diversitas satis clarè percipi et explicari non possit.

CAPUT IV.

An et quæ Circumstantiæ mutent speciem Peccati, vel solùm illud aggravent intra eamdem speciem.

Nota 1.° circumstantias ex S. Thomâ esse quasdam conditiones accidentales, sine quibus actus humanus de quo agitur potest esse vel concipi secundùm suam essentiam. Dicuntur autem circumstantiæ, quia non sunt de essentiâ illius actûs, sed eum veluti circumstant: quia, v. g., furtum concipi non potest sine acceptione rei alienæ,

sequitur illam acceptionem non esse circumstantiam, sed ipsam essentiam furti; quòd autem res sit accepta in tali vel tali quantitate, in tali vel tali loco, etc., dicuntur circumstantiæ et accidentia respectu furti, quia sunt extra ejus essentiam, et sine illis furtum esse vel concipi potest.

Nota 2.° circumstantias actionum humanarum septem communiter numerari, hoc versu comprehensas :

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodò, quandò?

Circumstantias, *Quis*, significat personæ operantis qualitatem et conditionem accidentariam, v. g., si Sacerdos vel laicus, si conjugatus vel solutus.

Circumstantia, *Quid*, denotat objecti qualitatem accidentariam, aut effectus, v. g., an persona circa quam peccatur sit Superior, vel pater, vel Sacerdos; item, an rès, id est materia in quâ peccatur, magna sit vel parva, gravis aut levis; item, an sit nociva, scandalosa, etc.

Circumstantia, *Ubi*, denotat loci conditionem, an, v. g., furtum in loco sacro commissum fuerit.

Circumstantia, *Quibus auxiliis*, denotat vel eas personas, vel ea media et instrumenta quibus homo utitur ad operandum, v. g., si quis jussu aut consilio alios ad peccandum impulerit; item, si quis usus fuerit ad peccandum mediis aliàs prohibitis, putà maleficio ad occidendum hominem.

Circumstantia, *Cur*, denotat operantis finem, v. g., si quis det eleemosynam ob vanam gloriam.

Circumstantia, *Quomodò*, significat modum accidentalem actionis, v. g, intensionem, vel remissionem actûs, plenum vel semiplenum consensum.

Circumstantia, *Quandò,* denotat temporis conditionem, v. g., an fuerit diurnum vel nocturnum, longum an breve, sacrum an profanum.

Nota 3.° ex circumstantiis peccatorum alias esse quæ mutant speciem, alias verò quæ intra eamdem speciem aggravant vel minuunt peccatum. Omitto circumstantias impertinentes, quæ nihil conferunt ad malitiam actionis, v. g., si quis hominem occiderit dexterâ vel sinistrâ manu, etc. Itaque tria nobis in hoc capite præstanda sunt totidem articulis : 1.° danda regula pro dignoscendis circumstantiis speciem mutantibus, vel solùm aggravantibus intra eamdem speciem; 2.° disserendum est de usu et applicatione hujusmodi regulæ; 3.° agendum de necessitate aperiendi hujusmodi circumstantias in confessione.

ARTICULUS PRIMUS.

Ex quâ regulâ discernendæ sint Circumstantiæ speciem mutantes, vel solùm aggravantes.

PROPOSITIO PRIMA.

Circumstantiæ peccatorum speciem mutantes sunt illæ quæ actui afferunt vel auferunt peculiarem malitiæ speciem.

Dixi 1.°, *quæ afferunt peculiarem malitiæ speciem*, quod fieri potest, 1. addendo speciem malitiæ actui retinenti propriam malitiam quam habet ex objecto : v. g, circumstantia loci sacri addit malitiam sacrilegii furto retinenti propriam malitiam injustitiæ; 2. destruendo propriam actûs speciem, eamque transferendo in novam malitiæ speciem : v. g., circumstantia loci sacri reddit

negotiationem et processum judicialem ex bono illicitum et sacrilegum.

Dixi 2.°, *vel auferunt peculiarem malitiæ speciem*, ut patet in circumstantiâ modi, quæ aufert omnem malitiam ab homicidio commisso cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Dices : Circumstantia, ut suprà notavimus, est tantùm conditio accidentalis actûs humani; ergo non potest mutare ejus speciem, seu essentiam.

Resp. circumstantiam non mutare speciem actûs humani, quatenùs circumstantia est, sed quatenùs coalescit in unum et eumdem actum: v. g., circumstantia loci sacri, quatenùs circumstantia, est solùm accidentalis respectu furti, et sic non pertinet ad ejus essentiam vel speciem, sed, quatenùs coalescit in unum eumdemque actum, quandò scilicet furtum sumitur ut sacrilegum, tunc non est accidentalis, sed pertinet ad essentiam et speciem furti sacrilegi.

PROPOSITIO II.

Circumstantiæ, intra eamdem speciem aggravantes vel minuentes peccatum, sunt illæ quæ neque afferunt neque auferunt peculiarem malitiæ speciem, sed solùm augent vel parùm et leviter, vel multùm et notabiliter : sic, v. g., circumstantiæ quantitatis et durationis non mutant malitiam peccati, sed eam solummodò augent vel minuunt, relinquendo peccatum in eâdem specie.

Duplicis autem generis sunt circumstantiæ peccatum aggravantes, scilicet notabiliter aggravantes, et leviter solùm augentes. Circumstantiæ

notabiliter aggravantes dicuntur illæ quæ ex se sufficiunt ad materiam peccati mortalis, id est, quæ sic augent peccatum, ut ex peccato veniali efficiant mortale, vel quæ faciunt ut unum peccatum æquivaleat pluribus mortalibus, aut ad minimum duobus : v., g., supposito quòd materia furti mortalis sit unius nummi argentei, circumstantia quantitatis in voluntate furandi unum nummum, licèt quis reipsâ furetur solummodò unum assem, erit circumstantia notabiliter aggravans, quia efficit ut furtum unius assis sit mortale, quod alioquin esset solùm veniale. Similiter intentio furandi duos nummos erit circumstantia notabiliter aggravans respectu unius nummi, quia illa intentio faciet ut furtum unius nummi æquivaleat duobus furtis mortalibus.

Circumstantiæ verò leviter aggravantes sunt illæ quæ, licèt augeant peccatum, non tamen efficiunt ut veniale evadat mortale, nec sufficiunt ex se ad materiam peccati mortalis.

PROPOSITIO III.

Tunc circumstantiæ mutant speciem peccati, quandò in actu ponunt vel auferunt oppositionem cum diversis virtutibus, aut cum diversis ejusdem virtutis officiis, aut cum eâdem virtute modo contrario vel disparato ; aliàs verò sunt tantùm aggravantes vel minuentes intra eamdem speciem.

Hæc propositio quoad rem est omnium Theologorum, quamvis non omnes eodem modo loquantur ; sequitur autem ex regulâ in præcedenti capite traditâ : quapropter satis probata et explicata manet ex dictis in eo capite, nec quidquam

aliud addendum superest, nisi ut detur praxis et applicatio ejusmodi regulæ.

ARTICULUS II.

De usu et applicatione datæ regulæ ad discernendas Circumstantias.

Cùm, ex Concilio Trid. Sess. 14, cap. 5, eas circumstantias, quæ peccati speciem mutant, æquè necessarium sit in sacramento Pœnitentiæ explicare, ac ipsas species peccatorum, ideò, ut Confessarii clariùs eas discernere valeant, visum est pro praxi et applicatione datæ regulæ discurrere per singulas septem circumstantias suprà relatas, et in singulis ex datâ regulâ attendere quandonàm speciem mutent, vel non.

§ I.

De Circumstantiâ Personæ.

Statuitur 1.° Circumstantia, *Quis*, seu conditiones accidentales personæ operantis mutant speciem peccati in triplici casu :

1. In quâcunque materiâ, quandò res generali obligatione sunt præceptæ, et aliundè ipsa persona speciali aliâ obligatione, vel voti, vel juramenti, vel promissionis, vel pacti, ad eas tenetur; tunc illa conditio accidentalis personæ afferet novam speciem peccati : voto adstrictus ad jejunandum in Quadragesimâ, si non jejunet, peccabit non tantùm contra temperantiam propter præceptum Quadragesimæ, sed etiam contra religionem propter obligationem voti.

2. In materiâ charitatis erga proximum, si persona sit publica, vel teneatur ex officio succurrere proximo,

proximo, v. g., furta et homicidia impedire, sacramenta ministrare, etc., tunc, si hæc omittat, non solùm contra charitatem peccabit, sed etiam contra justitiam; item, si persona sit publica, sæpè ejus peccatum adjunctam habebit scandali malitiam.

3. In materiâ castitatis, si persona sit conjugata, vel sacra, vel consanguinea, etc., constat ex suprà dictis illas diversas conditiones personæ afferre malitias specie diversas.

Ratio iterùm est, quia tunc in his omnibus reperitur oppositio cum diversis virtutibus, et deformitas diversæ rationis.

Statuitur 2.° Circumstantia personæ aliquandò etiam notabiliter peccatum intra eamdem speciem aggravat, præsertim quandò persona peccans est specialiter Deo consecrata : undè Sacerdos vel Religiosus longè graviùs peccat se inebriando, verba obscena proferendo, quàm simplex laicus; item, in materiâ luxuriæ.

§ II.

De Circumstantiâ Objecti.

Statuitur 1.° Circumstantia qualitatis objecti sæpiùs speciem mutat, v. g., si res vel persona sit sacra; tunc enim addit peccato novam deformitatem sacrilegii contra religionem, v. g., in furto rei sacræ, in percussione Clerici, etc. Similiter, si persona sit specialiter conjuncta; tunc addetur peccato malitia impietatis contra reverentiam conjunctis debitam, v. g., in parricidio, uxoricidio, etc. Deniquè in materiâ luxuriæ mutatur species, si persona sit consanguinea, vel conjugata, vel Deo specialiter consecrata.

Statuitur 2.° Circumstantia quantitatis objecti, magnæ vel parvæ, nunquàm mutat speciem.

Ratio est, quia ejusmodi circumstantiæ non afferunt specialem disconvenientiam et deformitatem, distinctam à deformitate objecti cui applicantur. Hæc igitur circumstantia potest solùm aggravare notabiliter, ut patet in furto magnæ quantitatis; item, in contumeliis valdè notabiliter ex eodem iræ impetu multiplicatis.

Statuitur 3.° Circumstantia nocumenti, sive proprii sive alieni, sæpè addit malitiæ speciem.

1. Res patet de nocumento proprio, v. g., si quis furando sese exponat manifesto periculo vitæ; is enim, præter furtum, incurrit peccatum temeritatis contra fortitudinem; item, si quis vanè et inutiliter colloquendo, se exponat proximo periculo peccandi mortaliter; is enim verè peccat eâ peccati specie cujus periculo se exponit.

2. Idem similiter dicendum de nocumento, sive corporali sive spirituali, proximi; v. g., si quis det proximo scandalum et occasionem ruinæ spiritualis, erit hoc speciale peccatum, ut mox dicemus. Similiter, si quis faciat aliquid undè videt secuturum damnum in bonis, aut famâ, aut vitâ proximi; tunc enim addetur species aliqua injustitiæ. Advertendum autem generaliter, quoad hanc nocumenti circumstantiam, ut mutet speciem, vel aggravet peccatum, nocumentum illud debere esse aliquo modo prævisum, saltem virtualiter et implicitè; quia, quandò nocumentum sequitur per se, et ut plurimùm ex actu, v. g., ut damnum ex venatione per sata, scandalum ex turpiloquio, tunc damnum satis prævidetur in actu scienter facto, v. g., in ipsâ venatione vel turpiloquio, quamvis non ita expressè cogitetur de damno, aut ejus periculo.

3. Quoad circumstantiam nocumenti spiritualis per scandalum, consentiunt Theologi scandalum mutare speciem, quandò quis intendit ruinam spiritualem proximi, sive eam intendat ex desiderio ipsiusmet ruinæ spiritualis, quod diabolicum est et rarum inter homines, sive eam intendat solùm ob suam commoditatem aliumve finem, v. g., ut suæ libidini satisfaciat, quod frequentissimum est inter homines: utrovis modo dicitur scandalum directum, et est speciale peccatum oppositum charitati, specialiùs autem correctioni fraternæ. Præctereà consentiunt Theologi idem scandalum directum accipere insuper aliam specialem malitiam, diversam pro peccati diversitate ad quod inducitur proximus: v. g., si quis alium sollicitaverit ad furtum vel ebrietatem, non solùm peccabit contra charitatem, sed etiam contra justitiam vel sobrietatem. Undè duæ sunt peccati species in scandalo directo, scilicet, una contra charitatem; altera contra specialem virtutem quam impugnat actus scandalosus. Ita omnes Theologi.

At verò de scandalo indirecto, quo quis nempè aliquid agit ex quo prævidet secuturam proximi ruinam, licèt eam non intendat, v. g., cùm se inebriat prævidens alios exemplo suo ad ebrietatem alliciendos, de hoc, inquam, scandalo indirecto non consentiunt Theologi; verior sententia et communiter recepta affirmat in scandalo indirecto reperiri duplicem illam malitiam quæ est in directo: ratio est, quia ad contrahendam aliquam malitiam, v. g., furti, homicidii, detractionis, aut alicujus nocumenti contra proximum, non oportet illam directè intendere, sed satis est id voluntariè efficere cui malitia illa est

conjuncta ; in moralibus enim voluntarium directum et indirectum ad eamdem speciem pertinent : sed per scandalum indirectum voluntariè fit actio cui duplex illa malitia annexa est, scilicet ruinæ proximi contra charitatem, et alterius peccati ad quod inducit ; ergo scandalum indirectum contrahit utramque malitiam.

§ III.

De Circumstantiâ Loci.

Statuitur 1.° Circumstantia loci rarò intra eamdem speciem peccatum notabiliter aggravat, nisi fortè in materià injustitiæ, v. g., si quis in loco publico contumeliam alteri inferat, vel si coram pluribus alienæ famæ detrahat.

Statuitur 2.° Hæc circumstantia loci sæpè novam affert speciem malitiæ, scilicet vel injustitiæ, vel sacrilegii, vel scandali.

1. Quidem injustitiæ, quia sæpè ratione loci actio est contra honorem et famam alicujus, quæ alibi non esset, v. g., si locus sit publicus.

2. Scandali, quia, si delictum fiat in loco publico, et in præsentià aliorum, sæpè eos poterit inducere ad peccatum, et ita addetur malitia scandali.

3. Deniquè sacrilegii, quia, si peccatum fiat in loco sacro, habet sæpè malitiam sacrilegii, et è contrario, si actio sacra fiat in loco indebito, habebit etiam circumstantiam sacrilegii. Hæc autem circumstantia addit malitiam mortalem, maximè quandò intercedit specialis Ecclesiæ prohibitio ex motivo religionis : sic, v. g., quia Ecclesia specialiter prohibuit in loco sacro injustam effusionem sanguinis humani in notabili

quantitate, vel furtum rei sacræ, aut saltem aliquo modo ad Ecclesiam pertinentis, vel sub illius tutelà positæ, ideò hæc in loco sacro perpetrare est peccatum mortale sacrilegii; similiter è converso, sacrilegium est mortale celebrare Missam in loco non approbato, quia id specialiter prohibuit Ecclesia.

§ IV.

De Circumstantiâ Auxilii.

Nota circumstantiam, *Quibus auxiliis*, significare vel media seu instrumenta, vel homines quorum auxilio utimur ad peccandum.

Statuitur 1.° Media seu instrumenta, sive sint specialiter prohibita, seu habeant specialem repugnantiam cum aliquà virtute, afferunt peccato novam malitiæ speciem, v. g., si quis ad aliquod facinus perpetrandum utatur seu potiùs abutatur rebus sacris, nempè oleo sacro, aquà benedictà, etc.; tunc enim addetur facinori malitia sacrilegii contra religionem. Similiter, si quis homicidio conetur assequi adulterium; tunc enim peccato adulterii addetur malitia homicidii; item, si quis utatur magià, seu ope dæmonis, tunc addetur malitia societatis cum illo.

Statuitur 2.° Qui aliorum auxilio utitur ad peccandum, et ad hoc eos inducit sive jussu, sive consilio, sive precibus, aliove modo, supperaddit peccato suo malitiam scandali, v. g., si quis per servos suos furtum vel homicidium commiserit.

§ V.

De Circumstantiâ Finis.

Nota per circumstantiam, *Cur,* seu finis, intelligi finem extrinsecum qui et dicitur finis ope-

rantis, quem nimirùm operans suâ voluntate sibi constituit: hæc autem circumstantia tribus modis potest accidere.

1.° Contingere potest ut solus finis sit mortaliter malus, et actio, quæ propter illum fit, non habeat ex se malitiam, sed tantùm ex ordinatione ad talem finem, v. g., si quis det alteri eleemosynam, ut illum ad furtum vel homicidium inducat; tunc clarum est circumstantiam hujus finis mutare speciem, et ex actu bono facere mortaliter malum.

2.° È contrà contingere potest ut finis ex se non sit mortaliter malus, sed actio, quæ propter illum fit, sit mortaliter mala, v. g., si quis omittat Sacrum aut Breviarium, propter studium: tunc circumstantia finis non addit malitiam saltem mortalem et distinctam, nisi fortè is operetur et committat peccatum mortale ex vehementi et inordinato affectu ad talem finem, ita ut propter illum paratus sit Deum, datâ occasione, offendere, et ejus amicitiâ privari, saltem si id expressè cogitet, et intendat; tunc enim circumstantia finis adjiciet specialem malitiam mortalem, contra ordinem charitatis, scilicet amando inordinatè hunc finem creatum supra ipsum Deum, quod S. Thomas et alii Theologi vocant constituere finem ultimum in creaturâ.

3.° Deniquè contingere potest ut tam actio quàm finis, propter quem fit, habeant mortalem malitiam, vel ejusdem vel diversæ speciei; et primò quidem diversæ speciei, v. g., si quis furetur ad se inebriandum; et tunc patet circumstantiam finis addere furto novam speciem malitiæ, scilicet ebrietatis: secundò ejusdem speciei, ut si quis furetur ab uno scalam ut ab alio

furetur pecunias; tunc verò patet circumstantiam finis non mutare speciem, sed solùm aggravare peccatum intra eamdem speciem, vel addere malitiam solo numero distinctam, ut in exemplo allato.

§ VI.

De Circumstantiâ Modi.

Statuitur 1.° Circumstantia, *Quomodò*, seu modi, sæpiùs intra eamdem speciem peccatum aggravat, vel minuit, v. g., si quis peccaverit cum plenâ advertentiâ, aut è contrà cum semiplenâ; item, si quis peccaverit scienter et merâ malitiâ, vel solùm ex ignorantiâ culpabili, vel ex passione, vel ex metu, vel suasione, vel precibus, vel conscientiâ erroneâ, vel ex consuetudine, seu ex habitu : hæc enim solùm augent, vel minuunt voluntarium et liberum, ac proindè solùm aggravant peccatum intra eamdem speciem; idemque est de modo intensionis et remissionis; nam actus, sive multùm sive parùm sit intensus, semper est ejusdem speciei, quia multùm et parùm, magis et minùs, non mutant speciem, nec dicunt diversæ malitiæ deformitatem.

Statuitur 2.° Circumstantia modi potest interdùm addere specialem malitiam actui, ac proindè mutare speciem : sic 1. modus violentiæ injuriosæ constituit rapinam in furto et stuprum in fornicatione, quæ sunt malitiæ specie distinctæ; sic 2. modus detrahendi, coram ipsâ personâ cui detrahitur, addit detractioni malitiam contumeliæ; sic 3. modus sevitiæ in cadaveribus occisis addit homicidio malitiam feritatis; sic 4. modus peccandi ex contemptu formali, ex inobedientiâ, ex

ingratitudine, ex odio formali, ex invidiâ, ex superbiâ, etc., addit peccato propriam istorum malitiam, ad quod tamen requiritur ut speciali et expressâ voluntate intendantur; alioquin erunt tantùm circumstantiæ generales quæ in omni peccato reperiuntur, et ideò illud non specificant; sic enim, v. g., contemptus legis divinæ reperitur in omni peccato; undè, ut speciem tribuat, seu ut specialem addat malitiam, oportet ut peccatum fiat cum expressâ intentione contemnendi legem divinam vel Deum; similiter dicendum de inobedientiâ, ingratitudine, odio et aliis circumstantiis.

§ VII.

De Circumstantiâ Temporis.

Statuitur 1.° Circumstantia, *Quandò,* seu temporis, nunquàm mutat speciem, nisi tempus ad actionem præscriptum sit, vel prohibitum præceptis formaliter diversis, seu latis ex motivis diversarum virtutum vel functionum : v. g., si quis voto, vel pœnitentiâ à Confessario injunctâ, singulis diebus tenetur Missam audire, eamque omittat festivo die, circumstantia festivitatis mutabit speciem, seu addet peccato novam malitiam contra specialem functionem religionis, propter quam latum est præceptum Ecclesiæ audiendi Missam singulis diebus festis : loquor autem de præceptis formaliter diversis; nam, si pro certo tempore actio præscripta vel prohibita sit duplici quidem præcepto, sed non formaliter diverso, v. g., si sit obligatio audiendi Missam, quia simul est Dominica et festivitas alicujus Sancti, vel si sit obligatio jejunandi, quia eadem dies est feria Quadragesimæ et quatuor Temporum, aut aliqua

Vigilia, etc., constat ex præcedenti capite hanc circumstantiam duplicis præcepti non mutare speciem, quia præcepta illa ex eodem motivo lata sunt.

Nota hinc nonnullos sentire Doctores circumstantiam diei dominicæ vel festivæ novam malitiæ speciem addere cuilibet actui mortaliter peccaminoso, quatenùs putant omne peccatum esse veri nominis opus servile, et hàc ratione specialiter prohibitum illis diebus. Verùm probabilior nobis videtur opposita sententia, quæ docet peccatum, generaliter loquendo, et iis exceptis quæ speciali modo opponuntur debitæ sanctificationi dierum festorum, qualis est ebrietas vel ipso mane contracta, novam non habere ex hujus temporis circumstantià malitiæ speciem. Undè enormis detractio, ipsa ebrietas, quæ, v. g., serotino tempore et post peracta omnia divina Officia contrahitur, ex diei dominicæ circumstantià novam non suscipiunt malitiæ speciem in confessione declarandam. Probaturque ex destructione principii adversariorum; peccatum enim est quidem opus servitutis diabolicæ, seu opus servile, ut ita dicam, mysticè et metaphoricè, non autem est opus propriè et strictè servile, quod divino præcepto, *Non facies omne opus in eo*, specialiter sit prohibitum.

Statuitur 2.° Circumstantia temporis, si sumatur pro temporis morà quà actio durat, non mutat speciem, sed solùm aggravat peccatum; idque notabiliter in externis actionibus, si mora sit extràordinaria; in internis autem, si sit notabilis.

ARTICULUS III.

Quænam sit necessitas aperiendi in confessione Circumstantias Peccatorum.

Suppono, ex Conc. Trid. Sess. 14, cap. 5, absolutè necessarium esse aperire in confessione circumstantias peccati speciem mutantes; quarè difficultas tantùm est de circumstantiis intra eamdem speciem notabiliter aggravantibus : ea verò circumstantia notabiliter aggravare dicitur, quæ mutat veniale peccatum in mortale, vel quæ seorsim sumpta sufficit ad constituendum peccatum mortale, ut suprà dictum est.

Statuimus, ex communi Doctorum sensu, sæpè occurrere obligationem declarandi circumstantias solùm aggravantes, scilicet ratione alterius obligationis iis adjunctæ, ut patet :

1.° Si peccatum sit reservatum ratione circumstantiæ aggravantis.

2.° Si censura peccato sit imposita ratione circumstantiæ aggravantis, v. g., si excommunicatio sit imposita furto quinquaginta aureorum : sic explicanda est in confessione atrocitas percussionis Clerici, ut Confessarius judicare possit utrùm Episcopo, an Papæ, sit reservata.

3.° Si peccatum, ratione circumstantiæ, fiat ex veniali mortale, v. g., furtum unius assis, ratione dispositionis actualis furandi aureum. Similiter explicari debet circumstantia, quæ sic intra eamdem speciem minuit peccatum, ut ex mortali fiat veniale, v. g., cùm consensus est semiplenus.

4.° Si, ratione circumstantiæ aggravantis, restitutio, aut alia satisfactio, aut scandali ablatio, imperanda sit, quandò sine tali circumstantiæ

declaratione imperari non potest : similiter, si, ratione habitûs peccandi, vel occasionis proximæ, pœnitens monendus sit de periculo recidendi, aut de aliquâ suâ obligatione, vel speciali modo sit juvandus; tunc certè tenebitur hanc circumstantiam consuetudinis et occasionis declarare.

5.° Si ex circumstantiâ aggravante multiplicentur actus, ut contingit in notabili duratione actûs interni, v. g., odii.

6.° Licèt non multiplicentur actus, si ex circumstantiâ aggravante multiplicentur malitiæ solo numero diversæ, ut in contumeliis, detractionibus et scandalo, si sint de multis vel coram multis simul; item, si quis uno actu multorum desideret aut multis inferat mortem; item, si quis frangat jejunium comedendo carnes.

7.° In materiâ furti; quia quantitas in hâc materiâ pertinet, inquiunt, ad substantiam individualem objecti, seu actûs furti; quia furtum magnæ quantitatis, v. g., 100 aureorum æquivalet 100 furtis unius aurei; undè circumstantia illa per se sola sufficit ad malitiam peccati mortalis.

8.° Deniquè, si Confessarius interroget de illis; jus enim habet ut rectè judicet de statu pœnitentis, et ritè fungatur suo munere, ideòque pœnitens tenetur interroganti aperire. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc propositio, quæ est 54 in Bullâ : *Non tenemur Confessario interroganti fateri alicujus peccati consuetudinem.* Ex quibus patet frequenter et quasi ordinariè has circumstantias esse aperiendas.

CAPUT V.

Undè sumenda sit Distinctio numerica Peccatorum.

Nota 1.° peccata, quæ specie differunt, à fortiori differre numero; quia evidens est unum non esse aliud, et ideò facere numerum. Similiter dubium non est malitias specie diversas, licèt in uno actu reperiantur, tamen inter se, saltem æquivalenter, numero multiplicari; cùm enim essentialiter differant, certè una non est alia; undè in his distinctio numerica sumitur ex distinctione specificâ.

Nota 2.° totam quæstionem versari circa peccata ejusdem speciei : undè scilicet fiat, et undè dignosci possit, quòd hæc peccata, quamvis essentialiter non differant, numericè tamen distinguantur, ita ut unum non sit aliud. Hujus quæstionis difficultas oritur imprimis ex eo quòd unum sæpè sit numero peccatum, etiam quandò sunt plures actus et plura objecta : v. g., unum est numero furtum, quo quis successivè, et sine interruptione morali, furatur acervum tritici, vel bibliothecam ex multis libris conflatam.

Nota 3.° distinctionem numericam peccatorum posse dupliciter intelligi, 1. ita ut ipsa peccata seu actus multiplicentur, v. g., duo homicidia successivè facta; 2. ita ut in uno et eodem actu multiplicentur et reperiantur malitiæ numero diversæ, v. g., in occisione decem hominum uno actu factâ, vel in unâ voluntate occidendi decem homines. Priùs de primo modo, posteà de secundo agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Undè sumenda sit Distinctio numerica Peccatorum seu ipsorum actuum.

PROPOSITIO.

Distinctio numerica peccatorum sumenda est ex multiplicatione seu interruptione actuum internorum voluntatis, ita ut tot sint numero peccata, quot sunt actus voluntatis moraliter distincti, seu interrupti, vel repetiti; contra verò duntaxat unum sit numero peccatum, quamvis sint plures actiones externæ distinctæ, si unus sit actus voluntatis perseverans, vel formaliter et in seipso, vel virtualiter in aliquo libero effectu.

Hæc propositio certa est, et omnium Theologorum.

Prob. Quia, cùm peccatum sit actus humanus moraliter malus, totuplex debet esse peccatum, quotuplex est actus humanus inordinatus : atqui totuplex est actus humanus, quotuplex est voluntatis actus moraliter distinctus seu interruptus; ergo, etc.

Igitur, ad cognoscendum utrùm sint plura numero peccata, quærendum non est utrùm sint plura objecta, sed utrùm sint plures actus interni voluntatis, et utrùm illi actus voluntatis sint moraliter interrupti, ut dictum est in propositione; sed hæc paulò fusiùs explicanda sunt.

Dixi itaque 1.° in propositione, *tot esse numero peccata, quot sunt actus voluntatis;* quia tota malitia et ratio peccati est in actu interno voluntatis, à quo derivatur in actum externum; undè sequitur peccata numero multiplicari, quandò

multiplicantur actus interni voluntatis; è contrà verò, si non multiplicentur actus interni voluntatis, non multiplicabuntur peccata, quantumcunquè multiplicentur actus externi.

Dixi 2.°, *quot sunt actus voluntatis moraliter distincti;* quia interni voluntatis actus possunt duobus modis multiplicari, scilicet *physicè* et *moraliter; physicè* quidem per quamlibet vel minimam interruptionem seu cessationem, sive illa sit voluntaria, sive involuntaria, v. g., si ex naturali distractione aut somno modici temporis proveniat: *moraliter* verò multiplicantur actus interni voluntatis per solam interruptionem moralem, quandò scilicet actus neque in seipso actualiter, neque in libero effectu virtualiter, perseverat. Quia verò fieri potest ut actus voluntatis, quamvis physicè interrumpatur, moraliter tamen perseveret in suo effectu, v. g., in actu externo cum quo unum numero peccatum facit, ideò dixi in propositione distinctionem numericam peccatorum sumi ex morali, non ex physicâ, multiplicatione seu interruptione actuum voluntatis.

Signa autem moralis interruptionis seu multiplicationis actuum voluntatis tria à Theologis communiter assignantur:

1. Quidem, si actus successivè fiant circa duo objecta distincta, tametsi nullum tempus interponatur, ut si quis unum hominem contumeliis afficiat vel percutiat, et immediatè post, alium. In his autem et similibus sunt plura numero peccata, et plures voluntatis actus, non solùm physicè sed etiam moraliter distincti.

2. Si prior actus voluntatis revocetur per contrariam voluntatem, aut per voluntariam cessationem, et posteà ad priorem voluntatem redea-

tur : v. g., si quis, sibi complacens in aliquâ delectatione peccaminosâ, posteà actum displicentiæ elicuit, vel voluntariè se ad alia cogitanda aut agenda divertit, si ad eamdem complacentiam redeat, novum erit peccatum, et moraliter à priori distinctum, quia prior voluntas neque actualiter, neque virtualiter, perseverat, sed verè moraliter interrupta est, etiamsi per minimum tempus voluntaria interruptio duraverit.

3. Deniquè actus interni voluntatis moraliter multiplicantur per cessationem etiam involuntariam, si sit longioris durationis, tantæ scilicet, ut, judicio viri prudentis, prior voluntas censeatur moraliter interrupta, id est, nec virtualiter nec formaliter perseverans : v. g., si quis in pravo consensu vel delectatione morosâ somno corripiatur, et, post horam expergefactus, pristinum consensum approbet seu renovet, sine dubio committit novum et numero distinctum peccatum. Similiter, si quis decrevit furari, sed, ex naturali distractione oblitus propositi, non furatur, si, interjectâ morâ temporis, renovet propositum, duo peccata committit numero diversa, quia prior voluntas neque in se, neque in aliquo effectu libero, perseverat.

Cæterùm maximè advertenda est differentia peccatorum externorum à purè internis; nam *peccata externa*, quæ prodeunt in actum exteriorem, v. g., furtum, homicidium, etc., non ita facilè neque ita frequenter multiplicantur; ratio est, quòd actus interni voluntatis in actu externo virtualiter perseverant, et ideò, quamvis cessent et sæpiùs repetantur, dummodò non retractentur, non constituunt novum numero peccatum, quandiù perseverat actus externus. At

verò *peccata interna*, quæ interiùs consummantur, v. g., peccata odii, invidiæ, delectationis morosæ, faciliùs et frequentiùs multiplicantur, quia, quandò cessant, nihil habent vi cujus virtualiter perseverent ac veluti continuentur; et ideò valdè probabilis est eorum sententia qui putant peccata interna multiplicari etiam moraliter per quamcunque cessationem, quantumvìs brevem et involuntariam, ac proindè eum, qui per horam odio vel delectationi peccaminosæ immoratur, plura numero peccata commisisse, quia fieri non potest, ut voluntas per horæ moram non pluries cessaverit ab actu odii, seu delectationis: verùm, quia hujusmodi multiplicatio est omninò imperceptibilis, sufficit in confessione peccatorum internorum declarare interruptionem quæ aliquandiù duravit, si qua contigerit. Si verò nulla notabilis interruptio acciderit, sufficit aperire spatium temporis quo quis in his actibus immoratus est; sic enim accusantur hujusmodi peccata per modum unius confusæ multitudinis, eâ ratione quâ sciri possunt.

Colliges ex dictis unum esse numero peccatum, quandò, licèt fiant plures actiones externæ, unus tamen est actus voluntatis, virtualiter perseverans in serie et continuatione earum actionum externarum, quæ virtute illius actùs voluntatis inchoatæ sunt, et tendunt ad consummandum peccatum; idque etiam, quamvis actus internus voluntatis in seipso desierit, ac multiplicatus fuerit, modò interruptus non fuerit moraliter per somnum, vel ebrietatem, vel amentiam, vel actionem intermediam quæ aliquandiù duraverit, et quæ nullum habeat ordinem ad consummandum peccatum.

Sic 1.° qui, ex voluntate occidendi inimicum, parat gladium, conscendit equum, iter aggreditur, etc., ac tandem occidit, unum numero peccatum committit, quamvis sæpè repetat vel interrumpat ejusmodi voluntatem. Similiter, qui, ex intentione furandi, scalas applicat, cubiculum ingreditur, etc., ac tandem furatur, unum tantùm furti peccatum committit.

Sic 2.° qui, ex intentione occidendi vel fornicandi, facit plures actus ex se mortaliter malos, v. g., multa vulnera infligit priusquàm occidat, vel multos actus turpes exercet priusquàm fornicetur, unum numero peccatum homicidii vel fornicationis committit; et, in confessione declarato actu principali consummato, sufficienter declarantur hi actus minùs principales, qui præcedunt actum principalem, et ordinariè cum eo conjunguntur, modò tamen, ut dixi, non fuerit intentio sistendi in illis, sed facti sint ex intentione actùs principalis, qui de facto subsecutus fuerit, modò etiam non intercesserit mora notabilis inter actum principalem et alios minùs principales.

Quod autem diximus de actibus qui præcedunt actum principalem, videtur quoque dicendum de actibus qui ordinariè sequuntur actum consummatum, nisi fiant ex intentione alium inchoandi.

Adverte tamen hæc intelligi debere solùm de actibus illis minùs principalibus, qui non habent malitiam specie vel numero distinctam à malitiâ actùs principalis; alioqui, si haberent malitiam specie vel numero diversam, essent necessariò in confessione declarandi, v. g., si quis furetur vel utatur alterius operâ ad occidendum, forni-

candum, etc.; item, si quis, ad furandum unius pecuniam, alterius scalam subripiat.

Sic 3.° multi Doctores existimant eum, qui uno impetu ac fervore iræ et odii, aut alterius passionis, plures blasphemias evomit, vel plures contumelias in aliquem conjicit, aut percussiones repetit, vel detractiones multiplicat, unum numero peccatum committere, quia prior voluntas virtualiter perseverat, et in eà actus illi repetiti uniuntur moraliter ad integrandum unum peccatum mortale.

Verùm, quidquid sit, in his et similibus casibus, præsertìm si actus fuerint valdè multiplicati, ordinariè declarandus est numerus actuum, quantùm fieri potest, ut Confessarius agnoscat statum pœnitentis.

Cæterùm, si quis habuit intentionem committendi aliquod peccatum, et vias ac media arripuit, ita tamen ut ab illà conceptà intentione usque ad consummationem peccati notabile tempus intercesserit, hanc moram confiteri debet, quia est circumstantia notabiliter aggravans, et sæpè efficiens ut peccatum unum æquivaleat pluribus.

ARTICULUS II.

De Distinctione numericâ malitiarum in uno et eodem actu peccaminoso.

PROPOSITIO.

Probabilissimum est in uno actu peccaminoso tot esse malitias, quot violantur obligationes numero distinctæ, et ut tales cognitæ.

Prob. Quia, sicut unus et idem actus, qui versatur circa plura objecta specie morali diversa,

habet plures malitias specie et consequenter numero diversas, ut diximus, sic etiam unus et idem actus, si versetur circa plura objecta diversa numerò, violando scilicet diversas numero obligationes, habebit solùm malitias solo numero diversas.

Probatur insuper propositio, et ampliùs declaratur exemplis :

1.° Enim conjugatus, qui cum alterius uxore adulterium committit, uno tantùm actu duplicem injustitiæ malitiam contrahit, unam scilicet contra propriam uxorem, alteram verò contra maritum alterius; sunt enim obligationes et jura numero distincta : similiter, qui pravo suo exemplo, v. g., suâ ebrietate, proximum inducit ad simile peccatum, duplicem malitiam contrahit, unam suæ ebrietatis, alteram alienæ, seu inductionis et cooperationis ad illam.

2.° Qui uno actu tres homines occidit, qui unâ detractione tres homines lædit, unâ contumeliâ tres offendit, uno scandalo tres ad peccatum inducit, ille tres malitias numero diversas, homicidii, detractionis, contumeliæ et scandali, contrahit; idem dicendum de actu interno voluntatis tres occidendi, de tribus detrahendi; idem de peccato omissionis, ut, si quis uno actu voluntatis velit tria præscripta jejunia prætermittere, in hâc unâ voluntate triplex erit numero malitia in confessione explicanda.

Dixi in propositione 1.°, *probabilissimum esse in uno actu plures reperiri malitias solo numero diversas*, quia hoc non est omninò certum, nec desunt Theologi qui id negent, quorum tamen opinio, in ordine ad praxim et obligationem confitendi, in idem recidit; fatentur enim hi Docto-

res, in exemplis pro nostrâ conclusione allatis, has circumstantias esse explicandas et declarandas Confessario, non quòd multiplicent numerum malitiarum, ut cum priori opinione dicebamus, sed quia vel sentiunt circumstantias aggravantes esse aperiendas, vel quia sentiunt has non esse propriè circumstantias, sed pertinere ad ipsam actûs substantiam, ideòque sine illis actum ipsum non posse sufficienter in confessione declarari.

Dixi 2.°, *multiplicari numero malitias in uno et eodem actu*, quandò violantur obligationes numero distinctæ; quia, quamvis actus respiciat plura physicè objecta, si tamen violetur una numero obligatio, tunc una erit tantùm malitia, v. g., si quis domum in quâ sunt multa cubicula velit comburere, bibliothecam multis libris conflatam deprædari, magnum gregem animalium, vel ingentem frumenti acervum, furari. Similiter, qui uno furto subripuit alicujus pecuniam, equum et vestes simul, unam tantùm malitiam contraxit, quia unicum jus et unam numero obligationem violavit.

Dixi 3.°, *quandò violantur obligationes cognitæ ut numero distinctæ;* quemadmodùm enim, si malitia actûs invincibiliter ignoretur, tunc non est peccatum, ut diximus, ita, si habeat actus duplicem malitiam, et una tantùm cognoscatur, unicam contrahet malitiam.

Quæres an unus et idem actus, quandò plures habet malitias, dici possit multiplex peccatum.

Resp. multis ita videri, et satis communiter sic loquuntur Theologi; propriè tamen et rigorosè loquendo, non videtur ita dicendum, quia, ut Dialectici et Theologi communiter tradunt, ad multiplicationem nominum substantivorum

non sufficit multiplicatio formæ, sed requiritur multiplicatio subjecti; sicut enim multæ albedines in uno subjecto non faciunt multa alba, ita etiam multæ malitiæ in uno actu non faciunt formaliter multa peccata, sed unum peccatum continens multas malitias.

CAPUT VI.

De variis Peccatorum Divisionibus.

Peccatum in genere dividitur in *originale*, quod communi primi parentis voluntate contrahitur; et in *personale*, quod propriâ peccantis committitur voluntate.

Peccatum personale aliud est *actuale*, aliud *habituale*; *actuale* est actus vel omissio actûs legi difformis; peccatum *habituale* duplici sensu potest accipi : 1.° latè et impropriè, pro statu peccati; undè homo denominatur peccator, quamvis nec actu peccet, nec fortè peccandi consuetudinem habeat. Hunc autem peccati statum consistere vulgò docent in ipsâ maculâ quam post se relinquit actus peccati, quæque animæ inhæret, et est deformitas resultans ex peccato, physicè quidem præterito, sed moraliter perseverante; 2.° strictè et propriè pro habitu peccati : est autem habitus peccandi interna quædam facilitas seu consuetudo ex repetitis actibus peccaminosis contracta.

Actuale peccatum vel est *mortale* vel *veniale*; utrumque 1.° vel corde, vel ore, vel opere perficitur; 2.° oritur aut ex malitiâ, aut ex infirmitate, aut ex ignorantiâ; 3.° aliud est commissio-

nis, aliud omissionis; 4.° aliud est carnale, aliud spirituale; 5.° aliud contra Deum, aliud contra proximum, aliud contra seipsum; 6.° denique aliud est capitale, aliud non capitale.

De habituali peccato nihil hic occurrit dicendum; quia autem de mortali et veniali peccato jam disseruimus, de cæteris peccati speciebus agendum superest.

ARTICULUS PRIMUS.

De Peccato originali.

Circa peccatum originis quinque paragraphi proponuntur, breviter pro instituto nostro discutiendi : 1.° an existat; 2.° in quo præcisè posita sit ejus natura; 3.° quomodò ab Adam ad posteros traducatur; 4.° an omnes homines peccati hujus conscii nascantur; 5.° quinam sint illius effectus.

§ I.

De existentiâ Peccati originalis.

Existere peccatum originis negârunt olim Pelagiani, atque etiamnùm inficiantur Anabaptistæ et Sociniani, contra quos capitale istud Religionis nostræ dogma probandum est.

PROPOSITIO.

Fide certa est originalis Peccati existentia.

Prob. 1.° *ex Script.* Job. c. 14, ℣. 4 : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Seu, ut legunt LXX Interpretes : *Nemo mundus à sorde, nec infans, etc.* Undè sic : existere peccatum originis, est homines immunditiâ et sorde pec-

cati maculatos nasci : atqui ex hoc textu patet homines immunditiâ peccati nasci maculatos, eâ scilicet immunditiâ quam solus Deus abstergere potest : sed talis immunditia non potest esse merè corporea, ut volunt adversarii, cùm ab istâ mundare queant homines; ergo verè spiritalis est, seu ipsum peccatum; ergo, etc.

Psal. 50, ℣. 7 : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, inquit David, *et in peccatis concepit me mater mea.* Hebraicè legitur : *Ecce in peccato et in iniquitate.* Quodnam autem est istud peccatum, in quo se conceptum profitetur Psaltes, nisi peccatum originale? Etenim, ut ait S. Augustinus in hunc locum, *numquid David de adulterio natus erat? Nonne de Jesse, viro justo, et conjuge ipsius? Quid est quòd se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam?*

Rom. c. 5, ℣. 12 : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ibi adstruit Apostolus existentiam peccati quod omnes homines infecit, et morti obnoxios reddidit : atqui peccatum istud ipsum est originale peccatum, non actuale; namque peccatum actuale non reperitur in infantibus : sed peccatum, de quo loquitur Apostolus, est in infantibus; etenim eos manifestè comprehendit, tum his verbis, *In quo omnes peccaverunt*, tum quia clarè supponit in iis reperiri peccatum qui morti obnoxii sunt, cùm mors per illud intraverit : atqui ipsi infantes ante quodlibet actuale peccatum morti sunt obnoxii; ergo et ipsi peccati originalis rei sunt, quod in omnes homines non imitatione solùm, ut volunt Pelagiani,

cùm infantes imitationis sint incapaces, sed propagatione transiit.

Prob. 2.° *ex constantissimâ omnium SS. PP. traditione* : S. Justin., Dial. cum Triphone, dicit Christum baptizatum fuisse, *generis humani causâ, quod per Adam*, inquit, *in mortem et fraudem seductionemque serpentis conciderat.* Ibi docet per Adam concidisse seu peccâsse genus humanum; ergo, etc.

S. Iren., lib. 3 contra Hæreses, cap. 18, n. 1, ait Christum nobis salutem præstitisse, *ut quod perdideramus*, inquit, *in Adam... hoc in Christo Jesu reciperemus.* Salutem igitur, quam in Christo consequimur, perdidimus in Adam : atqui istud fieri non potest quin commune nobis fuerit Adami peccatum; ergo, etc.

Tertull., lib. 1 de Testim. animæ, c. 3 : *Homo*, inquit, *à primordio in mortem datus, exindè totum genus, de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit.*

Orig., Hom. 12 in Levit. : *Omnis*, inquit, *qui ingreditur hunc mundum, in quâdam contaminatione effici dicitur, propter quod et Scriptura dicit : « Nemo mundus à sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus. »* Nihil expressius desiderari potest.

A cæteris referendis supersedemus, quos omnes à Pelagii temporibus dogma nostrum defendisse fatentur adversarii.

Prob. 3.° *auctoritate Conciliorum*, quorum omnium ex uno Tridentino fidem accipiamus, Sess. 5, can. 2 : *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse..., anathema sit.*

Prob. 4.° *ex pluribus fidei nostræ dogmatibus*,

bus, quæ cum peccati originalis existentiâ sunt intimè connexa; v. g., fide credimus omnibus infantibus necessarium esse baptisma ad salutem consequendam, etc.: atqui illud invictè probat generalem originalis peccati diffusionem; ergo, etc.

Objiciunt Deistæ: Dogma de peccato originali impium est, barbarum, notioni justitiæ divinæ contrarium. Repugnat enim ut, pro unico primi parentis crimine, tot insontes, absque ullâ propriâ culpâ, tam severè plectantur et æternis devoveantur suppliciis.

Resp. 1.° Hùc recurrit responsio hæc generalis, quæ etiam pro cæteris mysteriis afferri solet: *Non sunt deneganda clara, propter ea quæ obscura sunt.* Nempè pessimus est ratiocinandi modus, ex eo quòd mysteria Religionis nostræ supra humanum conceptum posita sint, ea tanquam absurda respuere. Meliùs ille et prudentiùs agit qui, cùm optimè sciat se mysteriorum veritatem aut falsitatem solâ ratione attingere non posse, motiva credibilitatis ritè perpendit, quibus comprobatis, concludit certissimè vera esse quæ Deus ipse revelavit.

Resp. 2.° Objectio proposita falsâ innititur suppositione. Supponit enim de fide esse homines absque ullâ aliâ culpâ, et præcisè ob reatum peccati originalis, æternis suppliciis addici, quod nunquàm definivit Ecclesia. *Tenet* quidem *Ecclesia Catholica*, inquit sacra Facultas Parisiensis, in Determinatione contra librum gallicè inscriptum *Emile, tenet Ecclesia Catholica tanquam dogma fidei omnes homines.... nasci peccato originali coinquinatos et filios iræ. At liberam facit Ecclesia Catholica potestatem sentiendi cum S. Thomâ neminem propter solum*

originale peccatum plecti pœnâ sensûs positivâ, sed tantùm privari intuitivâ Dei visione, quæ beneficium est gratuitum, supernaturale, et creaturæ rationali prorsùs indebitum. In quo ne umbram quidem injustitiæ et tyrannidis excogitabit vel depravata Deistarum ratio. Imò, si exstitêre Doctores qui cum S. Augustino existimârunt infantes sine Baptismo decedentes pœnâ sensûs esse afficiendos, censuerunt isti cum eodem S. Doctore ejusmodi infantes *in damnatione omnium levissimâ futuros. Quæ qualis et quanta erit,* prosequitur S. Aug., *quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere quòd eis ut nulli essent, quàm ut ibi essent, meliùs expediret.*

§ II.

In quo sita sit natura Peccati originalis.

A Protestantibus hìc dissident Theologi, qui et inter se multùm dissentiunt.

Communior apud Protestantes opinio docet originale peccatum formaliter esse concupiscentiam, seu habitualem illam propensionem quâ ad peccandum trahimur; quam propensionem, etsi minimè liberam, volunt esse propriè peccatum. Refellitur hæc sententia, 1.° quia per Baptismum tollitur id omne quod peccatum est: atqui tamen non tollitur concupiscentia; ergo concupiscentia non est formaliter originale peccatum; 2.° ex Apost. Rom. c. 8, ℣. 1 : *Nihil... damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu :* atqui tamen iis inest concupiscentia; ergo concupiscentia ipsa nihil damnationis habet; ergo non est peccatum originale, quod damnatione dignum est.

Tres inter alias referemus Catholicorum opiniones.

1.ª Est Alberti Pighii et Catharini, qui peccatum originale reponunt in merâ imputatione *extrinsecâ*, absque ullâ labe interiùs animam afficiente. Hæc autem opinio non cohærere videtur definitioni Conc. Trid., quod declarat, Sess. 5, peccatum originale, *unicuique proprium esse*, per Baptismum non tantùm radi, aut *non imputari*, sed etiam *tolli* sive deleri *totum id quod veram et propriam peccati rationem habet.*

2.ª Docet peccatum originale nihil aliud esse formaliter quàm ipsum Adæ peccatum, prout singulis hominibus, in eo moraliter contentis, verè, propriè, et intrinsecè est communicatum. Ut clariùs intelligatur hæc sententia, notandum est in originali peccato, sicut in peccatis nostris actualibus, duo considerari posse: 1.° actum illum quo Adam, ut caput morale generis humani, transgressus est Dei legem; 2.° habitualem illam maculam, quæ actualem Adæ transgressionem subsecuta est, quæ macula status est deordinationis ex actu physicè præterito permanens in homine, donec ipsi à Deo condonetur. Porrò transiens illa et actualis divinæ legis transgressio ab Adam solo physicè elicita est, à nobis moraliter duntaxat, et ideò de eâ hìc quæstio non instituitur; habitualis verò macula, ex præcedenti actu proveniens, eadem est physicè in nobis, quæ fuit in Adamo; et in eâ, juxta sententiæ hujus fautores, consistit peccatum originale, quod verè habituale est.

3.ª Statuit peccati originalis essentiam sitam esse in jacturâ justitiæ originalis, per peccatum Adami illatâ. Videlicet, in peccato originali duo distinguunt hujus sententiæ, sicut et præcedentis, propugnatores: 1.° actualem inobedientiam

Adami, quæ nostra fuit moraliter; et 2.° maculam habitualem animæ, quæ omnes homines peccatores efficit. Porrò, inquiunt, nihil aliud concipi potest quod permanenter inhæreat animæ post actum præteritum, et illam inquinet, quàm privatio justitiæ seu gratiæ sanctificantis, quæ est animæ decor. Ita S. Anselmus et plures alii. Vide *Leclerc de Beauberon*, Tract. de Homine lapso, pag. 91.

Totum ergo discrimen, quod reperire est inter duas mox expositas opiniones, in eo consistit quòd prior velit maculam illam animæ adhærentem esse aliquid positivum, posterior autem quiddam negativum seu privativum esse affirmet.

§ III.

Quomodò Peccatum Adami in posteros transfundatur.

Ad impenetrabilis hujus mysterii expositionem, varii varia excogitârunt systemata, quæ indigitare solùm nobis sufficiet.

Prima sententia eorum est qui docent ideò peccatum originale traduci, quia infunditur anima in corpus vitiatum, undè et ipsa ex naturâ rei inquinatur, ut liquor in vase vitiato corrumpitur, sicut ipsa anima, si corpori vulnerato, vel flammis ardentibus conjungeretur, statim doleret.

Secunda tenet per libidinem, seu concupiscentiam seminali generationi naturaliter adjunctam, transfundi peccatum originale. Hanc sententiam post Lutherum et Calvinum acriter defendit Jansenius Yprensis.

Tertia eorum est qui in omnibus Adæ posteris interpretativam admittunt voluntatem, vi cujus

censentur causam suam Adamo in malum æquè ac in bonum agendam commisisse; ita ut, si tunc exstitissent omnes, vel similiter pactum à Deo cum Adamo initum transgressuri, vel omnibus ejusdem pacti conditionibus libenter consensuri fuissent.

Quarta generalem originalis peccati transfusionem repetit ex aliquâ Dei constitutione, per quam Adamus morale omnium caput institutus fuerit, ita ut in ejus voluntate posterorum omnium voluntas constitueretur et fortuna, undè, velut omnium nomine, præceptum Dei vel servaret vel pro libito transgrederetur. Alii autem volunt constitutionem hanc, consequenter ad pactum aliquod cum Adamo initum, à Deo latam fuisse; alii tale pactum ut meram fabulam rejiciunt, docentque ex solâ supremâ Dei voluntate latam fuisse prædictam constitutionem.

Jam verò, si quæratur à nobis ut quæ veritati magìs consona sit sententia definiamus, respondebimus cum S. Augustino, lib. 5 contra Julianum, cap. 4: *Quid horum sit verum, libentiùs disco quàm dico, ne audeam dicere quod nescio.*

§ IV.

An omnes originalis Peccati nascantur conscii.

Duplex hìc controversiæ punctum: primum Catholicos dividit à Protestantibus, qui volunt peccatum originale vel non communicari, vel saltem nullatenùs imputari filiis fidelium; secundum inter Catholicos agitatur, utrùm B. Virgo originali labe fuerit infecta.

PROPOSITIO PRIMA.

Filii fidelium non secùs ac alii contrahunt originale peccatum, quod ipsis sicut et cæteris imputatur, donec per Baptisma fuerit remissum.

Prob. 1.° Quia, quæcunque adduximus momenta ad probandam peccati originalis existentiam, generalem illius demonstrant transfusionem in omnes qui naturali generationis viâ descendunt ab Adam, nisi ii speciali privilegio à lege pro omnibus constitutâ eximantur; nullibi autem excipiuntur filii fidelium. Enim verò David et S. Paulus filii fidelium erant; uterque tamen in peccato conceptus est; ambo utiquè erant *naturâ filii iræ sicut et cæteri;* ergo, etc.

Prob. 2.° ex omnibus argumentis quibus, in *Tractatu de Baptismo*, absolutam et generalem illius necessitatem probavimus.

Quod spectat secundam quam proposuimus quæstionem, utrùm scilicet B. Virgo originali labe fuerit infecta, notandum est statum hujus controversiæ non esse an B. Virgo Maria in nativitate et ante nativitatem fuerit sanctificata. Cùm enim hâc prærogativâ insignitus fuerit S. Joannes Baptista, et, ut quibusdam placet, Jeremias Propheta, vel etiam fortè S. Joseph, ut alii conjecturâ augurantur, dubium non est quin eadem prærogativa Mariæ, propter honorem Domini, fuerit concessa. Quæritur itaque utrùm primo instanti suæ conceptionis, seu instanti quo ejus corpori mens fuerit conjuncta, beata Virgo à labe originali fuerit immunis.

PROPOSITIO II.

Beatissima Virgo sine labe concepta fuit, sed ex gratuito et sibi indebito privilegio.

Propositio non est *de fide*, cùm nulla sit hâc de re Ecclesiæ definitio, imò et Sixtus IV prohibuerit, sub pœnâ excommunicationis, ne contrariæ opinioni hæreseos nota affigeretur. Verùm, inquit Bossuetius, *après les articles de foi, je ne vois guère de chose plus assurée.* I Sermon sur la Conception de la Sainte Vierge.

Prob. Etenim illa sententia tenenda est, quæ nec Scripturæ nec Traditioni repugnat, in quam valdè propendet Ecclesia, et quæ validis confirmatur theologicis argumentis : atqui talis est sententia quam propugnamus; ergo, etc. Tota difficultas est in minore, quæ probanda est per partes.

Probatur itaque 1.ª *pars*, scilicet *quòd hæc opinio nec Scripturæ nec Traditioni repugnet.*

1.° Quidem non Scripturæ : licèt enim nos edoceat Scriptura legem à Deo positam esse, vi cujus omnes qui ex Adamo naturaliter generantur rei sint peccati originalis, nemo tamen negat multa in sacris Codicibus asseri, quæ aliquam tamen restrictionem admittunt; Deus enim, qui per SS. Scripturas nobis loquitur, sese accommodat hominum consueto loquendi modo, juxta quem id fieri generaliter dicitur, quod communiter fieri solet, licèt aliquandò Deus ordini rerum consueto derogare possit : porrò huic communi legi de peccato originali, hìc certè, si unquàm, derogandi locus fuit, ob triplicem rationem : 1. propter honorem Dei, ut infrà evolvemus; 2. propter dignitatem B. Virginis; nam, ut observat Bos-

suetius loco suprà citato, ibi tantùm periculosum est legi generali exceptionem apponere, ubi timendi locus est ne, propter rationis paritatem et conditionis æqualitatem, ad alios exceptio extendatur : porrò hic nil tale timendum est; quis enim Mariæ comparari potest, quæ ob maternitatem divinam *nec primam similem habere visa est, nec habere sequentem?* S. Bernard. Serm. in Assumpt. 3. Propter legitimam inductionem; namque, pergit Præsul doctissimus, *si nous remarquons* (en Marie) *une dispense presque générale de toutes les lois, si nous y voyons un enfantement sans douleur, une chair sans fragilité, des sens sans rebellion, une vie sans tache, une mort sans peine,.... si, lorsqu'elle conçut, la nature étonnée et confuse crut que toutes ses lois allaient être à jamais abolies;... qui pourra croire qu'il n'y ait rien eu de surnaturel dans la conception de cette Princesse, et que ce soit le seul endroit de sa vie qui ne soit marqué de quelque insigne miracle?*

2.° Nec magìs hæc opinio Traditioni repugnat. Nedùm enim ipsi Traditio adversetur, è contrà non pauca in eà reperiuntur quæ huic nostræ opinioni favent; multi enim SS. Patres asserunt *Mariam semper in luce fuisse*, eam prædicant *immaculatam, totam pulchram, ab omni contagione liberam.* Ita inter alios S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Sophronius. Alii non obscurè ab eà peccatum originale excludunt : sic VII seculo, S. Ildefonsus, Serm. 2 de Assumpt. : *Caro virginis,* inquit, *ex Adamo assumpta, maculas Adæ non admisit.* VIII seculo, S. Joannes Damascenus, qui ait, Orat. 1 in Nativ. B. Mariæ : *Natura gratiæ fœtum antevertere minimè ausa*

est; et alii plures quorum testimonia referre nimis longum foret.

Probatur 2.ª *pars*, nempè, *in eamdem sententiam Ecclesiam propensiorem esse.* Declaravit enim in Conc. Trid., Sess. 5.ª *non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem;* jam verò quis adeò temerarius sit ut ipsam comprehendere ausit? Præiverat Concilium Basileense, quod, Sess. 36.ª, doctrinam de immaculatâ Conceptione, *tanquam piam et consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicæ, rectæ rationi et S. Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam et amplectendam,* definit; declaratque *nulli de cætero licitum esse in contrarium prædicare et docere.*

Licèt autem hæc definitio Concilii œcumenici auctoritatem non habeat, quia tunc ab Eugenio IV abrogatum erat Basileense Concilium, magni tamen ponderis esse debet, 1.° quia Concilio huic intererant adhuc Patres non pauci eruditione conspicui; 2.° quia ipsi Summi Pontifices doctrinam hanc solemniter confirmârunt, iteratâ sæpiùs prohibitione, *ne quisquam scriptis et sermonibus etiam privatis audeat asserere quòd B. Virgo in peccato concepta sit,* atque in honorem illius conceptionis majori institutâ solemnitate, cujus celebrationem quibusdam Ecclesiis sub titulo *immaculatæ* Conceptionis Summi Pontifices fieri concesserunt; 3.° quia doctrina nostra à quingentis circiter annis, ex quo lis illa diligentiùs excussa est, ab innumeris omnium gentium Theologis et Academiis summo cum plausu recepta est, generalibusque statutis obfirmata,

adeò ut Academia Parisiensis, statuto anni 1496, alumnos suos ad tenendam eam doctrinam solemni juramento adstrinxerit.

Probatur 3.ª *pars*, nempè *quòd eadem sententia validis confirmetur theologicis argumentis.* Etenim illud privilegium B. Mariæ concedendum est, quod Deus potuit et quodam modo debuit Mariæ concedere : atqui tale est privilegium immaculatæ conceptionis.

1.° Quidem Deus potuit, etc.; quid enim obstaret? An lex peccati originalis adversùs genus humanum generaliter lata? Sed quis neget Deum, privilegio singulari erga B. Virginem, huic legi generali derogare potuisse? An honor ipsius Christi, cui Mariam innocentiâ æquiparare videremur? At infinito adhuc intervallo filius Dei immaculatam matrem superabit; ille enim naturâ, ista verò gratiâ; ille suâ præcellentiâ, ista privilegio; ille ut redemptor, ista pretio redemptionis, ab omni peccati labe fuit immunis. Quinimò in nostrâ sententiâ major Christo prærogatur honos; quid enim! ait Bossuetius loco jam citato, *si nous n'étions tous criminels par notre naissance, ne sauriez-vous que dire pour donner l'avantage au Sauveur?... Ne trouvez donc pas mauvais si je tâche de trouver une créature innocente à laquelle je le préfere, afin de faire voir que ce n'est pas votre crime seul qui lui donne la préférence.*

2.° Deus quodam modo debuit privilegium illud Mariæ concedere, seu valdè congruum fuit ut illud ipsi concesserit, sive spectetur fidei analogia, sive maternitas divina, sive dilectio Christi erga matrem suam : 1. *analogia fidei;* namque, juxta communem Theologorum doctrinam, non solùm ab omni actuali peccato, sed etiam ab omni con-

cupiscentiæ motu indeliberato B. Maria fuit immunis; quantò minùs ergo contaminari debuit originali peccato, quod longè gravius est, animamque reddit Deo odibilem et inimicam. 2. *Maternitas divina;* christianæ enim aures audire refugiunt ipsam Dei matrem sub potestate Diaboli aliquandiù exstitisse, Deo exosam, æterno supplicio addictam, ipsumque Dei filium corpus suum ex hâc substantiâ assumpsisse, quæ priùs fuerat peccato inquinata. 3. *Dilectio Christi erga Mariam;* ut enim addit illust. Præsul jam laudatus, cùm B. Mariæ id peculiare fuit, ut genuerit filium sibi ab æterno præexistentem, ipse, juxta decretum suæ incarnationis, ab æterno Mariam sibi matrem elegit; ergo ab æterno erga eam affici debuit ut filius erga matrem, ac proindè eam diligere, eamque præparare ut dignum suî habitaculum fieri mereretur : porrò tanta filii Dei erga matrem dilectio cogitare non sinit, quòd ipsam à peccato originali præservare noluerit; ergo, etc.

Dixi in propositione, *ex gratuito et sibi indebito privilegio*; 1.° quia, cùm B. Virgo naturali et communi viâ ab Adamo fuerit procreata, in generali lege adversùs omnes Adæ filios viâ seminali genitos verè continebatur, nec nisi speciali Dei favore ab eâ immunis fieri potuit; 2.° quia aliàs explicari non posset quâ ratione pro B. Mariâ mortuus sit Christus, ejusque salvator sit et redemptor; duplici enim duntaxat sensu Christus pro aliquo mortuus intelligi potest, quatenùs scilicet, mortis suæ merito, eum vel á peccato jam contracto liberavit, vel à peccato ex lege communi contrahendo præservavit.

Obj. S. Bernardus in celebri ad Canonicos Lugdunenses Epistolâ, et S. Thomas, 3 part.,

quæst. 27, art. 2, docent B. Virginem ex lege communi Adæ peccatum contraxisse; ergo, etc.

Resp. 1.° S. Bernardum Canonicos Lugdunenses potissimùm redarguere quòd propriâ auctoritate, et inconsultâ Sede Romanâ, Festum in honorem immaculatæ Conceptionis instituissent. 2.° S. Thomas in 1 Sent. dist. 44, quæst. 1, art. 3, ad 3.um, sic habet juxta editionem Romanam, jussu Pii V emendatam, Parisiensem anni 1529, et Venetam anni 1555 : *Talis fuit puritas B. Virginis quæ à peccato originali et actuali immunis fuit.* Idem alibi passìm legitur; quos textus posteà corruptos docent et probant eruditi plurimi. Quidquid sit, constans videtur utrumque S. Doctorem in animi præparatione nostrum fuisse, qui ex Festo Nativitatis B. Mariæ eam in Nativitate sanctam et immaculatam fuisse concludunt; similiter haud dubiè pro immaculatâ Conceptione stetissent, si Festum ejus in universâ Ecclesiâ, prout nunc fit, celebrari conspexissent.

§ V.

Qui sint Peccati originalis effectus ?

Peccati originalis effectus pœnæ sunt quibus, tum quoad corpus, tum quoad animam, sive in hâc mortali vitâ, sive in futurâ, premuntur homines.

Animæ pœnas tres recensemus, scilicet : privationem justitiæ originalis, ignorantiam, et concupiscentiam.

Corporis pœnæ sunt, morbi, mors, et cæteræ miseriæ è quibus coalescit *jugum* illud *grave*, quod est *super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum;* Eccli. c. 40, ℣. 1.

Quæ alteram vitam spectant pœnæ, eæ pœna damni et pœna sensûs. De istis solùm movetur quæstio.

Quæres itaque 1.° an fide constet parvulos sine Baptismo decedentes æternâ vitâ privari.

Resp. affirmativè : Patet, 1.° ex Script. Joan. c. 3, ℣. 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei :* prorsùs autem fictitia est distinctio quam regnum cœlorum inter et vitam æternam commenti sunt Pelagiani ; ergo, etc. ; 2.° ex SS. PP. adversùs Pelagianos ; 3.° ex Concilio generali Florentino, Sess. ult., ubi definitur *illorum animas, qui in actuali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Item ex Concilio Tridentino, sessione 5.ª, canone 4.

Quæres 2.° quis sit horumce infantium in alterâ vitâ status.

Resp. in hâc re maximè obscurâ multiplicem esse Theologorum opinionem.

Prima eorum est qui infantes sensûs etiam pœnâ cruciari contendunt; ita Sylvius, Petavius, *Lherminier,* etc.

Secunda parvulos pœnâ sensûs torqueri negat, sed eos de amissâ beatitudine, seu visione Dei (quæ pœna est damni), verè tristari et dolere credit ; ita Bellarminus et innumeri alii.

Tertia docet eos nullum prorsùs dolorem etiam ex amissâ Dei visione percipere, ita S. Thomas in 2 Sent., dist. 33, quæst. 1, art. 1 ; Magister sententiarum, Gonetus, etc.

Quarta, quæ cæteris lenior est, parvulos ab omni dolore et tristitiâ non solùm eximit, sed et ipsis naturalem concedit beatitudem, in na-

turali Dei cognitione et amore fundatam; ita Catharinus, et Cardinalis Cœlestinus Sfondratus. Hæc posterior sententia apertè contradicit Concilio Florentino citato, et S. Aug. lib. de Orig. anim. cap. 9: *Non baptizatis parvulis*, inquit S. Doctor, *nemo promittat, inter... damnationem regnumque cœlorum, quietis vel felicitatis cujuslibet atque ubilibet..... quasi medium locum. Hoc enim eis etiam hæresis pelagiana promisit.*

Quæ autem ex tribus prioribus ut vera sit præeligenda, certò definiri non potest, neque ex Scripturis, quæ de statu puerorum tacent, neque ex SS. PP., quorum alii aliter sentiunt.

ARTICULUS II.

De Peccatis cordis, oris et operis, et præsertìm de Delectatione morosâ.

Certum est 1.° quædam esse peccata cordis, quædam oris, quædam operis. Ratio est manifesta, quia, ut ait S. Hieronymus, aut cogitatione, aut sermone, aut opere peccamus.

Certum est 2.° divisionem hanc triplici modo posse intelligi:

1. Ita ut sit solùm distinctio in diversos gradus unius et ejusdem, tum specie, tum numero, peccati; quatenùs nempè quædam peccata inchoantur cogitatione et affectione cordis, ulteriùs verò incrementum capiunt oris sermone, ac tandem opere complentur et consummantur: sic, v. g., aliquis mortem alterius meditatur et intendit, deindè verbis etiam ipsi comminatur, ac tandem illum occidit. Cùm autem hi tres gradus, nisi interveniat moralis interruptio, unum

numero peccatum constituant, hæc divisio non est propriè divisio peccati, quasi in distincta peccata, sed est consideratio unius ejusdemque peccati secundùm diversos ejus gradus et status.

2. Intelligi potest ita ut sit divisio in diversa numero peccata intra eamdem speciem, quatenùs scilicet peccata, quæ ex naturâ suâ solent opere consummari, ex intentione peccantis aliquandò determinantur ut sistant in solo corde vel ore, aliquandò verò ut ad opus etiam progrediantur, v. g., quandò quis vult interiùs consentire homicidio, quod tamen nullo modo vult verbis exprimere, nec opere adimplere; vel quandò vult solùm verba ad homicidium inducentia proferre, non tamen homicidium patrare; vel deniquè quandò vult exsequi et consummare peccatum. Cùm autem hæc tria peccata sint ejusdem speciei, et solo numero differant, erit in isto sensu prædicta divisio in diversa numero peccata.

3. Deniquè intelligi potest ut sit divisio in peccata specie diversa, quatenùs nempè peccata operis dicuntur ea quæ ex naturâ suâ tendunt ad opus externum, et in eo perficiuntur ac consummantur, v. g., furtum, homicidium, etc. Peccata autem oris dicuntur quæ ex naturâ suâ postulant consummari in ore, neque ad ulteriorem terminum tendunt, v. g., detractio, contumelia, mendacium. Deniquè peccata cordis dicuntur ea quæ ex genere suo talia sunt ut perficiantur et consummentur in corde, seu in cordis intentione et affectione, ita ut ad ultimum terminum non tendant, sed sint ex se completa, v. g., hæresis, odium proximi, ira, invidia, desperatio, judicium temerarium, etc.

Superest itaque solùm difficultas de delecta-

tione morosâ, de quâ nobis quatuor expendenda sunt : 1.° quid sit ; 2.° an sit peccatum ; 3.° an specificetur ab objecto prout in se est; 4.° utrùm ad illud peccatum sufficiat consensus indirectus vel interpretativus.

§ I.

Quid sit Delectatio morosa.

Notandum, ex imaginatione vel cogitatione alicujus objecti delectabilis, excitari naturaliter in voluntate et appetitu sensitivo vel desiderium illud assequendi, vel simplicem complacentiam in ejus suavitate et jucunditate cogitatâ et repræsentatâ perindè ac si objectum esset præsens. Similiter, ex cogitatione vel imaginatione objecti displicentis, excitatur naturaliter in voluntate et appetitu sensitivo vel desiderium illud tollendi et fugiendi, vel simplex de illo displicentia.

Peccatum morosæ delectationis rectè definitur, *Simplex et morosa, seu libera complacentia in ipsâ re malâ cogitatâ et repræsentatâ ut præsente, sine ullo desiderio illam assequendi:* v. g., cùm quis interiùs delectatur et sibi complacet in cogitandâ morte inimici vel aliquâ re turpi, sine ullo desiderio illam assequendi. Quod autem diximus de complacentiâ in re malâ, dicendum quoque est de displicentiâ in re bonâ : v. g., cùm quis interiùs tristatur, et sibi displicet in cogitando bono proximi, vel quia ipsius est bonum, quod pertinet ad odium, vel quia eo putat suum bonum imminui, quod pertinet ad invidiam ; idque sine ullo desiderio tollendi vel minuendi bonum illud proximi. Verùm ulteriùs est explicanda definitio tradita.

Dicitur itaque 1.°, *complacentia morosa*, non quidem à morâ temporis, sed à morâ voluntatis liberæ, quia scilicet, positâ advertentiâ ad malitiam et turpitudinem delectationis hujusmodi, eam tamen voluntas non repellit, sed ei liberè immoratur, quantumvìs brevissimo tempore, et in eà conquiescit non intendendo ulteriùs procedere ad opus consummatum.

Dicitur 2.°, *complacentia in ipsâ re malâ cogitatâ;* quippe delectatio seu simplex complacentia (idemque cum proportione dici debet de displicentiâ), tripliciter versari potest circa cogitationem rei malæ; 1. ita ut non sit de re ipsâ malâ cogitatâ, sed de rei malæ cogitatione, quatenùs, v. g., illa cogitatio est utilis ad docendum, concionandum, etc., sicut, inquit S. Thomas, aliquis cogitat de peccatis, de eis disputando et conferendo, et in veritate hujus cogitationis delectatur: tunc autem illa delectatio non est per se peccatum, ut patet.

2. Complacentia ita versari potest circa cogitationem rei malæ, ut delectatio sit tantùm de modo quo res mala peracta est, aut peragi potest, v. g., quia modus ille est mirabilis, novus, insolitus, ridiculus, etc. Sic enim sæpè delectant narrationes vel aspectus bellorum, furtorum, insidiarum, fraudum, vel hominis ridiculè cadentis ex equo, quod fieri potest, quamvis res ipsa mala displiceat, et tunc etiam illa delectatio per se non est peccatum, ut patet, quod tamen in obscenis rebus periculosum est.

3. Deniquè complacentia versari potest circa cogitationem rei malæ, ita ut delectatio sit de ipsâ re malâ cogitatâ, quæ affectum moveat et alliciat, ut ait S. Thomas; et hæc est delectatio

morosa de quâ loquimur, et quæ verè peccatum est, ut probabimus infrà.

Signa autem tria sunt quibus cognosci poterit aliquem non de solâ cogitatione rei malæ, nec de solo modo delectari, sed de re ipsâ malâ cogitatâ. 1. Si quis non reflectat supra cogitationem, id est si non cogitet se cogitare, signum est delectationem esse de re cogitatâ, et non de cogitatione. 2. Si modus et artificium in rebus piis aut non malis minùs afficiat et delectet quàm in rebus malis, v. g., musica in rebus obscenis, tunc signum est esse turpem affectum circa res ipsas malas, et non tantùm circa earum modum. 3. Deniquè si non ex bono fine, v. g., studendi, docendi, sed ex pravo vel vano fine, v. g., si turpis affectus, vel vana lectio aut collocutio sint causa cur delectetur aliquis cogitando rem, aut cur moveatur ad permanendum in illâ cogitatione, signum est valdè probabile delectationem esse de re malâ cogitatâ, non autem de illius duntaxat cogitatione vel modo.

Dicitur 3.° *cogitatâ et repræsentatâ quasi objectum esset præsens;* quia, licèt objectum sit absens et remotum, nempè vel præteritum vel futurum, tamen per intellectum fit quodammodò præsens, et voluntas circa illud delectatur quasi præsens adesset.

Dicitur 4.°, *sine ullo desiderio illam assequendi;* quia delectatio morosa est simplex et morosa complacentia, ulteriùs non tendens; undè est peccatum distinctum à desiderio.

§ II.

Quale peccatum sit morosa Delectatio.

Certum est 1.°, ante rationis advertentiam et

consensum voluntatis, nullum peccatum esse posse in cogitatione aut imaginatione rei malæ, neque in desiderio aut delectatione appetitùs sensitivi.

Certum est 2.° voluntariam imaginationem vel cogitationem rei malæ ex se non esse malam, cùm Deus et Angeli res malas et turpes cognoscant, et Theologi laudabiliter de illis cogitent ad studendum, docendum, etc. Erit igitur bona hujusmodi cogitatio, si bonum finem habeat; mala autem mortaliter vel venialiter, si ex fine vel venialiter vel mortaliter malo procedat; v. g., si procedat ex pravo affectu, et ut appetitus sensitivus turpiter moveatur, tunc certè cogitatio erit peccatum mortale; imò in materiâ luxuriæ semper censeri debet grave peccatum, quoties aliquis sine bono fine, necessario vel utili, vult deliberatè imaginari vel cogitare turpia, quia, propter sympathiam et connexionem potentiarum animæ, nunquàm sistitur in hujusmodi cogitatione vel imaginatione, sed ex eà inducuntur turpes motus et affectus, quos nunquàm procurare licet; quandò autem adest bonus finis necessitatis aut utilitatis, talis finis aliò mentem divertit à turpibus; quòd si nihilominùs oriantur ex hujusmodi causâ honestâ, permitti possunt, si non sit periculum consensûs, ut posteà dicam.

Certum est 3.° delectationem de ipsâ cogitatione vel imaginatione rei malæ, aut de illius modo, non esse ex se malam, sicut nec ipsam cogitationem, ut jam dixi; quamvis in certis quibusdam objectis non facile sit ibi sistere, et sit valdè periculosum ne transitus fiat à delectatione de ipsâ cogitatione vel de modo ad delectationem de ipsâ re malâ cogitatâ, quod dignosci poterit ex regulis et indiciis suprà relatis. Specialiter verò

in materiâ luxuriæ censeri debet peccare mortaliter, qui, sine aliquâ vel necessitate vel utilitate, delectationem percipit in istâ cogitatione vel imaginatione turpium, quantumvis sibi videatur per mentem separare delectationem modi cogitationis à delectatione rei malæ.

Certum est 4.° desiderium deliberatum assequendi vel exsequendi rem mortaliter malam cogitatam habere eamdem gravitatem malitiæ mortalis, quam habet ipsa res mala cogitata, vel ipsum opus externum in quod fertur, ut patet ex Matth. c. 5, ℣. 28 : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Superest igitur solùm examinandum an simplex cogitatio morosa, de re malâ mortaliter cogitatâ quasi præsens esset, sit peccatum mortale.

PROPOSITIO.

Delectatio morosa, de objecto repræsentato ut mortaliter malo, est mortaliter mala.

Prob. 1.° *ex Script.* Proverb. c. 15, ℣. 26 : *Abominatio Domini cogitationes malæ;* Sap. c. 1, ℣. 3 : *Perversæ enim cogitationes separant à Deo;* Osee, c. 9, ℣. 10 : *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.*

Prob. 2.° *ex SS. Patribus.* S. Aug. lib. 12 de Trinitate, cap. 12 : *Totus* (homo) *damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittantur.* Idem apertè testatur S. Gregorius, lib. Pastoralis, part. 1, cap. 11, sub finem : *Ponderosus verò est, qui turpitudinem non exercet opere, sed tamen*

ab hâc cogitatione continuâ sine moderamine gravatur in mente; qui nequaquàm quidem usque ad opus nefarium rapitur, sed ejus animus voluptate luxuriæ sine ullo repugnationis stimulo delectatur.

Prob. 3.° *Ratione.* Delectatio alicujus operationis et ipsa operatio ad idem genus peccati reducuntur, sicut operatio virtutis et delectatio in eâdem virtute reducuntur ad eamdem virtutem : sed ipse actus, v. g., fornicationis est in genere peccati mortalis; ergo delectatio in cogitatione de fornicatione est similiter mortalis.

Ita S. Thomas in quæst. disputat. de Veritate, quæst. 15, art. 4. Undè rectè infertur nostra propositio generalis, scilicet, delectationem morosam, de objecto repræsentato ut mortaliter malo, esse mortaliter malam, sicut et operationem vel desiderium circa idem objectum.

Colliges 1.° ex doctrinâ traditâ, illum peccare mortaliter qui deliberatè delectatur in re aliquâ quæ ab intellectu repræsentatur ut mortaliter mala, sive secundùm se et reipsâ talis sit, sive non.

Sic. 1. in materiâ superbiæ, diabolus, ut communiter tradunt Theologi, peccavit mortaliter se delectando in consideratione propriæ excellentiæ usque ad æqualitatem Dei.

Sic 2. in materiâ odii Dei vel proximi, peccaret mortaliter qui delectaretur de peccato cogitato ut est malum ipsius Dei, vel de malo proximi cogitato ut est ipsius grave malum.

Sic 3. in materiâ invidiæ, mortaliter peccaret qui de malo gravi proximi delectaretur, quia bonum illius cogitatur ut proprii boni imminutivum.

Sic 4. in materiâ crudelitatis et sævitiæ, pec-

catum esset mortale, si quis delectaretur in cogitandis alicujus hominis vulneribus aut tormentis modum excedentibus.

Sic 5. in materiâ inobedientiæ, peccaret mortaliter qui delectaretur de transgressione alicujus præcepti cogitatâ ut est contra Superioris voluntatem in re gravi, vel in ipsius contemptum.

Sic 6. in materiâ luxuriæ, omnis delectatio voluntaria de objecto turpi est peccatum mortale, in personis præsertim non conjugatis, quâcunque præcisione vel suppositione factâ, etiam matrimonii : exemplum est in viduâ se delectante de cogitatâ copulâ præteriti matrimonii, vel in sponsis se delectantibus de copulâ cogitatâ futuri matrimonii; vel in eo qui se delectaret de copulâ cum feminâ, si esset uxor, vel si talis copula esset licita; quamvis enim delectationes illæ sint de objecto licito secundùm se, et spectato ut præterito vel futuro vel possibili, non sunt tamen de objecto licito, quatenùs cogitato ut præsente et carnaliter delectabili, seu per se apto ad excitandam corporis commotionem et initium quoddam consummationis peccati carnalis; et ideò sunt de objecto mortaliter malo, præsertìm in personis non conjugatis.

Dixi, *præsertìm in personis non conjugatis*, quia Doctores satis communiter sentiunt conjugem se delectantem, in absentiâ alterius conjugis, de actu matrimonii cogitato ut præsenti, non peccare mortaliter, per se loquendo, secluso periculo pollutionis; eò quòd, inquiunt, vi matrimonii uterque conjux habet dominium in corpus alterius. Verùm alii Doctores contrarium meliùs sentiunt; imò omnes consentiunt illam delectationem habere aliquam inordinationem; undè, in-

quit Cajetanus, est peccatum veniale, cùm nec necessitas nec pietas talem mentis occupationem permittunt. Quapropter id personis etiam conjugatis est omninò dissuadendum.

Sic 7. in quâcunque materiâ intrinsecè malâ et jure naturæ prohibitâ, peccatum erit omnis delectatio de tali objecto intrinsecè malo cogitato ut præsenti, sicut diximus in materiâ luxuriæ, idque etiam factâ quâcunque præcisione vel suppositione. Ratio est, 1. quia fieri non potest præcisio malitiæ ab objecto intrinsecè et essentialiter malo, id enim omninò repugnat. 2. Quia delectatio morosa de illo objecto ut præsenti subsistere non potest cum vero et universali odio peccati; et, qui sic delectatur, non potest certè dicere de tali peccato, *Iniquitatem odio habui et abominatus sum;* licèt enim fortè non habeat desiderium exsequendi illud peccatum, habet tamen delectationem morosam in re actualiter et essentialiter malà. 3. Quia præcisio vel suppositio, quæcunque illa sit, non potest magìs tollere malitiam cujuscunque objecti intrinsecè mali et cogitati ut præsentis, quam ipsius luxuriæ: sed, ut suprà vidimus et omnes Theologi nunc sentiunt, præcisiones illæ non impediunt peccatum delectationis morosæ in materiâ luxuriæ; ergo similiter non possunt impedire peccatum delectationis morosæ, in quâcunque materià intrinsecè malà. Undè verè et mortaliter peccaret qui actu delectaretur de perjurio, idololatrià, occisione inimici, contumeliis, etc., etiamsi haberet in intellectu hanc præcisionem, *si non esset offensa Dei.* Item peccaret qui delectaretur de occidendo inimico, sì Judex esset, vel si Deus ipsi daret hanc potestatem; illa enim delectatio est de

objecto præsenti, suppositio verò est de objecto tantùm possibili. Præstereà illa delectatio oritur ex pravo affectu vindictæ, qui nunquàm licitus est, quâcunque factâ præcisione. Deniquè idem dicendum de aliis omnibus suppositionibus vel præcisionibus quæ fiunt in materiâ intrinsecè malâ : illæ enim non tollunt gravem affectum ad peccatum : quarè Cardinalis Cajetanus eas meritò vocat fatuas et diabolicas tentationes.

Colliges 2.° idem, quod de morosâ delectatione, dicendum esse de morosâ displicentiâ, scilicet, eam esse mortalem, quoties ejus objectum, prout repræsentatur ab intellectu, est mortaliter malum, v. g., quandò quis tristatur de bono Dei vel proximi, ut est ipsorum bonum, quod pertinet ad odium, vel ut est proprii boni imminutivum, quod pertinet ad invidiam. Item, quandò quis tristatur de bono aliquo opere virtutis, v. g., auditione Missæ, eleemosynâ, jejunio, cogitato non ut est opus difficile, sed ut est opus religionis, vel misericordiæ, vel temperantiæ, is sine dubio peccat contra has virtutes. Deniquè, quandò quis tristatur de obedientiâ quam ipse vel alii præstant Superiori, cui ex contemptu parere nollet, peccat mortaliter contra obedientiam.

Quæres 1.° utrùm peccet ille qui per simplicem complacentiam gaudet de aliquo effectu bono vel indifferenti qui ex peccato secutus est, vel de aliquâ circumstantiâ bonâ aut indifferenti quæ peccatum comitata est.

Resp. eum non peccare, per se loquendo; quamvis enim nunquàm liceat peccatum desiderare propter effectum bonum qui ex illo est secuturus, quia non sunt facienda mala ut eveniant

niant bona, licet tamen, per se loquendo, gaudere de bono effectu qui ex peccato secutus est, vel de illâ circumstantiâ bonâ aut indifferenti quæ peccatum comitata est, modò gaudium illud non sit occasio gaudendi de ipso peccato, quod maximè cavendum est.

Sic 1. non peccat qui cum Ecclesiâ delectatur quòd Adami culpa occasio fuerit Incarnationis; 2. non peccat qui delectatur ex eo quòd occasione peccati proprii fuerit correctus, humiliatus, et sincerè ad Deum conversus; 3. qui gaudet quòd alteri ablatæ fuerint furto pecuniæ quæ ipsi erant occasio peccandi; 4. deniquè qui gaudet quòd, mortuo inimico, ab ejus insidiis deinceps liber sit futurus, modò non gaudeat de morte inimici, quod valdè cavendum est.

Quæres 2.° utrùm simplex delectatio de rebus quæ non sunt intrinsecè malæ, licèt sint aliundè prohibitæ, censeri debeat peccatum; v. g., utrùm ille peccet contra præceptum Ecclesiæ, qui die jejunii delectatur cogitando se non jejunare et carnes edere, idque per simplicem complacentiam, sine ullo exsequendi desiderio.

Resp. talem delectationem esse peccatum, quia 1. simplex illa complacentia sæpè est occasio proxima desiderii actûs prohibiti; 2. quia est in hoc inordinatio quæ omninò vitari debet, maximè propter periculum desiderandi actum externum prohibitum, aut omittendi actum præceptum.

§ III.

Utrùm Delectatio morosa specificetur ab objecto externo.

Supponendum est desiderium specificari ab

objecto externo, ita ut, si objectum externum habeat duas malitias specie diversas, desiderium habeat similiter duas illas malitias: sic, v. g., copula cum alterius uxore habet duplicem malitiam, scilicet fornicationis contra castitatem, et adulterii contra justitiam: similiter, desiderium talis copulæ habebit duplicem illam malitiam, ut constat ex Matth. c. 5, ℣. 28: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Hoc posito, difficultas est tantùm utrùm id, quod diximus de desiderio, dicendum similiter sit de delectatione morosâ.

PROPOSITIO.

Probabile videtur multis Theologis peccatum delectationis morosæ non specificari ex objecto externo, prout est *à parte rei*, sed prout *ab intellectu repræsentatur, et est motivum talis delectationis*: undè, secundùm illos, *delectatio morosa non contrahit omnem speciem malitiæ quæ reperitur in objecto, sed illam tantùm quam intellectus repræsentat ut talis delectationis motivum.*

Rationem propositionis sumunt ex notabili differentiâ desiderii à simplici delectatione; desiderium enim est ex se efficax, et tendit ad actûs externi exsecutionem, proindèque respicit objectum sicut se habet exteriùs, quamvis interdùm ratione periculi aut alterius circumstantiæ homo ab exsecutione desiderii retrahatur: cùm igitur desiderium respiciat suum objectum sicut exteriùs se habet, sequitur illud contrahere omnes malitiæ species, quæ sunt in objecto exteriori: idque, non obstante quâcunque præcisione in-

tellectûs, quia qui vult efficaciter aliquid, vult etiam illa quæ advertit esse illi annexa; et ideò desiderium est semper ejusdem speciei et malitiæ cujus est reipsâ opus desideratum: v. g, desiderium occidendi Sacerdotem est ejusdem speciei et malitiæ ac homicidium ipsum Sacerdotis, quantumcunquè quis habeat intentionem occidendi talem hominem, non prout est Sacerdos, sed prout est homo privatus et inimicus.

Contrà verò delectatio seu simplex complacentia aut displicentia sine desiderio est solùm actus inefficax, nec fertur in objectum ut exsecutioni mandandum, et sicut exteriùs se habet, sed tantùm sicut per cogitationem intellectûs fit veluti præsens: cùm autem intellectus possit cogitatione suâ separare unam malitiam ab aliâ, ita ut objectum habens ex se duas malitias repræsentetur ab intellectu et sit motivum delectationis morosæ, quatenùs unam repræsentat malitiam, hinc fieri potest ut delectatio de illo objecto unam solùm habeat malitiam, quia delectatio contrahit tantùm malitias illas secundùm quas objectum fit veluti præsens in intellectu, et quæ sunt delectationis ipsius motiva; ergo delectatio, inquiunt, specificatur ab objecto ut per cognitionem præsens est, desiderium verò ab objecto ut est exsecutioni mandandum.

Colligunt illi Doctores delectationes morosas non esse semper ejusdem speciei cum ipso opere secundùm se, sed tantùm cum ipso opere ut delectationis motivo: undè probabiliùs judicant, quandò opus duplicem habet malitiam, si cogitetur ut præsens, et delectationem solùm moveat sub unâ malitiâ, tunc delectationem contrahere hanc solam malitiam; quia, licèt is qui vult exse-

cutionem operis contrahat utramque malitiam, eò quòd in exsecutione neutra possit ab alterâ sejungi, attamen non ita esse putant de eo qui consentit in delectationem morosam; mens enim facilè potest unam malitiæ speciem separare ab alterâ, et unam sine alterâ cogitare; ac proindè potest voluntas circa unam versari per complacentiam, absque ullo affectu ad alteram: sic, v. g., qui delectatur de occisione inimici in loco sacro, non quatenùs ibi facta est, sed quatenùs est inimici malum, secundùm illos Doctores peccat solùm peccato odii, et non sacrilegii. Similiter, qui delectatur de verbis impuris simul et contumeliosis, non ut sunt contumeliosa, sed ut sunt turpia, peccat quidem, inquiunt, contra castitatem, sed non contra justitiam. Si quis tamen delectaretur cogitatione alicujus peccati contra naturam, v. g., pollutionis, consentiunt omnes delectationem illam esse diversæ speciei, etiam in ratione luxuriæ.

§ IV.

Quinam consensus requiratur ut Delectatio sensitiva imputetur ad peccatum.

Notandum delectationem sensitivam seu carnalem non esse actum elicitum à voluntate, sed esse tantùm objectum circa quod voluntas aliquandò delectatur et consensum præbet, aliquandò non delectatur et non præbet consensum. Voluntas autem, ut suprà diximus, potest præbere consensum tribus modis, scilicet, vel *directè*, quandò voluntas delectationem carnalem in se immediatè et expressè vult et intendit; vel *indirectè*, quandò voluntas delectationem illam vult, non quidem expressè et immediatè in se,

sed in alio, ex quo secuturam esse prævidet tanquam ex suâ causâ; vel deniquè *interpretativè*, quandò voluntas liberè omittit id quod potest et debet facere ad vitandam talem delectationem.

Quoad consensum directum et formalem, certum est mortaliter peccari, quandò voluntas actu positivo delectationem graviter malam ab intellectu propositam amplectitur, approbat, amat; tunc enim dubitari non potest adesse delectationem morosam, quam suprà probavimus esse peccatum mortale.

Quoad consensum indirectum et in causâ, certum est 1.° mortaliter peccari, quandò causa influens in delectationem carnalem liberè ponitur ex intentione talis delectationis: tunc enim evidens est voluntatem verè consentire in ipsam delectationem.

Certum est 2.° mortaliter peccari, quoties ex liberà positione causæ influentis in delectationem graviter malam prævidetur secuturum periculum proximum consentiendi in illam; qui enim amat periculum, peribit in illo.

Certum est 3.° mortaliter etiam peccari, quoties liberè ponitur causa per se moraliter influens in illicitam delectationem, seu quoties ponitur causa quæ ex se non habet alium effectum quàm ejusmodi delectationem, et ad illam causandam ex se ordinatur, quales sunt, v. g., turpes cogitationes, lectiones, auditiones, locutiones, item libidinosi aspectus, tactus, etc., respectu delectationis carnalis: cùm enim hæ causæ non habeant alium effectum, hinc necessariò sequitur voluntatem non posse eas velle, quin velit ipsam delectationem carnalem.

Notandum tamen, secluso periculo consen-

tiendi, posse aliquandò sine peccato poni illius delectationis sensitivæ causam remotam et per accidens, seu causam ex quâ nec semper nec frequenter sequitur effectus, dummodò tamen adsit ratio honesta, necessitas, vel utilitas ponendi hujusmodi causam, v. g., studendi, audiendi confessiones, et similes rationes, ex quibus prævidetur interdùm secutura turpis delectatio in appetitu sensitivo, vel carnalis commotio, sine periculo consentiendi : ratio est, quia tunc delectatio sensitiva vel commotio carnalis sequitur tantùm per accidens et præter intentionem ex iis quæ hunc effectum ex se non habent : per se autem sequitur ex naturali infirmitate et miseriâ naturæ in Adamo corruptæ, et ideò tunc non imputatur ad peccatum; sed maxima in his omnibus vigilantia, et mentis in Deum elevatio necessaria est.

Confirmatur, quia aliàs homines deberent sæpè multa bona opera, et quidem necessaria vel saltem utilia, prætermittere.

Dices : Imputatur ad culpam mortalem homicidium, blasphemia, perjurium, quoties liberè ponitur eorum causa, quantumvìs remota, et per accidens, v. g., ebrietas ex quâ prævidetur ejusmodi peccata esse secutura; ergo similiter imputabitur ad culpam mortalem carnalis delectatio, quoties liberè ponitur ejus causa, quantumvìs remota.

Resp. Nego paritatem : Quia carnalis delectatio, etsi ad malum excitet, per se tamen non est mala, sicut homicidium, blasphemia et perjurium; habet enim in naturâ, ex corporis dispositione, causam sufficientem undè oriri potest, absque ullâ cooperatione voluntatis. Quamvis autem sit contra ordinem debitum naturæ velle

directè illam delectationem, vel eam procurare per applicationem causæ quæ nullum ex se habeat alium effectum, non est tamen contra ordinem illam permittere, ponendo causam per accidens, ex quâ prævidetur secutura, sine periculo consentiendi, et propter legitimum finem. At verò homicidium, perjurium, sunt ex se mala, nec habent similem causam in naturâ, nec ideò ex causâ honestâ permitti possunt: undè, si quis prævideat ea à se committenda, tenetur omni modo possibili evitare.

Cæterùm, extra casum necessitatis vel utilitatis, si quis ponat liberè causam remotam et per accidens, ex quâ prævidetur oritura delectatio carnalis, erit semper aliqua culpa, tum quia carnalis illa delectatio semper includit aliquam inordinationem quam permittere non licet, tum quia delectatio illa, præsertìm quandò nulla subest causa necessitatis vel utilitatis, adjunctum habet periculum consentiendi.

Dixi, *erit semper aliqua culpa;* quia culpa illa potest esse vel venialis, si delectatio quæ secutura prævidetur non sit valdè gravis, nec adjunctum habeat periculum proximum in illam consentiendi, vel mortalis, si delectatio sit valdè gravis, et turpes indè motus excitentur: est enim per se occasio proxima consentiendi.

Quoad consensum interpretativum, certum est 1.°, ex communi consensu Doctorum, si, ortâ graviter malâ delectatione, voluntas circa illam merè negativè se habeat, nec positivè consentiendo nec dissentiendo, id est, nec illam approbando, nec ullo modo reprimendo vel repellendo, nec animum ad alia avocando, certum est, inquam, peccari mortaliter, si advertatur mor-

tale periculum consentiendi : ratio est evidens, quia hic peccat mortaliter, qui se exponit periculo mortaliter peccandi; et ob hujusmodi periculum consentiunt omnes, si illud sequatur ex operibus quantumvis sanctis, v. g., ex auditis confessionibus, omninò ab his abstinendum esse sub peccato mortali.

Certum est 2.°, saltem in praxi, semper esse peccatum mortale non reprimere hujusmodi delectationem, nec animum ad alia divertere, positâ sufficienti advertentiâ, adhibendo aliquem conatum : ratio est, quia semper adest periculum consentiendi; imò ferè impossibile est moraliter ut voluntas circa objectum vehementer alliciens habeat se merè negativè, illud non approbando, nec improbando, nec animum ad alia avertendo.

Dixi, *adhibendo aliquem conatum,* 1. quia, si adhibeatur aliqua diligentia ad reprimendam illam delectationem, quamvis non omnis omninò afferatur quæ deberet, erit tunc solùm veniale peccatum; 2. non est absolutè necessarium ut motus delectationis totaliter reprimatur ac veluti exstinguatur; frequens enim experientia docuit has delectationes repulsas redire et iterùm excitari, vel etiam perseverare, repugnante voluntate, sicut et ipse Apostolus deplorat, Rom. c. 7, ℣. 23 : *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ;* 3. deniquè multis modis adhiberi potest conatus sufficiens, vel primò quidem positivè, per actus contrarios resistendo, quod tamen aliquandò non expedit, quia indè interdùm augetur tentatio; vel secundò cessando ab occupatione undè oritur delectatio, quod tamen non est absolutè necessarium, si occupatio sit necessaria aut utilis, et aliter possit expelli

tentatio; vel tertiò, quasi fugiendo, id est, avocando mentem ad alia cogitanda, præsertìm ad implorandum Dei auxiliùm, qui modus semper prodest, nunquàm obest : sic facilè potest et debet adhiberi, etiam in his functionibus quæ magnam animi attentionem postulant, v. g., inter audiendas confessiones.

ARTICULUS III.

De Peccatis ex malitiâ, infirmitate, et ignorantiâ.

Statuimus 1.° Quædam sunt peccata ex ignorantiâ, quædam ex infirmitate, et quædam ex malitiâ.

Ratio est, quia omne peccatum committi potest, vel 1.° ex plenâ electione et libertate voluntatis, absque ignorantiâ in intellectu, et sine passione in appetitu sensitivo; et tunc dicitur peccatum ex malitiâ, de quo dicitur Job c. 34, ℣. 27 : *Quasi de industriâ recesserunt ab eo* (à Deo). Vel 2.° committitur peccatum propter ignorantiam, eam tamen vincibilem et culpabilem, de qua Act. c. 3, ℣. 17, dicitur : *Scio quia per ignorantiam fecistis;* et I Tim. c. 1, ℣. 13 : *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci.* Vel 3.° deniquè committitur aliquod peccatum propter passionem aliquam, quæ si abesset, non fieret peccatum : undè Daniel. c. 13, ℣. 56, dicitur : *Concupiscentia subvertit cor tuum;* et hoc dicitur peccatum ex passione seu infirmitate, quia passiones sunt veluti animæ ægritudines.

Peccatum ex infirmitate per quamdam accommodationem dicitur esse contra Deum Patrem, cui appropriatur potentia. Peccatum verò ex ig-

norantiâ dicitur esse contra Filium, cui appropriatur sapientia. Deniquè peccatum ex malitiâ dicitur esse contra Spiritum Sanctum, cui appropriatur bonitas. Hoc posito, superest solùm ut de singulis illis dicamus quod magìs notatu dignum est.

Quoad peccatum ex malitiâ, certum est illud inter hæc tria peccatorum genera esse gravissimum, quia cum plenâ libertate fit; notum enim est libertatem in homine duobus modis minui vel tolli posse, scilicet, vel èx parte intellectûs, et id facit ignorantia; vel ex parte appetitùs sensitivi, et id facit passio : si igitur absit ignorantia vel passio, erit peccatum ex plenâ electione et merâ voluntatis malitiâ, quod nullam excusationem meretur.

Hinc ad peccata ex malitiâ revocantur omnia quæ insignem et manifestam continent nequitiam, ut sunt ea quæ in Cœlum clamare, seu ultionem à Deo veluti postulare dicuntur, scilicet, homicidium voluntarium, sodomia, oppressio pauperum et defraudatio mercedis operariorum. Item ad peccata ex malitiâ revocantur sex peccata quæ specialiter esse dicuntur contra Spiritum Sanctum, eò quòd contemnant et rejiciant id quo Spiritus Sanctus hominem à peccato revocare solet : præsumptio de misericordiâ divinâ et impunitate peccati, desperatio, impugnatio agnitæ veritatis, gratiæ fraternæ invidentia, obstinatio, et impœnitentia. Deniquè ad illud genus peccati revocantur omnia peccata quæ fiunt ex habitu, et consuetudine voluntariè acquisitâ et non retractatâ.

Quoad peccatum ex infirmitate, tunc solummodò tale dicitur, quandò passio, v. g. ira, an-

tecedit voluntatem, ipsamque excitat et movet, ac veluti extorquet ejus consensum; nam, si sit passio consequens, et ab ipsâ voluntate liberè excitata ut promptiùs et ferventiùs peccare possit, non minuet, sed augebit voluntarium, neque peccatum indè consequens erit tantùm peccatum ex passione, sed ex malitiâ.

Notandum autem passionem antecedentem duplici modo trahere posse voluntatem ad peccatum : 1. trahendo, seu divertendo voluntatem à consideratione honestatis vel inhonestatis objecti, efficiendo scilicet ut intellectus simul cum imaginatione sic applicetur ad considerationem vehementem objecti sensibilis, ut levissimè et aliquandò etiam nullatenùs apprehendat honestatem vel inhonestatem hujus objecti; 2. alliciendo, inclinando, trahendo, ac veluti suo pondere rapiendo voluntatem ad sequendam inclinationem appetitùs sensitivi in objectum sensibile et rationi contrarium : uterque autem hic modus exprimitur postremis verbis hujus sententiæ S. Jacobi Epist. c. 1, ℣. 14 : *Unusquisque verò tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus et illectus.*

Consule quæ paulò fusiùs de concupiscentiâ seu passione disseruimus in *Tract. de Actibus humanis*, cap. 1, sect. 1, art. 2, § 3; atque etiam ex dictis ibidem, § 4, resumes quæ spectant ad ignorantiæ definitionem, multiplicem ejus divisionem, et effectus. Undè eò loci satis esse ducimus, ne alibi acta hìc iterùm agamus, si paucis explicemus quæ et quà ratione à peccato excuset ignorantia. Igitur

Statuimus 2.° ignorantiam invincibilem excusare ab omni peccato, non solùm à tanto, sed

etiam à toto, saltem secundùm quod invincibiliter ignoratur in actu.

Prob. 1.° *ex S. August.* lib. de Libero Arbitrio, cap. 19: *Non tibi deputatur ad culpam quòd invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras.*

Prob 2.° *Ratione :* Quia ignorantia invincibilis facit actum involuntarium, cùm nihil sit volitum quin præcognitum. Cùm, v. g., quis cum hujusmodi ignorantiâ interficit hominem, ignorans invincibiliter esse Sacerdotem, hic à sacrilegio excusabitur, quamvis non ab homicidio. Et hæc doctrina intelligi debet de omni ignorantiâ invincibili, non solùm si sit ignorantia facti, sed etiam si sit ignorantia juris, sive positivi, sïve etiam naturalis.

Adverte tamen ignorantiam invincibilem circa præcepta juris naturalis non contingere nisi raro, quoad nempè conclusiones remotiores, propter lumen naturale unicuique homini à Deo inditum ad discernendum bonum et malum.

Statuimus 3.° Ignorantia vincibilis non excusat à peccato, saltem à toto, cùm sit voluntaria ratione negligentiæ; non est tamen speciale et distinctum peccatum ab eo cujus est causa, nisi speciali præceptò rem teneremur scire, v. g., Symbolum Apostolorum, Decalogum, munus proprium, etc. Imò, si ignorantia vincibilis sit affectata et directè volita, non excusat ullatenùs à peccato, neque à toto, cùm non tollat voluntarium, neque etiam à tanto, cùm tunc non minuat, sed augeat voluntarium; si verò sit tantùm indirectè volita, vel provenit ex magnâ et notabili negligentiâ, diciturque negligentia crassa seu supina et lata, et tunc minuet quidem vo-

luntarium et peccatum, sed non tollet ab eo malitiam gravem et mortalem; vel provenit ex parvâ et levi negligentiâ, non adhibendo eam omnem diligentiam quam studiosiores solent afferre, et tunc dicitur ignorantia levis aut levissima, quæ minuet peccatum, tollendo ab eo gravem malitiam.

ARTICULUS IV.

De Peccatis commissionis et omissionis.

Circa peccata commissionis et omissionis tria imprimis quæri possunt : 1.° utrùm dentur ; 2.° quandò committantur ; 3.° quomodò sint in confessione declaranda.

Statuimus 1.° Omnia peccata vel sunt commissionis vel omissionis. Ita omnes.

Prob. Quia, ut ait S. Aug., tota justitiæ ratio est ut declinentur mala, et fiant bona : ideò omnis lex vel est negativa et prohibet malum, vel affirmativa et præcipit bonum; cùm igitur omne peccatum sit transgressio legis seu præcepti, sequitur omne peccatum vel esse commissionem mali contra præceptum negativum, vel omissionem boni contra præceptum affirmativum, per quod bonum faciendum præcipitur : hinc peccatum commissionis definitur transgressio legis seu præcepti directè et per se negativi; peccatum omissionis definitur transgressio legis seu præcepti directè et per se affirmativi.

Porrò hæc est differentia inter commissionem mali et omissionem boni, quòd omissio non sit semper illicita, sed solùm pro eo tempore quo urget præceptum affirmativum, ita ut peccatum omissionis sit propriè carentia actùs ex præcepto

debiti pro tali tempore quo urget præceptum affirmativum; at verò commissio mali semper est illicita, quia præceptum negativum semper et pro omni tempore obligat ad non faciendum malum prohibitum.

Statuimus 2.° Peccata commissionis et omissionis non solùm imputantur ad culpam, quandò exteriùs liberè fiunt et consummantur, quandò habetur eorum volitio, sed etiam quandò voluntariè ponitur eorum causa, undè probabiliter esse secutura prævidentur, etiamsi de facto posteà per accidens non eveniant, neque exteriùs consummentur: constat satis ex iis quæ superiùs dicta sunt.

Observandum circa omissionem quòd, quamvis disputent Theologi an, absolutè loquendo, possit esse aliqua omissio purè libera, sine ullo actu voluntatis, omnes consentiunt tamen omissionem esse, saltem communiter et ordinariè, cum aliquo actu qui sit ejus causa: v. g., nemo liberè omittit audire Missam, nisi vel quia vult expressè omittere Missam per aliquem actum voluntatis, saltem ordinariè loquendo, vel quia vult exercere aliquam actionem incompossibilem, v. g., ludere, studere. Jam verò hic actus, sive internus, sive externus, licèt per se esset bonus et indifferens, accipit tamen aut participat malitiam omissionis cujus est causa, et ideò est verum peccatum omissionis formaliter et moraliter, quamvis materialiter et physicè non sit omissio, sed potiùs commissio, sicut consilium vel jussio homicidii habet malitiam homicidii, quamvis materialiter et physicè non sit homicidium.

Statuimus 3.° Non est ordinariè necesse in confessione præter omissionem accusare actum

qui fuit ejus causa ; ratio est, quia hic actus est unum specie et numero peccatum cum ipsâ omissione : undè confitendo omissionem, peccatum sufficienter declaratur.

Dixi, *ordinariè,* quia declarandus erit talis actus, si specialem et propriam habeat malitiam, vel ex objecto, ut si quis omittat Sacrum ex intentione furandi aut se inebriandi, vel ratione finis ultimi qui in eo constituitur, ut si quis omittat Sacrum ex inordinato amore studii supra Deum.

ARTICULUS V.

De Peccatis carnalibus et spiritualibus.

Hujus articuli unica est et levissima difficultas; utrùm, scilicet, rectè dividantur peccata in spiritualia et carnalia.

Statuimus peccata rectè dividi posse in carnalia et spiritualia.

Prob. 1.° ex II Cor. c. 7, ℣. 1 : *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritûs.*

Prob. 2.° Quia omnia peccata vel in carne consummantur, et habent pro objecto carnalem aliquam delectationem, ut peccata gulæ et luxuriæ; vel non in carne, sed in animâ, neque habent pro objecto carnalem delectationem, sed solùm spiritualem, ut peccata superbiæ et invidiæ. Si primum, dicuntur peccata carnalia ; si secundum, vocantur peccata spiritualia : hinc S. Gregorius dixit ex septem capitalibus vitiis esse carnalia duo, quinque verò spiritualia.

Neque obstat quòd Apostolus ad Galat. c. 5, inter opera carnis recenseat odium, invidiam, et alia peccata quæ non consummantur in carne.

Namque Apostolus per opera carnis ibi intelli-

git opera hominis carnalis, qui appetitu suo ducitur, et secundùm illum vivit; quo sensu etiam peccata spiritualia sunt opera carnis, id est, hominis carnalis; caro enim ibi sumitur pro toto homine: at verò, quandò à Theologis peccata dividuntur in carnalia et spiritualia, tunc caro non sumitur pro toto homine, ut sumit Apostolus loco citato, sed solùm pro ejus parte, scilicet corpore.

Cæterùm peccata carnalia, quantùm ad infamiam et adhæsionem ad creaturam, sunt aliis majora; graviora autem sunt spiritualia, quantùm ad aversionem à Deo.

ARTICULUS VI.

De Peccatis contra Deum, contra proximum et contra seipsum.

Statuimus omnia peccata esse specialiter vel contra Deum, vel contra proximum, vel contra ipsum peccantem.

Ratio est, quia nullum est peccatum quod non sit vel contra virtutes quæ nos specialiter ordinant ad Deum, ut sunt fides, spes, charitas, religio; vel contra virtutes quæ nos specialiter perficiunt in ordine ad proximum, ut charitas et justitia; vel deniquè contra virtutes quæ nos specialiter perficiunt in ordine ad nos, quales sunt temperantia et fortitudo. Igitur omne peccatum vel est specialiter contra Deum, vel contra proximum, vel contra ipsum peccantem.

ARTICULUS VII.

De Peccatis capitalibus.

Statuimus septem esse peccata quæ meritò di-

cuntur capitalia, seu capita aliorum ferè omnium peccatorum, ac velut eorum radices et fontes undè oriri solent, quæ sunt superbia, avaritia, luxuria, gula, invidia, ira et acedia.

Ratio autem cur hæc septem peccata sint aliorum peccatorum origines est quia hæc septem peccata versantur circa bonum valdè appetibile, vel circa malum valdè molestum, saltem in imaginatione; ideòque hujus boni consequendi vel mali pellendi causâ solent homines multa mala facere, et peccata multa committere.

Et quidem quatuor priora versantur circa res quas homines multùm appetere solent ex corruptione naturæ; nam superbia versatur circa propriam excellentiam, gloriam, famam et honorem; avaritia versatur circa divitias; luxuria, circa voluptates tactûs; gula verò, circa voluptates gustûs. Tria autem postrema peccata capitalia versantur circa res apprehensas ut multùm molestas: scilicet invidia, circa bonum proximi, ut proprii boni imminutivum; ira, circa injurias acceptas; deniquè acedia versatur circa res divinas et bonas, sed apprehensas ut fastidiosas vel laboriosas.

Cæterùm hæc vitia capitalia, quamvis multùm sint periculosa, et ad peccatum mortale sæpè perducant, aliquandò tamen venialia fieri possunt, vel ratione levitatis materiæ, vel ratione imperfectionis actûs.

Ex dictis in hoc tractatu colligere est, quoties quis in tribunali pœnitentiæ de aliquo actu se accusat, Confessarium perpendere debere: 1.° an actus ille sit peccatum; 2.° an veniale, an mortale; 3.° cujus sit speciei; 4.° an sit unum numero peccatum, an multiplex; 5.° an circums-

tantiam aliquam habeat quæ speciem mutet, aut notabiliter aggravet, aut malitiam addat solo numero diversam; 6.° an peccatum illud reddat peccatorem restitutioni obnoxium; 7.° deniquè, an sit reservatum, an censuram et irregularitatem habeat annexam.

Hæc de peccatis dixisse sufficiat, quantùm pro praxi Pœnitentiæ requiri visum fuit.

TRACTATUS
DE PRÆCEPTIS DIVINÆ LEGIS
JUXTA ORDINEM
DECALOGI.

Decalogum omnium legum summam epitomen S. Augustinus asserit, consentiunt omnes Theologi, et Deus ipse satis demonstravit, cùm ex tam multis, quæ Moysi fuerat locutus, solum Decalogum in duabus tabulis (quas vocavit Tabulas testimonii) descripsit, et in Arcâ asservari jussit. In ejus ergo meditatione diù noctuque versari debent Sacerdotes, tum ut vitam suam ad hanc normam componant, tum ut populos in lege divinâ erudiant : *Labia enim Sacerdotis*, inquit Propheta, *custodient scientiam; et legem requirent de ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est;* Malac. c. 2, ℣. 7.

Antequàm autem de Præceptis legis divinæ in particulari agamus, de ipsâ divinâ lege pauca generatim præmittenda sunt, vel etiam ex antè dictis repetenda.

CAPUT PROŒMIALE.
De divinâ Lege in communi.

Circa legem divinam tria hic examinabimus: 1.º quid sit lex divina; 2.º quæ et quanta sit obligatio illius servandæ; 3.º agemus de ejus divisione.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Lex divina.

Suppono 1.°, ex antè dictis de legibus, legem esse regulam actionum humanarum, cui si sint conformes, bonæ dicuntur, si difformes, malæ: hinc S. Thomas, 1.â 2.æ, quæst. 90, art. 1: *Dicendum*, inquit, *quòd lex quædam regula est et mensura actuum, secundùm quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur.* Lex definitur *præceptum commune, justum, stabile, subditos obligans post sufficientem promulgationem.*

Suppono 2.° legem aliam esse *æternam*, aliam *naturalem*; aliam *divinam*, aliam *humanam*: de humanâ hic non agitur.

Lex *æterna* est suprema Dei ratio seu actus immanens intellectûs divini, quo judicat quid creatura rationalis agere vel fugere debeat ad assequendum suum finem ultimum, cum voluntate eam obligandi. Duo ergo dicit lex æterna, scilicet judicium intellectûs divini, et actum seu imperium ejus voluntatis.

Lex *naturalis* est lumen rationis omnibus hominibus à Deo impressum et naturaliter inditum, quo discernunt quid sibi faciendum sit, quidve fugiendum: divina dicitur, tum quia est participatio quædam et veluti promulgatio legis æternæ, juxta illud Psalmi 4, ℣. 7: *Signatum est super nos lumen vultûs tui;* tum quia ab ipso Deo cordibus nostris imprimitur; tum etiam quia per eam cognoscimus quæ Deo ut gubernatori placent aut displicent.

Lex *divina positiva* est lex naturali superad-

dita, et verbo vel scripto in tempore lata, atque hominibus revelata. Duplex autem distinguitur, *vetus* scilicet et *nova*. Lex *vetus* est illa quam Deus Moysi dedit, et per eum promulgavit pro solo Israelitico populo, duravitque à Moyse usque ad Christum : undè et tempus illud dicitur tempus legis veteris, seu mosaicæ. Ante Moysen homines dirigebantur lege naturali et traditionibus datis Adamo cæterisque Patriarchis; quapropter tempus quod fluxit à creatione mundi usque ad Moysen, dicitur tempus legis naturalis.

Lex *vetus* triplici præceptorum genere constabat; alia quippe erant moralia, quæ mores dirigebant; alia cæremonialia, quibus præscribebantur ritus ac cæremoniæ ad cultum Dei pertinentes; alia deniquè erant judicialia, quibus definiebatur modus justitiæ inter homines conservandæ.

Lex *nova* seu evangelica à Christo, vero Deo et homine, tradita est, non pro uno solùm populo, sed pro omnibus omninò hominibus ubiquè gentium degentibus: vocatur lex gratiæ, et usque ad consummationem seculi duratura est.

Præcepta legis evangelicæ triplicis sunt generis nempè præcepta fidei, morum, et sacramentorum, quibus annectitur sacrificium novæ legis.

Suppono 3.° Decalogum esse collectionem decem præceptorum quæ ab ipso Deo Moysi fuerant tradita, quia simpliciter, et absolutè loquendo, decem tantùm præcepta continentur in Decalogo; Decalogus enim græcè idem est ac *decem verba* seu præcepta.

Porrò decem illa Decalogi præcepta sunt capita legis naturalis, seu primariæ conclusiones ex universalissimis illius principiis deductæ, ut infrà dicetur, et patet ex explicatione singulorum. Cùm

enim lex naturalis in animis hominum penè obliterata esset per peccatum et peccati consuetudinem, decem illa præcipua legis naturalis præcepta in duabus tabulis lapideis scribere Deus voluit, quas per Moysen populo suo tradidit, et in Arcâ fœderis asservari jussit. *Ne sibi homines*, ut ait S. Augustinus in Psalmum 57, *aliquid defuisse quererentur, scriptum est et in tabulis quod in cordibus non legebant. Non enim scriptum non habebant, sed legere nolebant. Oppositum est oculis eorum, quod in conscientiâ videre cogerentur.*

ARTICULUS II.

Quæ et quanta sit obligatio servandæ Legis divinæ.

PROPOSITIO PRIMA.

Adulti omnes rationis compotes tenentur servare præcepta legis naturalis.

Propositio est per se evidens et ab omnibus admittitur.

Prob. 1.° *ex Apost.* Rom. c. 1, ℣. 20 et 21, ubi dicit de Philosophis gentilibus quòd... *sint inexcusabiles, quia, cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Et c. 2, ℣. 14 : *Cùm gentes, quæ legem non habent* (supplè positivam), *naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.*

Prob. 2.° *ex SS. PP.* inter quos Lactantius sic ait, lib. 6 de vero Cultu, cap. 8 : *Huic legi nec abrogari fas est, neque derogari ex hâc aliquid licet, neque tota abrogari potest. Ne verò aut per Senatum, aut per populum solvi hâc lege possumus.*

S. Hieronymus Algasiæ, quæst. 8 : *Ista lex quæ in corde scribitur, omnes continet nationes, et nullus hominum est qui hanc legem nesciat. Undè omnis mundus sub peccato, et universi homines prævaricatores legis sunt... Hanc legem nescit pueritia, ignorat infantia, et peccans absque mandato non tenetur lege peccati.... Cùm autem mandatum venerit, hoc est, tempus intelligentiæ appetentis bona et vitantis mala, tunc incipit peccatum reviviscere.* Idem ait, post S. Augustinum, S. Bernardus, lib. de Præcepto et Dispensatione, cap. 3 : *Jam verò,* inquit, *necessarium, incommutabile quid accipi velim? Equidem nil congruentius quàm quod divinâ ita constat et æternâ ratione firmatum, ut nullâ ex causâ possit vel ab ipso Deo aliquatenùs immutari.*

Prob. 3.º *Ratione* : Quia illud tenentur homines facere aut fugere quod Deus judicat et decernit omnibus faciendum esse vel fugiendum : atqui Deus judicat et decernit omnibus faciendum esse quidquid præcipit lex naturalis; minor patet ex eo quòd lex naturalis, ut diximus, sit promulgatio legis æternæ : undè quidquid fit contra legem naturalem, fit etiam contra legem æternam; quocircà S. Augustinus definivit peccatum, dictum, factum, concupitum contra legem naturalem promulgantem legem æternam.

Dixi, *adulti rationis compotes ;* lex enim naturalis non obligat ante usum rationis, quia non est sufficienter promulgata, ut ex S. Hieronymo suprà citato patet.

Porrò præcepta legis naturalis alia sunt primaria, universalissima, ac per se nota, v. g., bonum est amandum, peccatum fugiendum,

parentes honorandi, etc.; et illa eadem sunt apud omnes gentes, neque datur eorum ignorantia invincibilis: alia verò præcepta ex illis deducuntur, et circa illa dari potest ignorantia invincibilis, ut probatur alibi; quapropter non obligant, nisi cùm sunt sufficienter cognita.

PROPOSITIO II.

Præcepta judicialia et cæremonialia legis mosaicæ jam non obligant.

Propositio certissima est.

Prob. ex verbis Christi, Luc. c. 16, ℣. 16: *Lex et Prophetæ usque ad Joannem.* Et Galat. c. 3, ℣. 24, 25, sic loquitur Apostolus: *Lex pædagogus noster fuit in Christo... at, ubi venit Fides, jam non sumus sub pædagogo.* Item ejusdem Epist. c. 5, ℣. 2: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Et ℣. 4: *Evacuati estis à Christo qui in lege justificamini.* Ratio est quia præcepta illa per passionem suam et mortem abrogavit. Et verò cæremonialia præcepta ideò data fuerant à Deo, ut Christum venturum et religionem ab ipso restituendam per figuras significarent, juxta illud Apostoli, Hebr. c. 10, ℣. 1: *Umbram enim habens lex futurorum bonorum.* Item judicialia lata fuerant ad rectè ordinandum et gubernandum Israeliticum populum; ergo conveniens fuit præcepta illa aboleri, postquàm advenit Christus, et deletus est aut dissipatus Israeliticus populus. Vide etiam Apostolum, Rom. c. 10, ℣. 12.

Dices: Præceperunt Apostoli in Concilio Jerosolymitano ut fideles abstinerent à suffocato et sanguine; ergo præcepta cæremonialia in novâ lege sunt servanda.

Resp.

Resp. Apostolos id præcepisse œconomiæ causâ, ut faciliùs scilicet Judæi ad Religionem Christianam adducerentur, sive, ut ait S. Thomas 1.ª 2.æ, quæst. 103, art. 4, ad 3.um, *non ad observandum cæremonias legis, sed ad hoc quòd posset coalescere unio Gentilium et Judæorum insimul habitantium; Judæis enim propter antiquam consuetudinem sanguis et suffocatum erant abominabilia: comestio etiam immolatorum simulacris poterat in Judæis aggenerare circa Gentiles suspicionem reditûs ad idololatriam, et ideò ista fuerunt prohibita pro tempore illo, in quo de novo oportebat convenire in unum Gentiles et Judæos: procedente autem tempore, cessante causâ, cessavit et effectus.* Fornicatio autem in eodem Concilio specialiter prohibetur, quia Gentiles non reputabant eam esse peccatum.

PROPOSITIO III.

Christiani omnes tenentur sub peccato ex genere suo mortali observare omnia præcepta moralia legis veteris, maximè verò præcepta Decalogi.

Prob. Tum quia præcepta moralia legis veteris sunt ut plurimùm ipsamet præcepta legis naturalis; tum quia ab ipso Christo innovata sunt, confirmata, et à falsis Judæorum interpretationibus vindicata, ut passim in Evangelio videre est: hinc quærenti cuidam quid sibi faciendum esset ut haberet vitam æternam, respondit Christus, Matth. c. 19, ℣. 17: *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Deindè recenset præcepta quædam in lege veteri lata.

Prob. etiam *ex Conc. Trid.* Sess. 6, can. 19:

Si quis dixerit... decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit. Et can. 20 : *Si quis hominem justificatum... dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ, etc... anathema sit.*

Dixi 1.°, *præcepta moralia*, ut exciperem circumstantiam diei Sabbati, quæ in III præcepto continetur, et pertinet ad præcepta cæremonialia legis veteris, ut dicemus infrà.

Dixi 2.°, *omnia præcepta moralia;* qui enim vel unum violat in re gravi, quamvis cætera observet, hoc ipso peccat mortaliter, gratiam sanctificantem amittit, fitque reus æternæ damnationis, juxta illud Jacobi, c. 2, ℣. 10 : *Quicunque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

Dixi 3.°, *maximè præcepta Decalogi*, quia inter præcepta legis veteris illa præcipuum locum obtinent.

PROPOSITIO IV.

Christiani omnes tenentur totam legem evangelicam servare.

Propositio est de fide.

Prob. 1.° *ex verbis Christi*, Matth. c. 28, ℣. 19, 20 : *Euntes ergo docete omnes gentes, ... docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.* Item Joan. c. 14, ℣. 15; similiter, I Joan. c. 2, ℣. 4 : *Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est.* Item, I Joan. c. 3.

Prob. 2.° Quia Christus à Patre suo constitutus est tanquam supremus Legislator, cui omnes obedire debent juxta illud Patris æterni, Matth. c. 17, ℣. 5 : *Ipsum audite.*

Quæres per quam viam certò cognosci possint præcepta legis divinæ.

Resp. Per verbum divinum, sive scriptum, sive non scriptum sed traditum, ab Ecclesiâ propositum et expositum.

Cæterùm, quamvis omnia legis divinæ præcepta non contineantur formaliter in Decalogo, nam præcepta non blasphemandi, vota solvendi, quæ certè gravissima sunt, in illo non continentur formaliter et expressè, omnia tamen aut ferè omnia in aliquo sensu possunt ad Decalogum reduci, vel tanquam præsupposita et præambula, vel tanquam conclusiones ex eo facilè deductæ, vel certè tanquam affinia et cognata præceptis Decalogi : sic, v. g., præceptum dilectionis Dei et proximi, et principia illa universalissima legis naturalis, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, sunt veluti fundamenta Decalogi ; præcepta non consulendi Pythones et Magos, non blasphemandi, non exigendi usuram, reducuntur ad præcepta non colendi Deos alienos, non assumendi nomen Dei in vanum, non furtum faciendi, reducuntur, inquam, tanquam conclusiones ex illis præceptis educendæ, saltem à sapientibus et doctis : verùm illa omnia præcepta moralia superaddita Decalogo, et in eo non contenta formaliter et expressè, fuerunt tamen à Deo revelata tum in veteri tum in novo Testamento, et scriptis consignata, vel saltem Traditione ad nos usque pervenerunt ; quocircà eadem est obligatio illa observandi ac cætera.

ARTICULUS III.

De Divisione et Ordine Præceptorum Decalogi.

Omissis aliis divisionibus Decalogi, duæ cele-

briores, quæ ad finem nostrum conducunt, sunt afferendæ.

1.° Itaque Præcepta Decalogi alia sunt *affirmativa*, alia *negativa*. *Affirmativa* bonum faciendum primariò præcipiunt et sine negatione exprimuntur, qualia sunt præcepta sanctificandi Sabbatum, parentes honorandi. *Negativa* primariò malum prohibent ac negativè exprimuntur, v. g., non occides, non furtum facies.

In duobus autem differunt præcepta affirmativa à negativis. 1. Enim affirmativa semper obligant, sed non pro omni tempore; non enim tenemur singulis momentis parentes honorare, seu honoris testimonia eis exhibere. Negativa verò obligant semper et pro omni tempore; nullo enim temporis momento licet furari, mentiri, etc. 2. Affirmativa præcepta violantur peccato omissionis, negativa autem peccato commissionis.

Porrò observandum est præceptum negativum includere præceptum affirmativum; et contrà, præceptum affirmativum includere præceptum negativum. Si enim colendi non sunt multi Dii, quod est præceptum negativum, sequitur unum Deum esse colendum, quod est præceptum affirmativum. Similiter præceptum parentes honorandi, quod est affirmativum, continet præceptum illos non contemnendi: quia tamen forma negativa utilior ac validior est ad coercendos impios, ideò in plurimis Decalogi præceptis est adhibita.

2.° Dividuntur præcepta Decalogi in præcepta *primæ tabulæ*, et præcepta *secundæ tabulæ*. Præcepta primæ tabulæ, seu quæ scripta erant in primâ ex duabus tabulis quas Deus Moysi tradiderat, sunt, secundùm S. Augustinum, tria

præcepta ad Deum pertinentia : 1. quidem de Deo colendo; 2. de nomine Dei in vanum non assumendo; 3.° de Sabbato sanctificando. Præcepta secundæ tabulæ, secundùm eumdem Doctorem, sunt reliqua septem quæ proximum spectant.

Huic postremæ divisioni inhærentes, bipartitum faciemus tractatum de Decalogo. In priori parte, de præceptis primæ tabulæ; in posteriori, de præceptis secundæ disseremus.

PARS PRIMA.

DE PRÆCEPTIS PRIMÆ TABULÆ.

De tribus primæ tabulæ præceptis totidem capitibus agemus in hâc parte.

CAPUT PRIMUM.

De primo Decalogi Præcepto.

Primum Decalogi præceptum his verbis Exodi c. 20, ℣. 2, 3, 4 et 5 refertur : *Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem. Non adorabis ea, neque coles.* Quod et à Christo sic exponitur, Matth. c. 4, ℣. 10; *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Undè patet præceptum illud affirmativum esse simul et negativum; affirmativum quidem, quatenùs præcipit ut Deo legitimus exhibeatur cultus; negativum autem, quatenùs prohibet quidquid huic legitimo cultui opponitur. Quia verò *colitur Deus,* inquit S. Augusti-

nus, Enchiridii cap. 2, *Fide, Spe, et Charitate*, atque etiam *Religione*; ideò ad plenam primi hujus præcepti notitiam de iis quatuor virtutibus, et de vitiis oppositis disserendum est.

SECTIO PRIMA.

De Præceptis Fidei.

Hic quædam breviter repetenda ex iis quæ de fide diximus.

Suppono 1.° virtutem theologicam esse virtutem supernaturalem quæ Deum habet pro objecto immediato, saltem primario. 1. Quidem dicitur, *virtus supernaturalis*, id est, quæ superat naturæ vires, et à Deo infundi debet. 2. Dicitur, *pro objecto immediato*, ut fides distinguatur à virtute religionis quæ mediatè tantùm Deum respicit, immediatè verò respicit cultum quem Deo exhibet. 3. Dicitur, *saltem primario*, quia virtus theologica respicit quidem alia objecta præter Deum, sed Deus est illius principale ac primarium objectum.

Suppono 2.° Fidem esse virtutem theologicam vi cujus firmiter assentimur omnibus quæ Deus revelavit, et per Ecclesiam credenda proposuit, propter summam ejus veracitatem.

Actus autem fidei est ipsemet assensus intellectûs quo actualiter credimus res à Deo revelatas et ab Ecclesiâ propositas, propter summam ipsius Dei veracitatem : qui assensus, si signo aliquo manifestetur, dicitur externus, vel fidei confessio; si verò exteriùs non prodeat, dicitur assensus internus, seu actus internus fidei.

Actus fidei seu fides actualis alia est *explicita*, alia *implicita* : fides *explicita* est actus quo res revelata in seipsâ et in particulari apprehensa cre-

ditur, v. g., Trinitas Personarum divinarum, Christi divinitas et humanitas. Fides *implicita* est actus quo mysterium aliquod in se quidem expressè non creditur, sed in alio in quo continetur. Sic, qui credit quidquid credit Ecclesia, hic dicitur implicitè credere omnia fidei mysteria; item, qui credit Christum esse redemptorem hominum, ille implicitè credit Incarnationem et Christi Mortem.

Fides explicita potest esse vel distincta et perfecta, qualis est in Theologis; vel solùm confusa et minùs perfecta, qualis est in rudioribus qui mysteriorum, v. g., Trinitatis, Incarnationis, etc., ignorant modum et circumstantias.

Suppono 3.° actum fidei explicitè de aliquo mysterio posse esse necessarium *necessitate medii*, vel *necessitate præcepti*. Illud dicitur necessarium necessitate *medii*, sine quo etiam inculpabiliter omisso salus obtineri non potest, v. g., respectu adulti, actus fidei de existentiâ Dei. Illud dicitur necessarium necessitate *præcepti*, quod tenemur quidem facere, sine quo tamen inculpabiliter omisso potest salus obtineri; talis est actus fidei de processione Spiritûs Sancti à Patre et Filio, ut infrà dicetur.

His præsuppositis, tria distinguuntur præcepta fidei : 1.um est sciendi fidei mysteria; 2.um ea explicitè credendi; 3.um fidem exteriùs profitendi : de quibus agemus tribus articulis, quartum subjungentes de peccatis fidei oppositis.

ARTICULUS PRIMUS.

De præcepto sciendi res Fidei.

PROPOSITIO PRIMA.

Fideles absolutè tenentur scire mysteria fidei, quæ explicitè *credere necessarium est necessitate* medii.

Propositio certa est et evidens. Nam illa mysteria credi non possunt explicitè, nisi priùs addiscantur et sciantur; cùm ergo fideles teneantur ea credere explicitè, ut salutem consequi possint, sequitur etiam eos teneri illa addiscere et scire. Quænam autem sint illa mysteria quorum fides explicita necessaria est necessitate medii, sequenti articulo explicabimus.

PROPOSITIO II.

Certum est fidelibus gravem incumbere obligationem addiscendi et sciendi explicitè, *saltem quoad substantiam, ea fidei nostræ mysteria quæ in duodecim articulis Symboli Apostolorum continentur.*

Prob. 1.° *ex præcepto Christi,* Matth. c. 28, ℣. 19: *Docete omnes gentes;* et Marc. c. 16, ℣. 15, 16: *Prædicate Evangelium omni creaturæ..... Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Hæc enim verba supponunt evidenter in populis obligationem addiscendi Evangelium, ac proindè sciendi præcipua saltem fidei nostræ mysteria. Et verò quid magis rationi congruit quàm ut is, qui christianam fidem profitetur, præcipuos illius articulos cognoscat et credat? Præcipui autem fidei articuli in Symbolo continentur; ergo

necesse est ut Christianus explicitè sciat Symbolum, saltem quoad substantiam eorum quæ in illo continentur.

Prob. 2.° *ex multis Conciliorum Decretis*, quibus Ecclesia sancivit, tum ut baptizandi Symbolum discerent priusquàm ad Baptismum admitterentur, ut patet ex cap. *Symbolum*, cap. *Baptizandos*, cap. *Non licet*, de Consecr. dist. 4; tum ut illud baptizati memoriâ retinerent; sic enim statuit Concilium Forojuliense, anno 791 : *Symbolum verò et Orationem dominicam omnis Christianus memoriter sciat, omnis ætas, omnis sexus, omnisque conditio, quia sine hâc benedictione nullus poterit in cœlorum regno percipere portionem.* Et Concilium Aurelianense, anno 797, can 22 : *Nisi quis has duas sententias* (scilicet Orationem dominicam et Symbolum) *et memoriter tenuerit, et ex toto corde crediderit, et in oratione sæpissimè frequentaverit, Catholicus esse non poterit.*

Hanc Ecclesiæ determinationem testantur SS. Patres, cùm aiunt Apostolos composuisse Symbolum, ut fideles haberent certam fidei suæ regulam, quam scire et credere deberent. Testatur S. Thomas, 2.ª 2.æ, quæst. 2, art. 5. Testatur etiam perpetuus Ecclesiæ usus et traditio, sive instruendo Catechumenos ante Baptismum, seu obligando patrinos ad erudiendos infantes quos susceperint, sive denegando sacramenta fidelibus qui Symbolum nesciunt, donec didicerint. Testatur etiam Catechismus Romanus, in quo hæc leguntur : *Quæ primò homines scire debent, illa sunt quæ sancti Apostoli divino Spiritu afflati duodecim Symboli articulis distinxerunt.*

Dixi 1.°, *gravis incumbit obligatio*, quia præ-

ceptum est de re gravissimâ et valdè necessariâ ad salutem; ideòque horum mysteriorum ignorantia est peccatum ex suo genere grave. Potest tamen aliquorum ignorantia excusari ab omni peccato, si nempè illa sit invincibilis, v. g., si, adhibitâ morali diligentiâ, non potuerunt addiscere, vel quia carebant Doctore sufficienter perito, vel propter ingenii tarditatem. Item ignorantia Symboli potest esse solummodò venialis, vel ex levi negligentiâ, vel ex defectu plenæ advertentiæ, vel ex levitate materiæ, putà quia ignoratur solummodò ordo articulorum Symboli, et nescitur aliqua tantùm veritas minoris momenti, v. g., descensus Christi ad inferos.

Dixi 2.°, *addiscendi, sciendi, seu percipiendi;* tenentur enim fideles tandiù et tantam adhibere diligentiam, quandiù et quantam necesse est adhibere ut articulos Symboli intelligant; imò tenentur, quantùm possunt, articulos illos memoriâ tenere, ut parati sint ad fidem suam exercendam vel profitendam, quoties necesse fuerit; si tamen, adhibitâ diligentiâ sufficienti, verba Symboli vel Decalogi retinere non possint ob naturalem defectum, possunt à culpâ excusari.

Porrò præceptum hoc affirmativum addiscendi mysteria fidei, cùm nullum habeat definitum tempus, obligat fideles, cùm primùm moraliter possunt, ad eam diligentiam adhibendam quæ necessaria est ut de his edoceri valeant.

Dixi 3.°, *explicitè saltem quoad substantiam*, id est, ea quæ simpliciter et apertè significantur vocibus Symboli. Sic, v. g., substantia mysterii SS. Trinitatis est quòd unus sit Deus et tres Personæ, scilicet Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, qui tamen non sunt tres Dii, sed unus Deus; satis

enim est si vulgus sic generatìm sciat mysterium SS. Trinitatis; neque requiritur ut directè noverit quid sit natura, quid persona. Fideles etiam non tenentur scire ordinem, modum, et circumstantias Mysteriorum, v. g., quòd Christus Dominus crucifixus sit tali ætate, vel sub Pontio Pilato: Pastoribus autem, qui mysteria fidei populis explicare tenentur ex officio, necessaria est major eorumdem cognitio, ut suo munere dignè fungi queant.

PROPOSITIO III.

Fidelibus etiam gravis incumbit obligatio explicitè, saltem quoad substantiam, *addiscendi et sciendi ea sine quibus vitam rectè et christianè instituere non possunt.*

Propositio est evidens. Cùm enim fideles teneantur christianè vivere ad salutem consequendam, sequitur quoque illos teneri media addiscere ad vitam christianè instituendam necessaria; hæc autem sunt triplicis generis, scilicet Præcepta, Sacramenta, et Veritates quædam fundamentales.

1.° Itaque scire debent fideles decem præcepta Decalogi, ita ut intelligant ea quæ ab eo præcipiuntur aut prohibentur, v. g., homicidium, furtum, etc., esse peccatum mortale; quamvis necesse non sit eos nosse plures casus particulares qui ex Decalogo deducuntur; in iis enim sufficit ut, si aliquandò dubitent, consulant peritos. Idem, quod de Decalogo, dicendum est de omnibus Ecclesiæ præceptis, quæ ab omnibus etiam sciri debent.

2.° Circa tria saltem sacramenta, Baptismi scilicet, Pœnitentiæ, et Eucharistiæ, ut omnibus

necessaria ad salutem, scire debent fideles quæ pertinent ad dignam eorum susceptionem. Specialiter verò, quoad Eucharistiam, tenentur omnes scire Christum Dominum ibi esse realiter præsentem, non solùm ut recipiant, sed etiam ut adorent; imò probabilius videtur debere eos nosse in Missâ Christum offerri Deo in sacrificium, ut nempè debito modo impleant præceptum audiendi Missam. Cæterorum verò sacramentorum cognitio non est absolutè necessaria fidelibus, nisi quandò aliquod eorum volunt aut debent suscipere, v. g., Confirmationem aut Matrimonium; tunc enim tenentur ea addiscere quæ pertinent ad dignam sacramentorum illorum susceptionem.

3.° Quasdam alias veritates scire debent fideles, quæ sunt fundamentum vitæ rectè instituendæ, v. g., animam esse immortalem ac liberam; omnes homines nasci inquinatos originali peccato, ac proindè egere remedio Baptismi et gratiâ Christi; item, parata bonis æternæ vitæ præmia, malis æterna inferni supplicia; deniquè, bona omnia quibus indigemus, maximè verò bona animæ, esse à Deo per orationem petenda; quod idem est ac scire Orationem dominicam quoad substantiam, quamvis alicujus etiam culpæ reus sit qui distinctè et memoriter non tenet singulas ejus petitiones, ac Salutationem angelicam, propter receptissimam Ecclesiæ consuetudinem.

Colliges 1.° ex dictis in hoc articulo Pastores, et alios quibus animarum cura commissa est, teneri sub peccato mortali subditos suos in addiscendis his omnibus prædictis erudire et juvare quæ scire explicitè tenentur, ut patet ex Concilio Tridentino.

Colliges 2.° ordinariè absolvi non posse eos qui hæc ignorant, donec ea didicerint, saltem si jam moniti ea addiscere neglexerunt. Ita S. Carolus, Act. Mediolan. parte 4. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc propositio, quæ est 64 in Bullâ : *Absolutionis capax est homo, quantumvìs laboret ignorantiâ mysteriorum Dei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.* Si verò eâ de re nunquàm anteà monitus fuerit pœnitens, poterit Confessarius tunc ei gratiam absolutionis impertiri, eâ tamen præmissâ semper instructione quam pœnitenti sufficere censuerit, ut tanto beneficio non sit indignus : ita S. Carolus, ibid. In casu ergo instantis necessitatis, proponenda sunt pœnitenti hujusmodi rudi et ignaro ea quæ ex necessitate medii credenda sunt, ut actum fidei de iis eliciat antequàm absolvatur. Sed de his iterùm ubi de Pœnitentiâ.

ARTICULUS II.

De præcepto credendi Mysteria Fidei.

Aliud est scire mysteria fidei, aliud ea credere : primum dicit simplicem eorum apprehensionem et intelligentiam ; secundum verò hanc intelligentiam supponit, et prætereà importat firmissimum assensum hæc ita se habere prout cognita sunt, qui assensus nitatur Dei revelatione ab Ecclesiâ propositâ.

Præceptum credendi mysteria fidei virtualiter est duplex, affirmativum scilicet, quatenùs præcipit credere ; negativum verò, quatenùs prohibet dissentire fidei vel de illâ dubitare.

PROPOSITIO PRIMA.

Certum est actum aliquem fidei necessarium esse, non solùm necessitate præcepti, *sed etiam* necessitate medii, *omni adulto, præsertìm* in peccato mortali vel originali existenti; *ita ut nullo modo* justificari et salvari *possit sine aliquo actu fidei* supernaturalis, *quantumvìs inculpabiliter, v. g., ob ignorantiam invincibilem, prætermittat illum elicere.*

Prob. 1.° *ex verbis Apostoli* Hebr. c. 11, ℣. 6: *Sine fide autem impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Quæ verba apertè indicant necessitatem fidei actualis in adultis, quà credatur non solùm quòd Deus sit, sed etiam quòd inquirentes eum remuneret.

Nec dicas verba illa posse intelligi de fide aliquà naturali ex testimonio creaturarum; hæc enim responsio reprobata est ab Innoc. XI, cùm damnavit propositionem quæ est 23 in Bullà: *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit.*

Prob. 2.° *ex Conc. Trident.* Sess. 6, cap. 6: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dùm excitati divinâ gratiâ et adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitùs revelata et promissa sunt.* Item, cap. 8: *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis.*

Prob. 3.° *Ratione:* Quia non potest adultus in peccato mortali justificari sine contritione ex

motivo supernaturali fidei ; ergo non potest justificari sine aliquo actu fidei supernaturalis , saltem implicito. Similiter, adultus in peccato originali existens justifieari non potest sine aliquâ dispositione supernaturali ; hæc autem supponit fidem , saltem inchoatam , quæ est prima omnium supernaturalium virtutum.

Dixi , *adultus præsertìm in peccato mortali vel originali existens ;* facilè enim consentiunt omnes actum fidei non esse necessarium necessitate medii infantibus , cùm illius sint incapaces.

Obj. Quod adultis impossibile est , ipsis necessarium necessitate præcepti esse non potest : atqui pluribus adultis impossibile est habere fidem ; credere enim non possunt nisi audiant ; porrò plures sunt quibus impossibile est audire , cùm penes eos non sit habere qui sibi fidem annuntient.

Resp. Dist. maj. Quod impossibile est , tum immediatè , tum etiam mediatè , adultis , non est necessarium necessitate præcepti , *conc. ;* quod impossibile est immediatè solùm , *nego.* Similiter *dist. min.* Ipsi infideles mediatam habent potestatem perveniendi ad fidem , quatenùs ope gratiæ , quæ iis non deest , possunt naturæ legem servare , et servando ea consequi quæ ad fidem proximè necessaria sunt ; ita S. Thomas , quæst. 14 , de Verit. , art. 11 : *Si quis* , inquit , *in silvis nutritus , ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fugâ mali , certissimè est tenendum quòd ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria , vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret , sicut misit Petrum ad Corne-*

lium, Act. 10. Idem docet S. Basilius in Regulis brevioribus, interrogat. 224.

Inst. Sequeretur ex nostrâ responsione infidelitatem Gentilibus esse vincibilem et culpabilem: falsum tamen consequens; infidelitas enim purè negativa non est peccatum; ergo, etc.

Resp. Nego sequelam maj. Ut enim infidelitas non sit peccatum in iis etiam qui, prioribus utendo gratiis, per gradus ad fidem pervenissent, satis est quòd illi nec prævideant nec prævidere possint, moraliter loquendo, connexionem quæ est inter transgressionem legis naturalis, et substractionem fidei ad salutem necessariæ: atqui Gentiles prædicti, moraliter loquendo, prævidere non possunt, etc., cùm tota hæc connexio à liberâ pendeat Dei voluntate, et humanæ mentis intelligentiam excedat.

Quæres circa quid versari debeat actus ille fidei necessarius necessitate medii.

Respondent omnes debere esse, saltem explicitè, de existentiâ Dei, et quòd Deus sit bonorum operum remunerator per supernaturalem beatitudinem, et malorum vindex per pœnas alterius vitæ, ut patet tum ex verbis Apostoli jam citatis, tum ex Bullâ Innocentii XI, in quâ damnatur hæc propositio 22: *nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii; non autem explicita remunerationis.* An autem nunc, post sufficientem Evangelii promulgationem, non solùm implicitè sed et explicitè credenda sint necessitate medii mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, non consentiunt omnes Theologi. Thomistarum nonnulli sentiunt explicitam Trinitatis et Incarnationis fidem solâ necessitate præcepti necessariam esse, à quâ excusat ignorantia in-

vincibilis (1). Alii verò Theologi affirmant cum Benedict. XIV, Inst. 72, n. 19, magis probabilem esse magìsque tutam eorum opinionem qui dicunt prædictam fidem explicitam necessariam esse necessitate medii; probantque 1.° *variis Scripturæ testimoniis*; Joan. c. 3, ℣. 18: *Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*; et c. 14, ℣. 6: *Nemo venit ad Patrem nisi per me*; item c. 17, ℣. 3: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Act. c. 4, ℣. 12: *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

2.° *Ex SS. PP.* S. Augustinus, lib. de Corrept. et Gratia, cap. 7: *Sicut veritas loquitur*, inquit, *nemo liberatur à damnatione quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi.* S. Chrysostomus, Homil. 37, in Matth.: *Tunc*, inquit, *sufficiebat nosse Deum unum solum, nunc autem non ita est; sed necessaria est ad salutem Christi cognitio.*

3.° Confirmant ex Conc. Trid. Sess. 6, c. 4, ubi dicit neminem post Evængelium promulgatum justificari posse absque Baptismo vel ejus

(1) Fide Catholicâ id tenendum est, inquit Facultas Parisiensis in Determinatione in librum cui titulus: *Belisaire*, « à quo tempore lex evangelica promulgata fuit, » neminem *justificari et salvari*, qui ex *suâ culpâ*, *ex* » *negligentiâ addiscendi*, fide explicitâ in Christum Fi- » lium Dei, Deum et hominem, morte suâ redempto- » rem, caruerit, quâcunque alioquin polleat fide expli- » citâ in Deum unum et remuneratorem, ac implicitâ » in Christum. » Hinc intelligi datur disputari posse utrùm fides explicita in Christum necessaria sit *necessitate medii*, an solùm *necessitate præcepti.*

voto : at votum Baptismi supponit fidem Christi seu incarnationis ; ergo sine fide redemptoris non potest obtineri justificationis gratia.

Obj. Ex hâc sententiâ plura sequuntur absurda; nempè sequitur, 1.° salutem consequi non posse eos homines qui ita hebetes sunt et stupidi, ut tam ardua mysteria apprehendere non valeant, nec ideò ea explicitè credere; 2.° Catechumenum qui, post acceptam præcisè Dei ut gratiæ auctoris fidem, charitatis actum eliceret, et statim moreretur priusquàm de Trinitate et Incarnatione quidquam audiisset, esse damnandum.

Resp. Nego ant. Ad 1.am *prob.* : Facilè constat nullos esse homines (nisi eos amentes supponas, qui ut infantes solo fidei habitu salvantur) ingenii adeò rudis, qui, si sint rationis compotes, mysteria Trinitatis et Incarnationis, sibi sufficienter proposita, quantùm ad substantiam et confusè apprehendere non possint, maximè ex auxilio gratiæ quam Deus non denegat.

Ad 2.am *prob.* : Sicut supponunt adversarii Deum huic Catechumeno vitam ablaturum esse, eo præcisè instanti quo Trinitatis et Christi fidem erat percepturus; ita supponimus Deum hominis à quo sincerè quæritur vitam conservaturum esse, donec quidquid ad salutem necessarium est didicerit.

PROPOSITIO II.

Gravi præcepto obligantur fideles ad actum internum fidei sive ad credenda explicitè, *saltem* quoad substantiam, *mysteria fidei quæ in Symbolo Apostolorum continentur. Tenentur etiam ea omnia credere sine quibus vita christiana institui non potest.*

Prob. Marc. c. 16, ℣. 15, 16 : *Prædicate*

Evangelium omni creaturæ... Qui verò non crediderit, condemnabitur. Est ergo præceptum divinum sub pœnâ damnationis obligans ad credendum Evangelium ab Apostolis prædicatum, ac proindè credenda explicitè varia mysteria, quæ sine dubio sunt ea quæ Apostoli in suo Symbolo collegerunt, et quæ ad vitam rectè instituendam sunt necessaria. Quod quidem confirmatur ex dictis in articulo præcedenti.

Cæterùm, cùm hoc præceptum credendi affirmativum sit, nec pro omni tempore obliget, assignanda sunt tempora quibus fideles, ratione illius præcepti, directè et per se obligantur ad eliciendum actum fidei, ita ut, si tunc omittant, peccent speciali peccato contra hoc præceptum.

Constat autem 1.° præceptum fidei directè per seipsum obligare, et quidem plus quàm semel in vitâ; undè damnata est ab Innoc. XI hæc propositio quæ est 16.ª in Bullâ : *Fides non censetur cadere sub præcepto speciali et secundùm se ;* et 65.ª, quæ sic habet : *Sufficit ista mysteria semel credidisse in vitâ.* Damnata quoque est hæc propositio 17.ª : *Satis est actum fidei semel in vitâ eliciuisse.*

2.° Præceptum credendi non solùm ea quæ sunt necessaria necessitate medii, sed etiam prædicta mysteria, secundùm communem Doctorum sententiam, directè et per se obligat statìm atque ea sufficienter proposita sunt, et cognoscitur eorum credendorum obligatio; id enim commune est legibus quæ nullum habent præfixum tempus, sed obligant cùm primùm moraliter possunt commodè observari.

Dixi, *cùm primùm moraliter ;* id enim aliquam habet latitudinem judicio viri prudentis.

3.° Probabiliter etiam existimant non pauci Theologi præceptum fidei per se obligare in articulo mortis, cùm mortem instare probabiliter existimamus; tunc enim temporis maximè necessarii sunt actus fidei : quapropter sollicitè curare debent Pastores, ut ægroti frequentes actus fidei eliciant.

4.° Præceptum fidei ulteriùs obligare videtur aliquoties in vitæ decursu, ut fideles longiori tempore non abstineant ab exercitio actuum fidei, quamvis præfixum tempus vix queat assignari : quapropter monendi sunt à Pastoribus fideles ut, attentè Symbolum recitando, orando, catechismum audiendo, ad aliquod sacramentum se disponendo, de Dei bonitate aliisque perfectionibus cogitando, aliaque hujusmodi exercendo, fidei actus eliciant; qui enim ita se gerunt, tam anxii esse non debent an præceptum fidei adimpleant.

Præterea sæpè obligantur fideles ad eliciendos actus fidei, non præcisè ratione præcepti credendi, sed indirectè et per accidens, ratione alterius rei quam tenentur facere, et quæ sine actu fidei fieri non potest, v. g., quandò tentatio contra fidem, vel alia non videtur aliter posse superari; vel quandò quis tenetur exteriùs profiteri fidem : externa enim professio fidei, si fiat humano modo, vix potest esse sine actu interno fidei; item, cùm tenentur orare, sacramentum aliquod suscipere, actum contritionis aut charitatis exercere: tunc enim, ratione horum omnium, tenentur fideles per accidens actus fidei elicere; ita tamen ut illorum omissio non sit peccatum speciale contra præceptum credendi, sed tantùm unum et idem peccatum cum peccato omissionis rei præceptæ ad quam prærequirebantur. Neque verò necesse est

ut tunc eliciantur formaliter actus fidei, sed sufficit ut virtualiter eliciantur, quatenùs nempè includuntur virtualiter in actu alicujus virtutis, v. g., contritionis, aut charitatis, formaliter elicito.

PROPOSITIO III.

Nunquàm licet dissentire fidei, eamque tanquam falsam, sive ex toto, sive ex parte, repudiare; aut de illâ voluntariè dubitare, illam reputando incertam vel dubiam.

Propositio certissima est.

Prob. 1.° *ex multis Scripturæ locis suprà citatis.* Marc. c. 16, ℣. 16 : *Qui non crediderit, condemnabitur;* Joan. c. 3, ℣. 18 : *Qui non credit, jam judicatus est.*

Prob. 2.° *Ratione :* Si enim auctoritas veracitatis divinæ postulat ut ea, quæ Deus revelavit, firmiter ac certò credamus; à fortiori exigit ut non dissentiamus nec dubitemus: hoc enim dissensu et dubio graviùs sanè Deus offenditur et contemnitur.

Cæterùm, hic dissensus vel dubitatio voluntaria est propriè peccatum infidelitatis, adeò fidei contrarium, ut fidem infusam ab homine omninò excludat ex naturâ suâ, sicut innuit Stephanus Papa, his verbis : *Dubius in fide infidelis est;* et Innoc. XI, cùm propositionem 21.^{am} damnavit : *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitiâ solùm probabili revelationis, imò formidine quâ quis formidat ne non sit locutus Deus.*

ARTICULUS III.

De præcepto Fidem exteriùs confitendi.

Præceptum confitendi fidem, ex omnium Ca-

tholicorum sententiâ, est virtualiter duplex : affirmativum scilicet, quatenùs præcipit aliquandò confiteri fidem; negativum verò, quatenùs semper et pro omni tempore prohibet fidem denegare.

PROPOSITIO PRIMA.

Certum est graviter obligari fideles ad confitendam, seu exteriùs ostendendam, fidem suam.

Prob. 1.° *ex Apost.* Rom. c. 10, ℣. 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem,* scilicet obtinendam. Deindè Apost. addit, ℣. 11 : *Omnis qui credit in illum, non confundetur,* supple, eum confitendo.

Prob. 2.° *ex S. Aug.* lib. de Fide et Symbolo, cap. 1, ubi sic loquitur : *A præsenti seculo maligno salvi fieri non possumus, nisi et nos ad salutem proximorum nitentes, etiam ore profiteamur fidem quam corde gestamus.* Et Serm. de Apost. Paulo : *Quid prodest,* inquit, *corde credidisse ad justitiam, si os dubitat proferre quod corde conceptum est?*

Et certè divinæ veracitatis auctoritas non solùm postulat ut, sicut Deus revelavit, ita sentiamus et credamus, sed etiam ut ita loquamur et profiteamur.

Porrò, quia Catholici, religionis suæ actus exteriùs exercendo, fidem suam sufficienter profitentur, ideò Theologi communiter cum S. Thomâ duo tantùm tempora assignant in quibus præceptum divinum profitendi fidem extraordinariè obligat, scilicet, 1.° quandò fideles publicè interrogantur circa fidem, aliquandò etiam 2.° cùm interrogantur privatìm.

1.° Igitur quoad publicam interrogationem factam à personâ publicâ, v. g., à Magistratu vel Tyranno, in odium fidei, semper obligat præceptum confitendi fidem exteriùs, et quidem sive persona publica publicè, sive privatìm interroget. Undè Christus Dominus, Luc. c. 9, ℣. 26, dicit : *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius Hominis erubescet, cùm venerit in majestate suâ.* Hinc ab Innocentio XI damnata est hæc propositio quæ est 18.ª : *Si à potestate publicâ quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo et fidei gloriosum, consulo ; tacere, ut peccaminosum per se non damno.*

Et certè tunc non fieri potest illa omissio confessionis fidei : 1. sine gravi læsione honoris Dei et Religionis Christianæ ; 2. sine gravi scandalo proximi ; 3. sine periculo deficiendi à fide vel certè ostendendi inconstantiam in illâ.

2.° Quoad interrogationem privatâ auctoritate factam, generatìm obligat præceptum confitendi fidem exteriùs, quoties ex illius omissione vel honor Dei et Religionis Christianæ læderetur, vel sequeretur proximi subversio aut saltem periculum illius ; aut quoties subesset periculum ne ipse à fide deficeret qui Confessionem omittit, aut sequi posset aliquod scandalum.

PROPOSITIO II.

Fidelibus semper prohibitum est fidem negare, aut simulare.

Propositio certissima est.

Prob. 1.° *ex verbis Christi*, Matth. c. 10, ℣. 33 : *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.*

Prob. 2.° *ex præcepto Ecclesiæ et SS. PP.*, qui semper gravissimum peccatum reputaverunt, si quis quorumcunque tormentorum metu fidem exteriùs negaret, eam in corde retinendo; quod ex S. Petri exemplo confirmatur : quia enim Christum negaverat, amarè flevit. Undè cum S. Augustino dicere licet non solùm abnegare Christum qui dicit non esse Christum, sed etiam qui, cùm sit, negat se esse Christianum; Dominus enim non ait Petro : Discipulum meum te esse negabis, sed, Me negabis. Hinc etiam idem S. Doctor, Tract. 66 in Joan., sic inducit Christum loquentem : *Timendo mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ tuæ. Quanta enim vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum.* Et certè postulat divina veracitas ut non solùm interiùs, sed nec exteriùs unquàm dissentiamus. Ideòque exterior fidei negatio est semper mendacium contumeliosum Ecclesiæ ac Religioni Christianæ, proindèque grave peccatum, quod nullo in casu licitum esse potest.

Cæterùm, tribus modis fieri potest exterior fidei negatio, nempè verbis, factis, aut rebus.

Et 1.° quidem verbis : si quis neget aliquam veritatem fidei, v. g., Verbum esse Deum; aut si quis neget fidei certitudinem, vel dubitationem significet circa aliquam fidei veritatem. Item, si seriò et non per jocum, quamvis solo ore non animo, neget se esse christianum, vel, quod nunc idem est in multis regionibus, se esse Papistam; vel contrà, si affirmaret se Turcam esse, vel Lutheranum, etc. : non negaret tamen fidem qui se Clericum esse aut Sacerdotem, aut Missam celebrasse diffiteretur, quia hæc non significant fidem, sed solùm officium aliquod vel statum in Religione

Religione Christianâ, sine quo fides haberi potest.

2.° Factis seu actionibus negatur fides, quoties exercentur actiones quæ, vel ex naturâ suâ, vel ex hominum institutione, ordinantur duntaxat ad significandum cultum fidei debitum, v. g., si quis coram idolo thus adoleat, genu flectat, pectus tundat, etc., aut Cœnam calvinisticam sumat cum Hæreticis, aut circumcidatur cum Judæis.

Non idem tamen dicendum est de quibusdam actionibus, quæ, etsi aliquandò ex circumstantiis ordinantur ad usum Religionis, tamen per se primariò, et tam ex naturâ suâ quàm ex usu hominum, ordinantur etiam ad alium finem; per illas enim actiones, absolutè loquendo, non negatur fides, v. g., si quis ingrediatur curiositatis causâ templum Hæreticorum, ibique concionem audiat, vel observet quod ibi fiat; quamvis enim id sit aliquandò illicitum, scilicet ob periculum seductionis vel scandali, istud tamen per se non est contra fidem : sic licitum est vesci idolothytis, vel carnibus diebus prohibitis, non quidem ad profitendam Religionem, sed ad sustentationem corporis necessariam; quia per hujusmodi actiones fides non negatur, nisi vel 1. imperentur in protestationem falsæ sectæ, aut in odium fidei ac Religionis Christianæ contemptum; vel 2. nisi exerceantur animo profitendæ falsæ sectæ; vel 3. in circumstantiis in quibus nihil aliud possint significare. Sic Eleazarus, II Machab. c. 6, mori maluit, quàm fingere se carnes porcinas comedisse, eò quòd istarum carnium esus desertæ Religionis esset signum.

A fortiori licitum est fugere tempore persecutionis, ut docent Christi verba, Matth. c. 10, ac

Sanctorum exempla; imò id communiter expedit ac necessarium est infirmioribus; non tamen id dico de Pastoribus, quos notum est nullatenùs fugere posse, nisi propter legitimam causam, et alium pro se constituendo qui ovibus provideat.

3.° Deniquè rebus ac præsertìm vestibus negatur fides, si quis induatur vestibus, aut aliis signis utatur institutis duntaxat ad significandam fidei negationem, vel professionem falsæ sectæ, v. g., si quis seriò induat vestes sacerdotales Judæorum aut Paganorum aut Hæreticorum in eorum templis. Idem dicendum de vestibus profanis infidelium propriis, si per leges politicas institutæ sint ad discernendos variarum religionum viros: v. g., qui pileum flavum Judæorum in Italià gestaret, simularet se falsam religionem profiteri, quia tales vestes ad falsam illam religionem significandam sunt institutæ.

Obj. 1.° Eliseus permisit Naaman ut simularet idololatriam; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Neque enim petierat ab Eliseo Naaman ut sibi liceret cultum externum idolo exhibere, sed solùm ut officium externum, quod regi extra templum præstabat, etiam in templo præstaret, hoc est incurvari, si quandò rex innixus vellet se incurvare; etsi enim rex id faceret idoli venerandi causà, Naaman tamen id agebat solius obsequii regi exhibendi gratià, et, quamvis hujusmodi obsequium ratione scandali esset aliquandò illicitum, nullum tamen in hàc occasione erat scandalum timendum, cùm Naaman publicè profiteretur se veri Dei cultorem esse nec idola venerari.

Obj. 2.° Simulavit Jehu se velle idola colere, et tamen laudatur, IV Reg. c. 10.

Resp. cum SS. Augustino et Thomâ; ibi zelum Jehu laudari ac ejus obedientiam in delendâ domo Achab, non laudari verò mendacium quo fefellit Sacerdotes Baal.

Quæres an Catholicis inter Hæreticos degentibus liceat diebus prohibitis carnes edere, ne ab Hæreticis agnoscantur.

Resp. Quæ apud omnes Theologos certa sunt, ab incertis sedulò sunt distinguenda; itaque

Certum est 1.° istud extra casum necessitatis illicitum esse, quia semper et ubiquè obligant Ecclesiæ præcepta, cùm absque gravi incommodo servari possunt; 2.° id nunquàm esse licitum, si præcipiatur in contemptum veræ Religionis, quia lege naturali et divinâ Religionis contemptum, etiam cum vitæ periculo, vitare tenemur; 3.° si Hæretici, v. g., in hospitio, tempore Quadragesimali, simul cum Catholico recumbentes, ad explorandam Catholici fidem dicant: *Qui Ecclesiæ Romanæ inimicus est, ex hoc carnium ferculo comedat;* certum est Catholicum, qui absque præmissâ protestatione contrariâ carnibus uteretur, contra fidem peccaturum esse.

Controversia est ergo an, sicut Sacerdos laicas vestes induere potest, ita et quilibet Catholicus, citra contemptum Ecclesiæ vel scandalum, carnes ab Ecclesiâ prohibitas possit edere, ne indè ut Catholicus agnoscatur et gravi pœnâ plectatur; circa quod divisi sunt Theologi: alii affirmant istud fieri posse, ita Azor, Becanus, Sanchez, Layman, Salmanticenses, quibus consentire videtur Collator Andegavensis, probantque quia in prædicto casu Catholicus neque delinquit contra legem ecclesiasticam abstinentiæ, quæ in tali necessitate non obligat, neque contra legem divi-

nam non abnegandi fidem : 1. quia comestio carnis secundùm se non est nota vel professio falsæ fidei, cùm multi ex Catholicis carnes comedant, sive ratione occulti quo laborant morbi, sive ex gulâ; 2. quia si Hæretici instituere possent ut fidem ejurare censeretur qui comederet carnes, idem instituere possent de eo qui pisces, caseum, panem, etc., comederet : undè vel fame pereundum esset, vel neganda fides.

Alii, distinctione factâ, fatentur esum carnium licitum esse iis in regionibus ubi infideles carnibus utuntur ex antiquâ gentis consuetudine, et sine ullo ad Catholicos respectu, quia, inquiunt, talis usus ibi nullatenùs importat fidei negationem. Docent verò in Angliâ, v. g., ubi instituta est, inquiunt, carnium comestio ad hæreseos protestationem, et ut signum quo Reformati à Catholicis distinguantur, plenè illicitum esse vesci carnibus, quia jam usus carnium ex indifferenti determinatus est ad hæreseos protestationem, et ita signum est falsæ religionis, quo significant Hæretici et ab aliis significari volunt Ecclesiæ Romanæ contemptum, ejusque legis irrisionem. Ita Valentia, Sylvius, Theologiæ Tourn. Continuator.

ARTICULUS IV.

De Peccatis Fidei oppositis.

Agimus hic duntaxat de peccatis quæ ita sunt opposita fidei, ut fidem habitualem et infusam ex naturâ suâ omninò excludant, qualis est omnis et solus dissensus vel dubitatio pertinax contra fidem, quod peccatum propriè dicitur infidelitas *positiva*. Infidelitas enim alia dicitur *negativa*, eaque est carentia fidei in iis qui nihil unquàm

de fide audierunt; ipsa autem non tam peccatum est quàm pœna peccati, quia, si fecissent, adjuti gratiâ, quod in se erat, Deus iis non abscondisset fidem.

Tres vulgò distinguuntur species infidelitatis positivæ, scilicet Paganismus, Judaismus, et Hæresis; nam, post sufficientem mysteriorum fidei propositionem, vel 1.° fides Christi et doctrina evangelica totaliter rejicitur, nulloque modo recipitur, et hic est Paganismus, sub quo comprehenduntur Mahumetismus et Atheismus; vel 2.° fides Christi recipitur tantùm secundùm figuras et Prophetias veteris Testamenti de Messiâ promisso, et tunc est Judaismus; vel 3.° fides Christi tam secundùm se, quàm secundùm figuras recipitur, admittendo Scripturas veteris et novi Testamenti, Messiamque advenisse, sed ex parte et quoad aliqua rejicitur, quia omnia ejus mysteria non integrè creduntur, et est Hæresis. Quòd si quis, post susceptam catholicam fidem, transeat ad Paganismum, vel Judaismum, vel hæresim, dicitur propriè Apostata; eaque apostasia à fide non constituit novam speciem infidelitatis, sed differt à tribus prædictis, quòd sit desertio fidei jam susceptæ, sicque ad unam ex prædictis speciebus revocatur.

Circa hæresim observandum est hanc esse errorem contra fidem, cum pertinaciâ, in homine Christiano: undè ad hæresim tres requiruntur conditiones: 1.ª quidem ut sit error contra fidem, seu assertio aut judicium erroneum contra fidei dogma; hoc tamen nomine comprehendunt etiam Theologi dubitationem voluntariam, quia hæc non est sine judicio erroneo, quo judicatur rem, de quâ dubitatur, dubiam esse ac incer-

tam. 2.ª Conditio est pertinacia, id est, ut sciatur contrarium doceri ab Ecclesiâ Catholicâ, quæ non ignoratur invincibiliter esse vera Ecclesia; qui enim assertionem suam Ecclesiæ judicio subjicit, errare quidem potest, sed non est formaliter propriè hæreticus. 3.ª Conditio est ut error sit in homine Christianam Religionem profitente. Ut autem ille subjaceat pœnis ecclesiasticis contra Hæreticos latis, requiritur 1.° ut sit baptizatus; 2.° ut hæresis non sit merè interna, sed exteriùs manifestetur signo aliquo, et quidem ex hæreseos affectu procedente, et eam sufficienter exprimente; necesse tamen non est, ut palàm et coram astantibus declaretur.

Quæres 1.° quænam sint pœnæ contra Hæreticos latæ.

Resp. 1.ª Est excommunicatio major, ipso facto lata, cap. 9 et 13 de Hæret.; 2.ª irregularitas; 3.ª infamia juris, si hæresis sit notoria; 4.ª privatio Beneficiorum et dignitatum, spiritualisque jurisdictionis, saltem post denuntiationem; 5.ª privatio sepulturæ ecclesiasticæ, cap. 2 de Hæret. in Sexto. *Nota* autem Hæreticorum defensores et fautores excommunicationem ipso facto similiter incurrere, cap. 13 de Hæret.

Quæres 2.° an licita sit disputatio de rebus fidei cum Hæreticis.

Resp. 1.° Jure naturali prohibita est cuilibet indocto, quia, cùm non possit fidem rectè tueri, nec objectiones solidè diluere, talis disputatio in Religionis detrimentum vergeret.

2.° Jure positivo prohibita est omnibus laicis, cap. 2 de Hæret. in Sexto, ubi etiam pœna excommunicationis contrà facientibus intentatur. Excipitur 1. casus necessitatis aut magnæ utilitatis,

putà cùm refellendus est hæreticus qui cum injuriâ fidei ejusque periculo loquitur; 2. nisi versentur laici in iis regionibus ubi Hæretici grassantur.

3.° Doctioribus Clericis disputare cum Hæreticis licitum esse, servatis servandis, extra dubium est. *Cum Hæreticis*, inquit S. Aug. Epist. 93, *verbis etiam agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum*. Dico, *servatis servandis*, ubi scilicet majoris boni spes affulget, abest verò periculum ex parte præsertim auditorum; cùm enim res fidei sint obscuræ et supra rationem, sæpè timendi locus est ne simplices et imperiti objectionum plus quàm solutionum vi moveantur.

Quæres 3.° an licita sit hæreticorum lectio librorum.

Resp. 1.° Jure naturali prohibita est iis quibus est periculosa, quales sunt imperiti, atque etiam *ii ferè omnes*, inquit Sylvius, *qui duobus aut tribus tantùm annis Theologiæ studuerint.* Ut enim ait Script. Eccli. c. 3, *Qui amat periculum, peribit in illo.*

Resp. 2.° Jure positivo, nempè Bullâ, *Cum pro munere*, Bullâ, *In Cœnâ Domini*, et *Indice librorum*, sub excommunicationis pœnâ interdicitur omnibus quantàcunque dignitate fulgentibus, exceptis hæreticæ pravitatis inquisitoribus, librorum hæreticorum lectio, imò et cujusvis hæresiarchæ librorum, qui etiam hæresim non continerent.

Verùm hæc in Galliis recepta non sunt, ubi pleno jure et usu communi Hæreticorum libros legunt tum Episcopi eorumque Vicarii Generales, qui et hanc facultatem aliis, prout expedire

judicant, impertiunt; tum Doctores qui hæresim et Hæreticos impugnare, libros approbare, de iisdem doctrinale judicium ferre consueverunt. In omnibus tamen ferè Diœcesibus, speciali statuto vetita est librorum hæreticorum lectio, eorum præsertìm qui à posterioribus Hæreticis conscripti sunt, idque, ut fieri solet, sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ. Hæc autem statuta, ut potè generalia, non solùm ignaros, sed et doctos quoslibet, etiam Presbyteros, spectant; item, quia in toto regno recepta est Constitutio *Unigenitus*, apud nos sub eâdem excommunicationis pœnâ prohibetur lectio, vel retentio libri *Reflexionum moralium*, cæterorumque in ejus defensionem librorum, qui hactenùs scripti sunt aut deinceps scribendi. Utrùm autem in lectione libri hæretici detur materiæ parvitas, disputant Theologi: plurimi docent paucas etiam lineas legi non posse citra mortale peccatum, tum quia illæ sufficientem continere possunt materiam ac perversionem, tum quia periculum est ne ex earum lectione nascatur plura legendi prurigo.

Colliges Bibliopolis non licere libros prohibitos emere et vendere; per hoc enim moraliter disseminarent errores: licèt autem eos emendo decepti sint, non ideò ipsis licitum est revendere, sicut illi, qui falsam accepit monetam, non licet eam alteri tradere pro mercibus.

Quod diximus de libris hæreticis, cum proportione dicendum est de libris amatoriis, vel aliundè periculosis, quales sunt multi libri Romanenses, dictionarium Encyclion, et dictionarium Baylii, quibus tota Christi Religio concutitur, quorumque lectione plurimi in dies ad Deismum vel etiam Atheismum miserè deflectunt.

SECTIO II.

De Præcepto Spei.

Duo in hâc sectione inquirimus : 1.° quid sit spes ; 2.° an et quandò obliget præceptum spei.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Spes.

Spes definitur virtus theologica per quam exspectamus à Deo beatitudinem æternam per merita Christi Redemptoris promissam, et media ad illam assequendam, cum certâ fiduciâ et persuasione illius obtinendæ.

Dicitur 1.°, *virtus theologica*, id est, virtus supernaturalis et divinitùs infusa, quæ habet pro objecto immediato Deum supernaturaliter cognitum.

Dicitur 2.°, *per quam exspectamus beatitudinem*; proprius enim actus spei est exspectatio illa beatitudinis et in eam tendentia seu desiderium efficax, non autem simplex velleitas obtinendi beatitudinem, apprehensam quidem ut obtentu difficilem, sed Dei auxilio possibilem, imò et probabiliter de facto obtinendam.

Dicitur 3.°, *certâ cum fiduciâ et persuasione illius obtinendæ*, quia spes supponit ex parte intellectûs persuasionem hanc, scilicet, ex parte Dei nihil defuturum ad assequendam beatitudinem, adeòque possibilem eam esse, et, nisi ex nostrâ parte aliquid defuerit, à nobis obtinendam. Hinc fit ut spes nostra sit omninò certa ex parte Dei, quia innititur fide quâ credimus Deum esse omnipotentem, misericordem et in promissis fidelem, ideòque posse et velle, sicut pro-

misit, conferre nobis auxilia sufficientia ad salutem assequendam, ac de facto collaturum beatitudinem ei qui in justitiâ perseveraverit. Id ipsum apertè dicit Apost. II Timoth. c. 1, ℣. 12: *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem* justus Judex. Et Tit. c. 1, ℣. 2: *In spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur Deus.*

È contrà verò spes non est omninò certa et secura, quatenùs respicit beatitudinem ut de facto à nobis obtinendam, quia persuasio quâ judicamus nos reipsâ obtenturos beatitudinem, non est judicium fidei certum, sed probabile tantùm et conjunctum timori; possumus enim à justitiâ et consequenter à speratâ beatitudine excidere, et, quandiù hìc vivimus, cum metu et tremore salutem nostram debemus operari, juxta Apostoli monitum ad Philip. c. 2. Quantò magìs tamen quis novit se in justitiâ et bonis operibus profecisse, tantò firmiorem ac probabiliorem habet persuasionem ac fiduciam assequendæ salutis. Hanc in rem S. Bernardus in Serm. 1 de Septuagesimâ sic loquitur: *Quis potest dicere: ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hæc, inquam, dicere potest? reclamante nimirùm Scripturâ: «nescit homo si sit dignus amore an odio.» Certitudinem utiquè non habemus, sed Dei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate cruciemur.*

Cæterùm, persuasio illa intellectûs præsupponitur quidem necessariò ad actum spei, sed non est proprius spei actus, qui consistit formaliter in exspectatione et desiderio efficaci æternæ beatitudinis.

Dicitur 4.°, *per quam exspectamus beatitudinem per Christi Redemptoris merita promissam, et media ad illam;* quia duplex est objectum spei, *primarium* et *secundarium*. *Primarium* objectum est beatitudo æterna seu est Deus ut summum nostrum bonum per visionem beatificam possidendum, objectum verò *secundarium* spei sunt media ad illam obtinendam, scilicet gratiæ et omnia Dei auxilia quæ ad salutem nos possunt juvare: quæ omnia nonnisi per Redemptoris merita obtineri possunt.

ARTICULUS II.

An et quandò obliget Præceptum Spei.

Certum est dari præceptum spei, quod quidem affirmativum est, quatenùs obligat ad sperandum seu ad eliciendos actus spei; negativum verò, quatenùs prohibet desperationem et præsumptionem: nam certum est fidelibus aliquandò gravem incumbere obligationem exercendi actum spei, et nunquàm exercendi actum spei contrarium, sive per defectum, ut est desperatio, sive per excessum, ut est præsumptio. Verùm hæc inductione clariùs explicanda sunt.

1.° Igitur non solùm necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii, tenetur omnis adultus, in peccato mortali vel originali existens, ad actum aliquem spei, saltem remissionis peccatorum et alicujus retributionis supernaturalis. Hinc Rom. c. 8, ℣. 24, dicit Apostolus: *Spe salvi facti sumus*. Et ratio est, quia Deus salvare non vult adultos sine eorum voluntate et cooperatione supernaturali; hinc etiam Trident. Sess. 6, dicit justificationem adultorum fieri per voluntariam

gratiæ susceptionem : hæc autem cooperatio voluntatis consistit præsertìm in spe, per quam voluntas nostra, suppositâ fide in intellectu, incipit accedere ad Deum, ut declarat idem Trid. cap. 5, 6 et 7.

2.° Datur affirmativum spei præceptum, quo tenentur omnes à Deo sperare beatitudinem æternam, remissionem peccatorum, et alia ad salutem necessaria; atque id colligunt Doctores ex variis Script. locis, v. g., Psalmo 4, ℣. 6 : *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino;* Psalmo 36, ℣. 3 : *Spera in Domino et fac bonitatem;* Psalmo 61, ℣. 9 : *Sperate in eo omnis congregatio populi;* Rom. c. 15, ℣. 4 : *Ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus;* Hebr. c. 10, ℣. 23 : *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.* Et alibi passìm.

Deindè verò de omni actu virtutum necessario ad salutem datur aliquod præceptum : atqui actus spei est actus necessarius, sive peccatoribus ad justificationem obtinendam, ut ex Trident. diximus, sive justis qui, ex eodem Conc. Sess. 6, can. 26, debent exspectare et sperare æternam retributionem à Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum; ergo datur præceptum de actu spei. Et verò, postquàm Deus tot et tanta pro nostrâ salute operatus est, non sine maximâ illius injuriâ omitti potest actus spei circa salutem obtinendam.

Cùm autem præceptum illud sit affirmativum, nec pro omni tempore obliget, assignanda sunt tempora quibus urgere videtur præceptum spei exercendæ, quod quidem determinatè assignari difficilè potest, tamen confusè potest.

1.° Etenim certum est præceptum illud obligare puerum qui rationis usum attigit, statìm, moraliter loquendo, post sufficientem beatitudinis propositionem, ita ut non diù post differatur actus spei; 2.° in articulo mortis obligat; 3.° etiam aliquoties in vitæ decursu, juxta supradicta de actu fidei; eadem enim est ratio de actu spei. Prætereà, sæpè obligamur indirectè et per accidens ad eliciendum actum spei, non quidem ratione præcepti spei, sed per accidens ratione alterius quod tenemur facere, v. g., ratione vincendæ gravis tentationis, vel ratione orationis aut contritionis eliciendæ. In his tamen occasionibus non est semper necesse actum spei formaliter elicere; satis est si eliciatur actus in quo spes virtualiter includitur, v. g., efficax oratio, dolor de peccatis.

Verùm præcepto spei, quatenùs negativum est, 1.° tenemur nunquàm desperare, scilicet nolendo ampliùs exspectare à Deo beatitudinem et media ad illam, seu nolendo ampliùs eam prosequi.

Duplex autem distinguitur desperatio, scilicet, *hæretica* et *temeraria*: *hæretica* fundatur in hæretico intellectùs judicio, quo desperans judicat beatitudinis assecutionem sibi esse impossibilem, et omnem suum conatum ad hoc fore inutilem. Desperatio solùm *temeraria* fundatur in judicio intellectùs temerario duntaxat et imprudenti, quo desperans judicat se de facto non salvandum, vel in gratiâ non perseveraturum, vel beatitudinis assecutionem sibi nimis difficilem futuram.

Quoniam autem peccatum desperationis directè opponitur spei, ideò gravissimum est, nec

levitatem materiæ patitur, et ipsum habitum spei expellit, ac simul habitum fidei, si desperatio procedat ex judicio hæretico. Egregiè autem notat S. Thomas luxuriam et acediam esse causas ordinarias desperationis : luxuriam quidem, quia per illud vitium homo creaturæ adhæret et fastidit spiritualia ; per acediam verò non vult sibi vim facere.

2.° Tenemur eodem præcepto, quatenùs negativum est, nunquàm præsumere, id est, nunquàm temerè, inordinatè, et immoderatè exspectare beatitudinem ac media supernaturalia.

Triplex autem distinguitur præsumptio, scilicet, *temeraria*, *pelagiana*, *calviniana.*

Præsumptio *temeraria* est exspectatio alicujus quod non debet sperari, v. g., cùm quis tantam gratiam aut gloriam sperat, quantam habuerunt B. Virgo et Apostoli ; vel quandò, in peccati consuetudine perseverando, sperat se gratiam pœnitentiæ in fine vitæ obtenturum, certò sibi promittens quod valdè incertum est.

Præsumptio *pelagiana* est cùm ex propriis viribus, vel ab aliquâ creaturâ ut causâ principali, non à Deo, sperat bona supernaturalia vel beatitudinem.

Præsumptio *calviniana* dicitur, cùm quis ex solâ Dei misericordiâ et meritis Christi, sine propriâ suâ pœnitentiâ, sperat remissionem peccatorum, vel gloriam sine meritis.

Præsumptio pelagiana et calviniana, cùm adjunctum habeant judicium hæreticum, habitum fidei sicut et spei excludunt. At præsumptio temeraria non habet ordinariè adjunctam hæresim; est tamen ex naturâ suâ gravissimum peccatum, præsertim si ex eâ sumitur occasio multiplicandi

peccata et in illis perseverandi. Vide S. Thomam 2.â 2.æ

SECTIO III.

De Præceptis Charitatis.

Duo hìc examinanda sunt : 1.° quid sit charitas ; 2.° an et quandò obliget præceptum charitatis erga Deum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Charitas.

Charitas est virtus theologica quâ Deus propter se diligitur, et proximus propter Deum.

Dicitur 1.°, *virtus quâ Deus diligitur,* quia actus charitatis est dilectio seu amor et benevolentia quâ ipsi Deo vel proximo volumus aliquid bonum, vel illud ipsi desiderando et exteriùs procurando, si non habet, et dicitur amor benevolentiæ; vel, si jam habet, in eo complacendo, et dicitur amor complacentiæ. Illud autem bonum quod charitas vult respectu Dei, est summa et intrinseca ejus bonitas, perfectio et beatitudo, vel ipsius externa gloria per laudes et obsequia propria vel aliena. Charitas verò respectu proximi potissimùm desiderat ejus beatitudinem supernaturalem, et quidquid ad illam assequendam juvare potest.

Dicitur 2.°, *quâ diligitur Deus et proximus ;* perfecta enim amicitia, qualem habemus cum Deo per charitatem, non solùm exigit ut ille diligatur cum quo primariò et per se amicitia contrahitur, sed etiam ut propter ipsum diligantur illa omnia quæ ad illum pertinent : at verò pertinent ad Deum omnes proximi, quia scilicet vel

sunt vel esse possunt nobiscum ejus filii, amici, hæredes, etc., quatenùs nempè sunt participes vel capaces bonorum supernaturalium gratiæ et gloriæ.

Dicitur 3.°, *quâ diligitur Deus propter se;* duplex quippe distinguitur amor Dei, scilicet amor concupiscentiæ ad spem pertinens, quo Deum diligimus tanquam bonum nobis, id est, quia erga nos beneficus est ac misericors, et se liberaliter communicat per gratiam et gloriam; alius est amor perfectæ charitatis, qui dicitur etiam amor benevolentiæ, quo Deum diligimus propter intrinsecam ejus amabilitatem et perfectiones infinitas, sive quia in se bonus est, sine ullo respectu ad nos; et hic ultimus amor dicitur propriè charitas.

Dicitur 4.°, *quâ Deus diligitur propter se, et proximus propter Deum;* quibus verbis significatur unicum esse motivum dilectionis Dei et proximi, quod est ipse Deus, id est, summa ejus perfectio et amabilitas per lumen fidei cognita, vel quæ est in ipso per essentiam, vel quæ est participata et participabilis in proximo per gratiam et gloriam : ita ut diligatur Deus et proximus, præcisè quia Deus dignus est ut ipse ametur, et propter illum proximus, tanquam capax ejus amicitiæ et gloriæ.

Colliges objectum materiale charitatis esse 1. Deum, 2. nos ipsos, 3. proximum; quia charitas circa tria hæc eo ordine tota occupatur; formale verò charitatis objectum, esse Dei bonitatem absolutam, seu infinitam illam perfectionem quâ Deus summè amabilis redditur; hæc enim est ratio formalis sub quâ et propter quam charitas suum attingit objectum materiale.

Cæterùm, quia charitas erga proximum est fundamentum secundæ Tabulæ, quæ nos ordinat ad proximum, et de quâ infrà acturi sumus, ideò hic solùm tractandum est de præcepto charitatis erga Deum.

ARTICULUS II.

An et quandò obliget Præceptum Charitatis erga Deum.

PROPOSITIO.

Certum est dari præceptum charitatis Dei, quod quidem affirmativum *est, quatenùs præcipit diligere Deum;* negativum, *quatenùs prohibet Dei odium et acediam seu tristitiam de bono et de gloriâ Dei.*

Prob. ex Deut. c. 6, ℣. 5 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ fortitudine tuâ.* Quæ verba referuntur à Christo Domino, Matth. c. 22, Marc. c. 12, et Luc. c. 10. Sic autem à S. Thomâ exponuntur 2.â 2.æ, quæst. 44, art. 5 : *Præcipitur nobis*, inquit S. Doctor, *ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde; et quòd intellectus noster subdatur Deo, quod est ex totâ mente; et quòd appetitus noster reguletur secundùm Deum, quod est ex totâ animâ; et quòd exterior actus noster obediat Deo, quod est ex totâ fortitudine, vel virtute, vel viribus, Deum diligere.*

Ex his autem Scripturæ verbis expressè datur præceptum diligendi Deum, et consequenter implicitè prohibetur odium Dei, quod est directè contra charitatem; prohibetur etiam acedia seu tædium de divinâ amicitiâ propter difficultatem

illius conservandæ, quod peccatum directè etiam oppugnat charitatem. Verùm hæc sigillatìm explicanda sunt.

Certum itaque est præceptum diligendi Deum, quatenùs affirmativum est, obligare specialiter ad aliquem verum et supernaturalem actum dilectionis Dei; hoc enim primum et maximum seu præcipuum omnium mandatorum appellat Christus, Matth. c. 22. Quandò autem ibi et aliis in locis exigitur actus dilectionis Dei super omnia, non ita debet intelligi ut teneamur diligere Deum amore summè intenso seu vehementissimo voluntatis conatu, quia hoc vel impossibile est, vel anxietates scrupulosque gigneret. Sed Deum super omnia et ex toto corde diligere tenemur, 1.° *objectivè*, quia majora illi bona quàm aliis velle debemus, scilicet divinum ESSE et divinos honores; 2.° *appretiativè*, præferendo nimirùm Deum ejusque amorem omnibus creatis, ita ut parati simus omnia facere, pati, perdere, potiùs quàm ab ejus amore recedere; et ita ut nullius creaturæ timore vel amore Deum offendamus aut ejus amicitiam deseramus.

Cæterùm, cùm hoc præceptum affirmativum sit, pro certo tempore solùm obligat, quod tempus non tam affirmativè quàm negativè potest assignari.

1.° Enim certum est præceptum illud non solùm per accidens obligare, quandò scilicet non est alia via ad justificationem, sed etiam per se et directè. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc propositio, quæ est septima in Bullâ: *Tunc solùm obligat, quandò tenemur justificari, et non habemus aliam viam quâ possimus justificari.*

2.° Certum est illud obligare plus quàm semel

in vitâ; undè damnata ibidem est hæc propositio, quæ est quinta : *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vitâ eliceret, condemnare non audemus.*

3.° Certum est præceptum illud pluries in vitâ, præsertim si longa sit, obligare; ita ut diuturno tempore non omittatur actus amoris : hujus autem temporis major determinatio prudentiæ reliquenda est, juxta suprà dicta de actu fidei. Hinc ab eodem Pontifice damnata est adhuc hæc propositio, quæ est sexta : *Probabile est nec singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.*

4.° Theologi post S. Thomam docent præceptum charitatis obligare statìm, moraliter loquendo, post usum rationis, ita ut non multùm differatur actus amoris post habitam supernaturalem cognitionem Dei, ut finis ultimi ad quem homines se suasque omnes operationes referre debent, cum proposito ei semper placendi et implendi ejus voluntatem. Ratio est, quia de ratione viatoris est ut se ad suum finem convertat, qui Deus est, eum omnibus rebus creatis præferendo, cùm alioqui nec justitiam assequi, nec acceptam in baptismo diù retinere possit.

5.° Obligat etiam præceptum illud in articulo mortis, ut communiter sentiunt Theologi. Prætereà fideles interdùm per accidens, et ratione alterius quod facere tenentur, elicere debent actum charitatis, v. g., ratione contritionis perfectæ, quam aliquandò præmittere necesse est ad debitam administrationem, vel susceptionem sacramentorum : non est tamen necessarium formaliter actum elicere amoris Dei, sed sufficit ipsa contritio perfecta, in quâ virtualiter includitur amor;

similiter, actus amoris Dei potest esse aliquandò necessarius ad vincendam gravem aliquam tentationem.

Certum est etiam ex eodem præcepto charitatis, quatenùs est negativum, obligationem incumbere nunquàm odio habendi Deum. Et certè, cùm Deus sit summum bonum, non videtur posse in se odio haberi. Fieri tamen potest ut impii eum oderint, quatenùs peccata prohibet et peccatores punit. Quocunque autem modo odio habeatur, est certè odium Dei peccatorum omnium gravissimum et planè diabolicum, ac nisi desit advertentia, semper mortale.

Certum est deniquè eodem præcepto charitatis, quatenùs est negativum, prohiberi ne quis deliberatè tædium concipiat aut tristitiam de divinâ amicitiâ, vel de Dei cultu, ita ut amicitiam ejus et obsequium refugiat, eò quòd cum molestiâ, difficultate, et labore conjuncta sint. Hoc autem peccatum est acediæ, et directè opponitur charitati, cujus est gaudere de divino servitio, ideòque ex genere suo est mortale, quamvis veniale fieri possit, vel ob indeliberationem, vel si tædium sit leve et tale ut homo non refugiat absolutè amicitiam Dei et obsequium ipsi debitum, nec ob id exponatur gravi periculo transgrediendi illud præceptum.

SECTIO IV.

De Religione.

Tres erunt hujus sectionis articuli : 1.us erit de naturâ et actibus religionis; 2.us de præceptis religionis in primo Decalogi præcepto contentis; 3.us de vitiis religioni oppositis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Naturâ et Actibus Religionis.

Religio est *Virtus moralis quâ Deo deferimus cultum ipsi debitum;* ita S. Thomas.

Dicitur 1.°, *virtus moralis*, id est, habitus et qualitas bona inclinans ad operationem laudabilem et honestam. Religio enim non est virtus theologica, quia Deum non habet immediatè pro objecto, sed cultum ejus; est autem prima inter virtutes morales, quia objectum habet excellentius cæteris.

Dicitur 2.°, *quâ Deo deferimus cultum;* religio enim soli Deo propriè cultum exhibet qui *Latriæ* dicitur; cultus autem *Duliæ*, qui Sanctis exhibetur, et *Hyperduliæ* qui redditur B. Virgini, non est actus religionis elicitus, sed imperatus.

Dicitur 3.°, *quâ deferimus cultum;* quâ voce intelligimus non solùm summam Dei æstimationem, sed etiam actum quo supremam Dei excellentiam agnoscimus, et subjectionem nostram ac dependentiam significamus : qui cultus Deo exhibetur, quia est primum rerum omnium principium ac supremus Dominus. Cultus autem iste vel est externus et corporalis, v. g., genuflexio, inclinatio, laus vocalis, etc., quibus significamus æstimationem ac reverentiam nostram erga Deum; vel est internus et mentalis, v. g., mentalis confessio et divinæ excellentiæ agnitio, quomodò Angeli et sæpè etiam homines interiùs Deum adorant.

Dices : Religio inclinat ad colendum Deum sicut charitas ad amandum; ergo tam est virtus theologica quàm charitas.

Resp. disparitatem esse quòd charitas inclinet voluntatem ad amandum Deum ipsum et quidem propter summam ejus perfectionem; religio autem inclinat ad cultum Deo exhibendum propter specialem quæ in eo cultu relucet honestatem. Undè cultus Dei est objectum illius immediatum, seu objectum *quod*, et Deus est tantùm objectum *cui* cultus refertur; sicut justitiæ objectum immediatum est res proximo debita, non ipse proximus; specialis autem honestas quæ relucet in cultu Deo exhibendo, est objectum formale religionis; at verò charitas inclinat voluntatem ad amandum Deum ipsum, Deumque habet pro objecto immediato, summam autem ejus excellentiam pro objecto formali. Undè duæ propositiones istæ, religio inclinat ad colendum Deum, charitas ad illum amandum, conveniunt quidem grammaticaliter et quoad sonum, non autem quoad sensum.

Actus religionis duplicis sunt generis, alii sunt *eliciti*, alii *imperati*; actus *eliciti* religionis, propriè et strictè dicti, sunt illi qui immediatè producuntur et emanant à religione seu ab illo habitu qui nos inclinat ad cultum Deo exhibendum, suntque actus voluntatis mediante illo habitu producti : tales sunt amor Dei cultûs, desiderium ac intentio illius, electio mediorum ad illum, gaudium et complacentia in cultu Dei; imò, et minùs strictè loquendo, dicuntur etiam actus eliciti religionis, illi omnes actus quibus homo se subjicit Deo, et illi honorem ac debitum cultum exhibet, quia scilicet actus illi producuntur nullo mediante alio habitu à religione distincto, et per se nati sunt immediatè per religionem imperari. Hujusmodi sunt adoratio, sacrificium, oblatio, oratio, votum, juramentum, laus, gratiarum actio.

Adoratione, testamur supremam Dei Majestatem, Deumque agnoscimus tanquam primum principium nostrum.

Sacrificio, honoramus supremam Dei auctoritatem in vitam et existentiam creaturarum.

Oblatione, fatemur illius in omnia dominium, et nostra omnia ipsius esse.

Oratione, Deum agnoscimus tanquam bonorum omnium fontem et auctorem quo semper indigemus.

Voto, profitemur Deum esse summè dignum cui promissa solvantur.

Juramento, attestamur summam Dei veritatem et in testando auctoritatem.

Laude, summa Dei perfectio infinitè laudabilis honoratur.

Gratiarum actione, Deum agnoscimus tanquam nostrum benefactorem.

Actus *imperati* religionis sunt actus omnes virtutum quarumlibet quas ad procurandum Dei cultum religio potest imperare : quo sensu Jacobi c. 1, ℣. 27, dicitur : *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum*, etc. S. Augustinus in Enchiridio, et lib. 12 de Trinit. ait, *Fide, spe, et charitate Deum coli*, quia scilicet per fidem honoratur Deus tanquam prima veritas; per spem, tanquam fidelissimus et potentissimus; per charitatem, tanquam infinitè bonus; et ideò actus illi per religionem imperari possunt et applicari ad cultum Dei et honorem.

ARTICULUS II.

De Præceptis Religionis in primo Decalogi Præcepto contentis.

Septem potissimùm actus præcipit religio, scilicet: adorationem, sacrificium, devotionem, orationem, juramentum, votum, et quorundam dierum sanctificationem. Quia verò juramentum, votum et sanctificatio dierum, speciale sunt objectum II et III Decalogi præcepti, de quatuor prioribus solùm hic agemus.

De Adoratione.

Adoratio in genere est actus quo testificamur alterius excellentiam, et nostram erga illum submissionem. Undè duo complectitur adoratio, alienæ scilicet excellentiæ significationem, in quo propriè consistit honor, et propriæ submissionis testificationem.

Triplici sensu sumitur nomen adorationis, *latissimè*, *latè*, et *strictè*.

Adoratio *latissimè* sumpta est quæcunque veneratio alteri exhibita in signum ejus excellentiæ, quælibet ea sit. Sic *Abraham*, Gen. c. 23, *adoravit filios Heth;* hæc adoratio est merè civilis et politica.

Adoratio *latè* sumpta est veneratio alteri exhibita propter supernaturalem ejus excellentiam. Sic *Josue excidit pronus in terram, et adorans* Angelum; Josue, c. 5. Hæc adoratio religiosa est, et dividitur, 1.° in *Latriam*, quæ exhibetur soli Deo ob infinitam ejus excellentiam; in *Duliam*, quæ Sanctis exhibetur propter creatam eorum excellentiam supernaturalem; et in *Hyperduliam*,

perduliam, quæ S. Virgini Mariæ, propter singularem ejus super omnes Sanctos excellentiam, exhibetur. 2.° In *absolutam*, quæ rei propter intrinsecam ejus excellentiam exhibetur; sic Christus adoratur : et *relativam*, quâ aliquid adoratur ob excellentiam personæ ad quam habet habitudinem aliquam aut conjunctionem; sic adoratur Crux.

Adoratio *strictè* dicta est cultus latriæ soli Deo debitus, consistens in actu quo et infinitam ejus excellentiam, et supremum ejus in res omnes dominium, et nostram summam erga illum submissionem testificamur, juxta illud Matth. c. 4 : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Quibus verbis patet divinum esse præceptum Deum aliquoties adorandi; est et naturale, quia istud dictat ratio; quo autem tempore urgeat hoc præceptum, colligi debet ex dictis de præcepto fidei, spei, et charitatis.

De Sacrificio.

Sacrificium generaliter dicitur omne opus bonum propter gloriam Dei elicitum. Strictè et propriè sumptum definitur, oblatio rei sensibilis et permanentis, divinitùs instituta, et soli Deo facta à legitimo Ministro, per aliquam immutationem rei oblatæ, ad testandum supremum Dei in omnes creaturas dominium, nostramque subjectionem. Explicatur hæc definitio in *Tract. de Sacrificio Missæ.*

Quæres an detur præceptum naturale et divinum colendi Deum per sacrificii oblationem.

Resp. Plures sunt Theologi qui opinantur sacrificia esse de lege naturali, eâ innixi ratione quòd, ab ipso mundi exordio, apud gentes etiam

fidei lumine destitutas, sacrificia fuêre semper in usu : porrò hæc populorum consensio vox naturæ dicenda est, ut ait Tullius. Non desunt tamen qui contrà sentiunt, juxta quos unanimis ille populorum consensus in offerendis Numini sacrificiis ortum habuit à primævâ et divinâ traditione. Vide quæ diximus in *Tract. de Religione*, cap. procem., art. 1.

Quidquid sit, concedunt omnes Doctores dari præceptum divinum de colendo Deo per sacrificiorum oblationem; probantque ex eo quòd in lege mosaicâ multa sacrificiorum genera ab ipso Deo præscripta fuerint, et in lege evangelicâ juge ac perpetuum sit sacrificium, cæterorum omnium legis antiquæ differentias in se complectens, cujus oblationem expressis verbis præcepit Christus, dicens : *Hoc facite in meam commemorationem*. Ita enim hæc verba exponit Ecclesia, Scripturarum interpres, ut videre est in Conc. Trid. Sess. 22, cap. 1.

Plura hic de sacrificio dicere supersedemus, fusiùs de illo acturi in expositione III præcepti.

De Devotione.

Devotio hìc non sumitur prout significat sensibilem illum fervorem quem interdùm experimur in oratione et meditatione, sed prout est voluntas promptè tradendi se totum ad ea quæ pertinent ad Dei cultum et servitium; ita definitur à S. Thomâ, 2.ª 2.æ, quæst. 82, art. 1, qui et observat, art. 3, devotionis duplicem esse causam, extrinsecam et intrinsecam : *Causa extrinseca et principalis est Deus... qui ex indevotis devotos facit. Causa autem intrinseca*, inquit S. Doctor, *ex parte nostrâ oportet quòd sit me-*

ditatio, seu contemplatio... partìm *divinæ bonitatis et beneficiorum ejus*... quia *hæc consideratio excitat dilectionem quæ est proxima devotionis causa*, partìm defectuum nostrorum, quos si seriò perpendamus, in hæc Psalmi verba erumpemus : *Levavi oculos meos in montes, undè veniet auxilium mihi.* Veræ devotionis characteres feliciter attingit auctor libri de Spiritu et Animâ, cap. 50, apud Augustinum : *Devotio, pius est*, inquit, *et humilis affectus in Deum : humilis ex conscientiâ infirmitatis propriæ, pius ex consideratione divinæ clementiæ.*

De Oratione.

Plura de oratione quæruntur. Quia verò hæc omnia expendemus, tum in I Appendice ad Decalogum de *Oratione in genere*, tum in *Tractatu de Statuum Obligationibus*, ubi de *Horis canonicis* speciatìm agemus, eò loci naturam orationis et necessitatem declarare sufficiat.

Oratio, strictè et propriè dicta, definitur à S. Joanne Damasceno, *Petitio decentium à Deo.*

Dicitur 1.° *petitio*, id est, intimatio desiderii ad obtinendum aliquid ab eo quem precamur.

Dicitur 2.°, *rerum decentium;* petitio enim rei malæ non tam esset oratio, quàm exsecratio; Deumque offenderet, non coleret.

Dicitur 3.°, *à Deo;* omnis quippe oratio ad Deum, sive immediatè, sive mediante Sanctorum intercessione, dirigitur, à quo solo descendit omne donum.

Hinc sequitur orationem sub uno respectu ad religionem pertinere, et ad spem sub alio : ad religionem quidem, quia per orationem testamur Deum esse auctorem bonorum nostrorum, nos-

que eo indigere; ad spem verò, quia oratio aliquid sperat et exspectat à Deo; nullus enim ad alium supplex accedit, qui certò novit eum nunquàm ad vota sua flectendum esse.

Orationem esse necessariam, tum necessitate medii, tum necessitate præcepti, probant innumera Scripturæ testimonia, Matth. c. 26: *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem;* Luc. c. 11: *Petite et dabitur vobis;* ibid. c. 18: *Oportet semper orare et non deficere;* Jacobi c. 4: *Non habetis, propter quòd non postulatis. Petitis et non accipitis, eò quòd malè petatis.* Quæ verba et præceptum indicant, et ostendunt voluntatem Dei omnia justè ac salubriter disponentis esse, ut in necessitatibus nostris auxilium atque medelam sæpè consequi non possimus, nisi humili subjectione ab ipso petamus; ita textus illos intelligunt Patres, qui et ex iis colligunt orationem ad servanda Dei mandata vincendasque tentationes esse necessariam. Undè S. Augustinus: *Deus,* inquit, *impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis.* Quæ verba usurpavit Conc. Trid. Sess. 6, cap. 11. Iterùm sic loquitur S. Augustinus, lib. de Dono Persev., cap. 16: *Constat alia Deum danda etiam non orantibus, sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam;* sic Deus ordinavit ut summam ejus excellentiam nostramque indigentiam testaremur. Quapropter non solùm ex charitate, quâ nostrum tenemur procurare bonum et salutem, sed etiam ex motivo religionis obligamur ad Deum orandum.

Cæterùm, eodem modo determinandum vide-

tur tempus quo præceptum illud affirmativum obligat, quomodò de præceptis fidei, spei, et charitatis dictum est. Præcipuè verò obligat ut non multo tempore quis desistat ab orando Deo; ut indicat Christus, Luc. c. 18, ℣. 1: *Oportet semper orare*; et Apostolus, I Thess. c. 5, ℣. 17: *Sine intermissione orate*. Prætereà, sæpissimè per accidens et ratione alterius præcepti, v. g., vitandi scandali, vincendæ tentationis, aut subveniendi propriæ vel alienæ necessitati, est obligatio Deum orandi, divinumque implorandi auxilium; istud tamen oriri non videtur ex proprio religionis motivo; ideòque his in casibus orationis omissio speciale et distinctum non constituit peccatum. Sed de his iterùm in explicatione tertii præcepti Decalogi.

ARTICULUS III.

De Vitiis Religioni oppositis.

Cùm religionis virtus, sicut et aliæ virtutes, in medio consistat, dupliciter contra eam peccari potest; scilicet, vel per defectum, et hoc peccati genus *irreligiositas* dicitur; vel per excessum, non quòd nimiùm in vero Dei cultu excedi possit, sed quia vitiosus est aliquandò et inordinatus cultus qui ei impenditur, et hæc peccati species *superstitio* nuncupatur.

§ I.

De variis Irreligiositatis speciebus.

Irreligiositas ex S. Thomà est vitium oppositum religioni per defectum, quo Deus in se vel in rebus sacris inhonoratur. Quinque sunt ejus species, nempè blasphemia, tentatio Dei, sacri-

legium, perjurium et simonia: de perjurio dicemus in explicatione II præcepti, ubi de juramento; de simoniâ verò in speciali *Appendice de Simoniâ*, ad calcem hujus Tractatûs. De tribus itaque prioribus agendum superest.

De Blasphemiâ.

Blasphemia laudi debitæ Deo directè opponitur, definiturque, *Locutio contumeliosa in Deum;* atque his verbis continetur etiam omnis maledictio in creaturas, quatenùs Dei sunt, et in eis relucet divina sanctitas, potentia, etc.

Dividitur 1.° in *hæreticalem, imprecativam*, et merè *dehonestativam:* blasphemia *hæreticalis* est ea quæ hæresim continet, et sic duplicem habet malitiam; nempè est contra fidem et religionem. Fit, vel aliquid falsi pronuntiando de Deo, vel creaturæ attribuendo quod solius Dei proprium est; ut si dicatur Deum esse crudelem, Deum non esse omnipotentem, non prospicere rebus humanis, aut mundum à dæmonibus regi. Hinc hæreticalis est hæc blasphemia: *Denego Deum, denego Evangelia:* quia denegatur Dei existentia, vel dominium, aut infallibilis veritas. Item, *Denego Deum si res non ita sit,* quia negare Deum sub conditione cujusvis objecti, est negare Deo existentiam ab omni objecto creato independentem. Item, *quod enuntio tam verum est quàm verum est esse Deum*, vel, *quàm verum est Evangelium*, quia hâc locutione divinæ veritati adæquatur res creata et contingens; si tamen non ex erroneo animo proferatur, tunc non committitur hæresis, sed grave duntaxat peccatum adversùs religionem et externam fidei professionem.

Blasphemia *imprecativa* est ea quâ quis Deo malum imprecatur, ut si dicat : *Utinam Deus non esset! Utinam Deus supremam non haberet potentiam! Sit Deus maledictus!* hæc odium Dei continet.

Blasphemia merè *dehonestativa* ea est quâ, per modum contumeliæ et contemptûs, indecenter ac irreverenter enuntiatur etiam quod Deo vel Christo convenit, ut istud quod Juliano Apostatæ tribuitur, *Vicisti Galilæe!* et hæc altera, quâ Christi *Mors, caput, viscera*, etc., contumeliosè nominantur.

Dividitur 2.° in *internam* quæ interiùs perficitur, et in *externam* quæ verbis, vel aliis signis externis exprimitur; quæcunque enim signa in Deum contumeliosa sunt, ut spuere in cœlum, infrendere dentibus, etc., verè sunt blasphemiæ. Undè in nostrâ definitione vox, *Locutio*, latè sumitur pro quâvis significatione convicii et maledicti in Deum.

Dividitur 3.° in eam quæ *directè* et *immediatè est in Deum*, et eam quæ est contra *Sanctos*, vel quascunque *creaturas*, etiam irrationales, quatenùs sunt creaturæ Dei, vel ejus instrumenta.

Blasphemiam omnem esse de se peccatum mortale, nec admittere levitatem materiæ constat, tum ex Scripturâ, Psalmo 36; *Maledicentes ei disperibunt;* Levit. c. 24 : *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur;* tum ex SS. PP. *Nihil horribilius blasphemiâ*, inquit S. Hieronymus, lib. 7 in Isaiam, cap. 18, *quæ ponit in excelsum os suum;* tum et Ratione, quia quælibet Dei contumelia est gravis injuria et contemptus Dei, infinitam ejus deprimens majestatem; solùmque venialis fieri potest ex

defectu sufficientis advertentiæ. Imò qui ex pravâ consuetudine, linguâ mentem prævertente, proferre solent blasphemias materiales et prorsùs indeliberatas, tenentur sub peccato mortali efficere et conari ut consuetudinem hanc corrigant; aliàs enim illæ blasphemiæ sunt voluntariæ in causâ, nempè in tali consuetudine non retractatâ. Cæterùm, gravior est quæ in Deum immediatè, quàm quæ in Sanctos profertur blasphemia, quia gravius est Deum in seipso contumeliâ afficere, quàm repræsentatum in Sanctis. Ut autem blasphemia sit mortale peccatum, non requiritur formalis intentio Deum inhonorandi, sed sufficit virtualis, cùm quis, v. g., ex irâ, vel indignatione, aut joco, ea liberè profert quæ, ex communi intelligendi modo aut ex circumstantiis, Dei inhonorationem continent.

Tandem observandum est, 1.° sedulò Confessarios expendere debere an pœnitentes qui blasphemiæ se reos accusant, blasphemiam reipsà, an solummodò juramentum, vel obscena verba admiserint; an blasphemiam hæreticalem aut imprecativam: præter enim peccatum contra religionem, prior continet peccatum contra fidem, aut externam ejus professionem, posterior verò continet et odium Dei; an blasphemiam immediatè contra Deum, vel B. Virginem aut alios Sanctos: eæ enim specie differunt; an ex inveteratâ consuetudine peccaverint, necne. 2.° Appellationem nominis Dei, vel Jesu aut Sanctorum, non ex contumeliâ, sed per modum loquendi, ut, *O Jesu! O bone Deus!* licèt non sit blasphemia, vanam tamen esse Dei nominis usurpationem, et ideò à veniali culpâ excusari non posse, ut probatur tum ex Script. Eccli.

c. 23 : *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis*, id est, à peccato irreverentiæ contra eos; tum Ratione, quia sanctum et terribile nomen Dei, sine ullo religionis sensu, usurpare tanquam aliquid profanum, vera est irreverentia. 3.° Assiduam dæmonis nominationem, licèt absque imprecatione, sed per modum loquendi, cùm Christianum non deceat, omninò vitandam esse; atque etiam, ratione scandali, grave peccatum fieri posse notant vulgò Theologi.

De Tentatione Dei.

Tentatio Dei, prout hìc sumitur, est dictum, vel factum, aut omissio, ad capiendum experimentum potentiæ, sapientiæ, alteriusve divini attributi, per extraordinarium effectum à Deo temerè exspectatum; istudque dupliciter fieri potest : 1.° *explicitè* et cum directâ intentione, ut contigit illi Monacho qui, referente Cassiano, Collat. 2, in puteum se projecit ad explorandam Dei in se providentiam. Hùc pertinent eæ probationes justitiæ vel innocentiæ, quæ fiebant olìm candenti ferro, aut aquâ fervente, vel duello; 2.° *implicitè*, cùm quis ad obtinendum finem ordinariis uti mediis negligit, v. g., remediis ad sanitatem recuperandam, cibis ad vitæ sustentationem, studio ad tractandum dignè Dei verbum, præparatione ad Officii divini recitationem.

Omnis tentatio Dei prohibetur, Deut. c. 6, et Matth. c. 4 : *Non tentabis Dominum Deum tuum;* estque per se peccatum mortale, quia creatura sine gravi irreverentiâ præsumere non potest fu-

turum ut, pro ejus arbitrio, leges suas immutet Deus et operetur miracula. Fieri tamen potest ut tentatio aut nonnisi sit veniale peccatum, ut si quis nec intendat, nec cogitet actionem suam ad Dei tentationem pertinere; aut etiam absque ullo peccato fiat, ut præstitit Abraham, Gen. c. 15; si nempè cum prudentiâ et humilitate, atque ex S. Spiritûs impulsu, miracula petantur à Deo.

De Sacrilegio.

Sacrilegium strictè dictum est violatio seu indigna tractatio rei Deo dicatæ et ad ejus cultum specialiter destinatæ. Cùm autem triplicis generis sit res sacra, scilicet persona, locus, et res aliæ, ideò tres sunt sacrilegii species, *personale, locale*, et *reale*.

1.° Sacrilegium *personale* est illud quo indignè tractatur persona sacra, ut Clericus, vel Religiosus, etiam simplex Novitius. Pluribus autem modis fieri potest; nimirùm si injustè percutiatur, aut alia quælibet actio violenta et contumeliosa, contra privilegium Canonis, *Si quis, suadente diabolo*, in eam exerceatur; si, contra privilegium Fori (ubi adhuc viget tale privilegium), foro seculari subjiciatur; si irrationabiliter publicis subjiciatur oneribus, contra immunitatem ecclesiasticam; si ipsa voto castitatis adstricta, peccet contra castitatem, aut alii cum illâ; hæc verò, breviter dicta, paulò fusiori indigent explicatione.

Dupliciter igitur sacrilegium admitti potest contra personas sacras, scilicet aut per luxuriam, aut per violationem privilegiorum ipsis Jure concessorum: 1. per luxuriam; undè personæ Deo consecratæ per votum solemne sacræ Ordinationis

aut religiosæ Professionis, vel etiam, ex probabili sententiâ, per simplex castitatis votum, hujus, inquam, personæ luxuria quælibet triplicem complectitur malitiam, aliam contra castitatem, aliam sacrilegii, aliam perfidiæ contra votum. Similiter, ipsi laici cum tali personâ scienter delinquentes sacrilegii rei sunt. 2. Per violationem privilegiorum, tum Canonis, tum Fori : Canonis quidem, id est, cùm injustè, et suadente diabolo, percutiuntur Clerici aut Monachi, sive professi, sive non; cùm injustè detinentur, aut quovis modo ignominiosè tractantur per vim tactu physico, saltem mediato, consummatam, ut fusiùs exponitur in *Tractatu de Censuris*. Percussio autem Clerici aut Monachi, si enormis sit et notoria, reservata est Sum. Pontifici; si verò non enormis quidem, sed tamen ita gravis sit, ut, spectatis circumstantiis, peccati mortalis censeatur materia sufficiens, reservata est Ordinario loci, et in utroque casu annexam habet excommunicationis censuram ipso facto. Hanc tamen excommunicationem non incurrunt pueri clericali Tonsurâ initiati, qui in rixâ pugnis sese percutiunt, quia non censentur sese grandi contumeliâ afficere. Fori verò privilegium (iis in locis ubi tale privilegium etiamnùm perseverat) in prædictis personis violatur, cùm in causis, sive civilibus, sive criminalibus, excepto casu privilegiato, ad seculare tribunal provocantur Clerici in sacris constituti, aut alicujus Ecclesiæ ministerio addicti, aut demùm habitu clericali vacantes studiis in scholis, aut etiam cùm publicis oneribus contra ecclesiasticam immunitatem privatâ auctoritate subjiciuntur.

2.° Sacrilegium *locale* est violatio loci sacri,

seu cujusvis loci publicâ Episcopi auctoritate per consecrationem aut benedictionem deputati, vel ad Sacrificium Missæ, vel ad Sacramenta, aut divina Officia, vel ad corpora fidelium sepelienda. Tripliciter autem violatur locus sacer : 1. per actus quibus polluitur, quales sunt injusta hominis occisio, effusio illicita et publica sanguinis aut seminis humani, sepultura excommunicati vel hæretici denuntiati, aut alicujus non baptizati. 2. Per actus qui, licèt eum non polluant, ejus tamen adversantur sanctitati, quales sunt occulta etiam pollutio libera, mercatus, sententia Judicis secularis, confabulationes, convivia, etc., sine necessitate. 3. Per actus qui ipsi materiali loco vim inferunt, ut si Ecclesiæ fores effringantur, si templa bonis suis spolientur. Quibus additur, ex probabiliori sententiâ, furtum rei etiam profanæ in loco sacro, ut crumenæ occulta abscissio, ut probatur ex cap. *Quisquis*, causâ 17, quæst. : *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.*

3.° Sacrilegium *reale* est indigna tractatio rei sacræ distinctæ à personâ et loco; dupliciter violatur res sacra, 1. positivè, cùm indignè tractatur, ut fit per indignam administrationem vel susceptionem sacramentorum, per profanationem Reliquiarum, Imaginum et Vasorum sacrorum, per abusionem verborum Scripturæ, non solùm ad confirmandos errores, sed etiam ad res purè profanas, ut docet Conc. Trid. Sess. 4, Decreto de canonicis Scripturis; per abusum Vestium sacrarum, invasionem bonorum et jurium Ecclesiæ, et suppressionem piorum legatorum. 2. Negativè, cùm non custoditur eâ curâ quâ decet, ut si Vasa sacra, Pallæ, Corporalia præsertìm, non

teneantur satis munda; si permittatur sacras Species in pixide corrumpi; si Eucharistia sub clavi non asservetur.

Ad sacrilegium etiam refertur cujuslibet voti violatio, quia per votum res Deo dicatur, nec ad alios usus sine impietate destinari potest.

Sacrilegium est ex genere suo mortale peccatum, quia per illud Deus in rebus sacris inhonoratur. Est autem tantò gravius crimen, cæteris paribus, quantò sanctior est res quæ violatur; sic persona est loco sacratior, quia sanctitas loci ad hominis sanctitatem ordinatur, ut legitur II Mach. c. 5. Sic gravius est sacrilegium commissum in Episcopum, quàm in Presbyterum; contra locum in quo asservatur Eucharistia, quàm in quo solùm est altare. Dico autem, *cæteris paribus*, quia enormis effractio templi cum ejus exspoliatione gravius est crimen levi percussione Clerici. Potest tamen sacrilegium esse veniale ob levitatem materiæ, qualis est levis indecentia in susceptione sacramenti, vel si quis in transitu per Ecclesiam vendat aut emat aliquid sine morâ in paciscendo; quia verò omnia sacrilegia non sunt ejusdem speciei infimæ nec gravitatis, in Confessione debet exprimi in quâ re fuerint commissa.

§ II.

De variis Superstitionis speciebus.

Superstitio est inordinatus cultus veri vel falsi numinis; undè duplex est generatim, una ex parte rei quæ colitur, cùm non debet coli, et est cultus falsi numinis; et alia ex parte modi quo colitur res cultu digna, et est cultus veri numinis, inordinato modo exhibitus.

Superstitionis, ex parte rei quæ colitur, quinque sunt species : nimirùm idololatria, quâ creaturæ impenditur honor soli Deo debitus; divinatio, quâ quæritur à dæmone rerum occultarum scientia; vana observantia, ad quam revocantur magia et maleficium, quâ dæmonis exspectatur auxilium ad varios effectus obtinendos.

Duplex est, ex parte modi colendi Deum, superstitionis species, nempè cultus falsus, et cultus superfluus. De iis omnibus superstitionis speciebus agendum est.

De Idololatriâ.

Idololatria idem est ac idoli latria, id est, cultus divinus exhibitus creaturæ : ex communi autem usu, idolum significat id omne quod colitur ut Deus, cùm Deus non sit.

PROPOSITIO.

Certum est idololatriam præcepto divino et naturali esse prohibitam.

Prob. tum ex I Decalogi præcepto, quod sic expressum est: *Non habebis Deos alienos coram me ;* et de idolis ait : *Non adorabis ea , neque coles* , id est, *non adorabis interiùs , neque coles exteriùs* , ut ait Glossa; tum ex ipso dictamine Rationis naturalis, apertè docentis creaturæ non esse tribuendos divinos honores. Imò S. Thomas, 2.ª 2.æ, quæst. 94, art. 3, ait idololatriam ex se esse gravissimum peccatum, licèt ex parte ipsius peccantis aliud peccatum possit esse majus. *Sicut enim in terrenâ Republicâ,* inquit, *gravissimum esse videtur quòd aliquis honorem regium alteri impendat quàm vero regi, quia, quantùm in*

se est, totum Reipublicæ perturbat ordinem; ita in peccatis quæ contra Deum committuntur, quæque sunt maxima, gravissimum esse videtur quòd aliquis honorem divinum creaturæ impendat, quia, quantùm in se est, facit alium Deum in mundo, minuens principatum divinum.

Triplicis generis est idololatria, scilicet *perfecta, imperfecta* et *simulata.*

Idololatria *perfecta* dicitur, cùm quis idolo divinum honorem exhibere intendit, falsò existimans illud esse Deum : quod peccatum sine dubio gravissimum est, includens etiam infidelitatem, et in homine baptizato includens apostasiam à fide, ratione cujus incurreret pœnas Hæreticorum.

Idololatria *imperfecta* dicitur, cùm quis sciens unum esse Deum, nec proindè credens in idolo esse divinitatem, tamen ex summâ perversitate voluntatis vult ipsi deferre honorem divinum, vel ex odio et formali contemptu Dei, vel ex desiderio aliquid à dæmone obtinendi, aut ex alio pravo affectu. Hæc autem idololatria, quamvis non habeat errorem intellectûs adjunctum, gravissimum est peccatum, imò priori deterius, quia cum majori cognitione et malitiâ committitur.

Deniquè idololatria *simulata* dicitur, quandò quis, sine æstimatione divinitatis in idolo, et sine interno affectu submissionis, huic tamen exhibet exteriùs cultum latriæ, v. g., ob mortis metum, et hæc idololatria est etiam peccatum mortale, quia est mendacium perniciosum contra præceptum confitendi fidem, honori divino valdè injuriosum et hominibus scandalosum. Hinc Ecclesia tantoperè horruit eorum crimen qui vel gravissimorum tormentorum metu thus idolis

adolebant. Hinc S. Augustinus, lib. 6 de Civitate Dei, cap. 10, graviter arguit Senecam: *Quia*, inquit, *illustris populi Romani Senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat... eò damnabiliùs quòd illa, quæ mendaciter agebat, sic ageret ut eum populus veraciter agere existimaret.* Vide S. Thomam, quæstione citatâ 94.

De peccatis Magiæ, Divinationis, vanæ Observantiæ et Maleficii.

Divinatio est significatio vel inquisitio occultorum ope dæmonis expressè vel tacitè invocati. Dicitur, *occultorum*, id est, eorum quæ humanâ industriâ cognosci nequeunt. Hæc autem vel à solo Deo possunt cognosci, qualia sunt secreta cordium ac futura libera, et eorum inquisitio ope dæmonis tacitam quamdam importat idololatriam, quâ dæmoni tribuitur quod soli Deo convenit; vel à dæmone naturaliter cognoscuntur, et eorum inquisitio implicitam saltem dæmonis invocationem supponit.

Vana observantia superstitio est quâ effectus intenditur per media vana et prorsùs improportionata, vel quâ quis observatione eventûs fortuiti suas actiones vanè dirigit. Non differt à divinatione, nisi quòd hæc ad cognitionem occultorum ordinetur, illa verò ad effectum externum, vel ad actiones dirigendas. Dixi, *per media vana*, id est, quæ nec à Deo, nec à naturâ vim ullam habent, nec ab Ecclesiâ ad quæsitum effectum sunt instituta.

Magia, quæ species est vanæ observantiæ, est ratio mira operandi, dæmonis industriâ. Hæc autem operatio intenditur, vel ad ostentationem,

aut commodum proprium vel alienum, et simpliciter dicitur magia; vel ad nocendum aliis, et dicitur maleficium.

Maleficium est ars aliis nocendi ope dæmonis; undè, præter oppositionem virtuti religionis, in quâ convenit cum aliis superstitionis speciebus, specialem continet malitiam contra charitatem et justitiam.

PROPOSITIO.

Certum est magiam, divinationem, vanam observantiam ac maleficium cum aliquâ dæmonis invocatione, esse graviter prohibita, sive explicita sit dæmonis invocatio, sive implicita.

Prob. 1.° *ex Script.* Deuter. c. 18, ℣. 10, 11, 12: *Nec inveniatur in te qui... Ariolos sciscitetur et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus.* Item, I Cor. c. 10, ℣. 20: *Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum;* namque, ut ait idem Apostolus, II Cor. c. 6, ℣. 15, 16, *quæ conventio Christi ad Belial? qui consensus Templo Dei cum idolis?*

Prob. 2.° *ex Jure* tum Civili, Cod. de Maleficis, tum Canonico, causâ 26, quæst. 5, et ex multis Sum. Pontificum Decretis.

Prob. 3.° *Ratione:* Lex enim naturalis docet fugiendam esse omnem societatem cum dæmone, ejusque invocationem ad aliquid sciendum vel faciendum.

Dixi 1.°, *cum aliquâ dæmonis invocatione;*

omnis enim magica et superstitiosa divinatio vel operatio postulat opem et interventum dæmonis ad hoc invocati; et, si occultorum cognitio quæreretur à Deo, à Bono Angelo, vel à Sanctis, vel arte naturali, non esset peccatum magiæ superstitiosæ, sed vel tentationis Dei, vel ineptæ et periculosæ curiositatis.

Dixi 2.°, *sive invocatio sit explicita, sive implicita;* potest enim illa fieri dupliciter: 1. expressè postulando à dæmone aliquam cognitionem aut operationem, vel expressis verbis rogando, vel expressâ intentione aliquid faciendo ut se immisceat, vel aliquid operando per quod scitur ipse dæmon cooperaturus, sive sit petitio simplex sine ullâ promissione vel pacto ex parte petentis, sive adjunctum habeat pactum expressum quo petens se obligat ad obsequium dæmonis vel ad perpetuam cum eo societatem, si ad divinandum vel operandum adjuvet. 2. Implicitè et tacitè dæmon invocatur, quandò seriò et cum reflexione adhibentur media vana et observationes inutiles, quæ ad occultorum notitiam vel ad aliquam operationem nullam vim habent neque naturaliter, neque ex institutione Dei: qui enim ea seriò adhibet, tacitè dæmonis opem petit, quamvis fortè non habeat intentionem illius invocandi; siquidem talis notitia quæsita, vel talis operatio, à solo dæmone potest exspectari, cùm constet hujusmodi media à Deo non esse instituta, nec à bonis Angelis adhiberi, nec ullam habere cum effectu connexionem.

Quandò autem invocatio est expressa, qualem adhibere solent magi, longè gravius est peccatum, quod habet etiam horrenda flagitia adjuncta: quamobrem hæc circumstantia invoca-

tionis expressæ necessariò est in confessione aperienda.

Invocatio tacita dæmonis, qualem vulgò faciunt Chiromantii et Physionomi, qui, ex manuum aut faciei lineamentis, vitæ diuturnitatem, morbos, et ipsas actiones liberè futuras prædicunt, et Augures qui ex avium garritu eadem colligunt, est quoque peccatum ex genere suo mortale, quod ex levitate materiæ veniale fieri non potest; quia, quantumcunquè parva videatur materia, initur societas quædam cum dæmone, et consequenter fit apostasia quædam à Deo, quod in Dei contemptum et diaboli honorem non parùm redundat. Potest tamen fieri venialis tacita invocatio, si interveniat ignorantia non crassa nec affectata, vel si superstitio non sit perfecta, id est, non fiat seriò et cum animo exspectandi effectum, sed tantùm jocandi: cavendum tamen ne petens vel consulens, etiam ex joco, peccet mortaliter, ratione scandali et cooperationis ad peccatum mortale aliorum qui seriò agunt.

Signa diabolicæ superstitionis sumuntur, vel ex parte effectûs producti, vel ex parte causæ producentis: ex parte effectûs producti, toties signum est magicæ superstitionis, quoties effectus productus superat omnem humanam industriam, et aliundè constat illum non esse à Deo; tunc enim necesse est ut sit à diabolo, v. g., præstigiosa mortuorum visio, momentanea translatio in locum remotum, transformatio, cognitio certa futurorum actuum liberorum: undè Astrologia judiciaria, quæ versatur circa actus liberos et eventus casuales, à Conciliis, SS. Patribus, et Sum. Pontificibus est reprobata, im-

primis ex Bullâ, *Cœli et terræ*, Sixti V, anno 1586 datâ. Imò et à Jure civili sæpiùs est prohibita. Adde quòd juxta Codicem Pœn. lib. 4, sect. 3, art. 479, n. 7, qui divinandi vel somnia explicandi artificium exercent, mulctâ pecuniariâ et etiam aliquandò carcere plectendi sunt; art. 480, ibidem.

Ex parte causæ producentis, signa sunt magicæ superstitionis, 1. si fiat expressa invocatio dæmonis; 2. si causa adhibita prorsùs insufficiens sit ad talem effectum producendum; 3. si causæ ex se efficaci adjungatur circumstantia vana tanquam necessaria; v. g., si proferantur nomina falsa, ignota, ridicula; si remedia componi debeant ex herbis tali die, v. g., S. Joannis, præcisè collectis; si jumentis vena debeat aperiri certâ die alicui Sancto dicatâ; 4. si adhibeantur res sacræ ad effectum vanum, vel inutilem, aut ad effectum ad quem nec à Deo, nec ab Ecclesiâ sunt institutæ, aut cum circumstantiâ vanâ tanquam necessariâ, v. g., si immergatur statua Sancti alicujus ad obtinendam pluviam, aut si ad impetrandam sanitatem requirat aliquis ut Missa celebretur cum ornamentis coloris incongrui, vel cum insolito cereorum numero aut colore; in his autem ultimis casibus, peccato magicæ superstitionis adjungitur sacrilega rerum sanctarum profanatio, in confessione declaranda.

Quæres 1.° an qui vanis illis utitur mediis, expressè excludendo pactum cum dæmone, sit ab omni peccato immunis.

Resp. negativè : Quia homo ille pugnantia vult et contraria; verbis enim non vult pactum expressum, actibus autem vult implicitum, quatenùs vult uti mediis quæ non nisi dæmonis in-

terventu utilitatem habere possunt. Neque refert quòd propter experientiam credat illa esse utilia, experientia enim est ab ipso dæmone procurata. Si verò bonâ fide credat esse à Deo, in hoc decipitur, et materialiter saltem faciet quod de se includit pactum tacitum; at poterit excusari vel à toto, vel à tanto, secundùm gradum ignorantiæ quâ laborat.

Quæres 2.° utrùm in confessione aperiendæ sint variæ species magicæ superstitionis.

Resp. eas esse ordinariè aperiendas: aperiendum, v. g., an sit divinatio, an vana observatio, an maleficium; aliqua enim ex his criminibus graviora sunt aliis, aut etiam distinctam specie malitiam habent adjunctam, eorumque diversa sunt remedia.

Quæres 3.° quotuplex sit divinationis species.

Resp. 1.° Divinatio ex parte pacti duplex est: alia nempè quæ fit cum expressâ dæmonis invocatione, alia quæ fit cum tacitâ solùm invocatione, ut suprà dictum est. 2.° Ex parte medii quod adhibetur, multiplex est; scilicet, Necromantia, quæ fit per mortuos in speciem suscitatos; Chiromantia, quæ per lineas manûs; Augurium, quod per garritum avium; Aruspicium et Auspicium, quæ per animalium viscera, motum, et numerum; Astrologia judiciaria, quæ ex situ et concursu siderum liberas hominum actiones prædicit; Sors divinatoria, quæ per sortes rei occultæ vel futuræ cognitionem inquirit, ut cùm ex cribri versione divinantur fures, aut ex taxillorum projectu prædicitur quis victoriam sit reportaturus; hæc tamen ex speciali Dei impulsu fieri potest et esse licita, undè eâ usus est Josue, c. 7. Est et alia divinatio per somnia,

quæ, extra casum extraordinariæ Dei operationis, verè utiquè superstitiosa est, Levit. c. 19, et Deut. c. 18, graviter prohibita.

Quæres 4.° quotuplex sit vanæ observantiæ species.

Resp. Alia est similiter quæ fit cum expressâ dæmonis invocatione, alia cum implicitâ et tacitâ. 2.æ Triplex est species : 1.a est *ars notoria*, quâ quis, ad scientiam aliquam repentè et sine studio acquirendam, adhibet media vana et improportionata, ut ignota verba, certas preces, aliquam potionem, etc.; 2.a *est observantia sanitatum*, quâ ad morbos curandos similiter usurpantur media vana aut vanis admixta circumstantiis, ut suprà explicatum est; 3.a est *observantia eventuum*, quâ quis ex eventu fortuito, putà ex inversione salinæ super mensam, ex offensione pedis in egressu, etc., aliquid prosperi vel adversi conjicit, et indè suas actiones moderatur; cùm enim ista nullam habeant vim naturalem aut supernaturalem ad ea mala vel prospera annuntianda, observantur ut signa vana, quibus cooperatur dæmon, ut animos hominum talibus vanitatibus implicet, et à Deo ac virtutibus avertat.

Quæres 5.° quid sentiendum sit de virgâ bifurcatâ, quam divinam seu divinatoriam vocant.

Resp. Licèt virgæ hujus, certo quodam modo adhibitæ, et in quibusdam circumstantiis, motum ac conversionem physicè explicare conati sint nonnulli, illius tamen usum in sequentibus casibus omninò vitiosum esse et superstitiosum, apud omnes facilè constare debet : 1.° ubi agitur de detegendis agrorum absconditis limitibus; ratio est, quia lapis ex hominum instituto ad constituendum agri limitem designatus nihil habet

physici quod non habeat alius lapis, ideòque virga quæ non movetur circa secundum, naturaliter moveri non potest circa primum. 2.° Quandò virgæ motus et conversio pendet ex agentis interiori intentione, adeò ut non moveatur illa nisi circa ea quæ inquiruntur; ratio est, quia causæ naturales et physicæ in iisdem circumstantiis eumdem semper et necessariò suum producunt effectum, independenter à cujuslibet liberè agentis intentione; ergo si virgæ motus pendeat ab eâ utentis intentione, non agit ut causa naturalis et physica; agit ergo virtute superioris agentis quod quidem non nisi diabolus esse potest. Jam verò, si in duplici præcedenti casu certò superstitiosus est virgæ usus, gravis ingeritur in quemlibet ejusdem virgæ usum superstitionis suspicio, ratione cujus in quibuscunque circumstantiis omninò reprobandus videtur.

Quæres 6.° an maleficium distinctam specie malitiam præter magicam superstitionem contineat; quibusque remediis uti liceat ad dissolvendum maleficium.

Resp. ad 1.um *affirm.* Cùm enim per maleficium proximo nocumentum inferatur, injustitiam continet, quam maleficus reparare tenetur, damnum illatum resarciendo.

Resp. ad 2.um Remedia maleficiorum alia sunt naturalia, alia supernaturalia, alia moralia. Quod spectat ad remedia naturalia, illa initio sumenda sunt ex præscripto medicorum, adhibendo ea quæ apta sunt ad purgandos humores, quibus utitur dæmon ad mentem vel imaginationem turbandam.

Remedia supernaturalia seu spiritualia sæpè magis prosunt, maximè oratio frequens cum magnâ

fide, spe, conscientiâ purâ, sacramentorum præsertìm Eucharistiæ usus, sacrificium Missæ, bona opera, præsertìm misericordiæ et humilitatis, jejunia, item exorcismi, aqua benedicta, Agnus Dei, aliæque res ab Ecclesiâ benedictæ, reliquiæ, cultus Angeli Custodis, signum sanctæ Crucis cujus comperta vis est contra dæmonis machinationem, invocatio nominis Jesu et Mariæ.

Moralia remedia sunt amotio vel destructio signorum magicorum vel annulorum, characterum, ligaturarum, etc., ad quorum præsentiam dæmon infert nocumentum.

Si enim certum sit ea sine novo maleficio dissolvi posse, ex communi sententiâ, licitum est cuilibet ea tollere vel maleficum ad id cogere, quia hæc dissolutio non includit societatem ullam cum dæmone aut ejus invocationem, sed potiùs hostilem cum eo animum significat. Verùm, si constet, aut probabile sit, vel dubium, maleficium à malefico sine novâ operatione magicâ dissolvi non posse, peccarent certè mortaliter qui eum quamvis paratum ad hoc inducerent, quia nunquàm licet ab alio petere id quod est intrinsecè malum, nec facienda sunt mala ut eveniant bona, inquit Apostolus.

De peccato Cultûs illegitimi.

Cultus illegitimus dicitur cultus quo reipsâ Deus inhonoratur, vel quia non sumuntur res aptæ ad colendum Deum, vel quia non assumuntur quandò et quomodò oportet. Vitiosum esse hujusmodi cultum et consequenter illicitum, per se patet, constabitque ex explicatione diversorum modorum cultûs illegitimi : nam alius est falsus, alius superfluus.

Cultus

Cultus falsus et perniciosus est ille qui in mendacio est fundatus : v. g., si quis Deum colere velit circumcisione aliisque cæremoniis judaicis, quæ Ecclesiæ sensu significant Christum nondùm venisse; item, si quis falsas reliquias proponat, vel falsis testimoniis, seu historiis, aut miraculis, doctrinam fidei et Religionis Christianæ confirmare velit.

Hæc enim mendacia in rebus ad Religionem pertinentibus sunt perniciosa, et ex genere suo mortalia, teste S. August. lib. de Mendacio, cap. 14 : *Primum est*, inquit, *ad evitandum capitale mendacium longèque fugiendum quod fit in doctrinâ Religionis, ad quod mendacium nullâ conditione quisquam debet adduci.* Non est igitur mentiendum in doctrinâ pietatis; magnum enim scelus est, et primum genus detestabilis mendacii.

Cultus superfluus dicitur ille qui mendacium non continet quidem, sed ex alio defectu inanis est, ex eo quòd adhibeatur, Dei colendi gratiâ, id quod non est secundùm Dei vel Ecclesiæ institutionem, aut communem consuetudinem; undè per id potiùs inhonoratur quàm colitur. Primo hoc vitio laborare solent rustici et idiotæ, quorum devotio et pietas in eo tota consistit, ut certum numerum precum, stationum, girationum, candelarum, jejuniorum, etc., observent, vel diebus Sabbati abstineant ab unguibus resecandis, nere nolint, etc., quamvis alia opera servilia exerceant. Secundo vitio laborant qui, contra Ecclesiæ statutum vel rubricas, cæremonias in Officio aut in Missâ addunt, vel devotionis causâ, contra expressam Concil. Trid. doctrinam.

Observant tamen Doctores multi superstitiones has cultûs superflui non excedere culpam venia-

lem, quandò ex bonâ intentione fiunt et ex ignorantiâ quæ affectata non sit aut crassa; quia tunc non videtur esse gravis in Deum irreverentia: erit tamen culpa mortalis, 1.° si adsit magia et pactum tacitum cum dæmone; 2.° si id fiat contra præceptum expressum in materiâ gravi, v. g., si fiat notabilis inversio in cæremoniis Missæ; 3.° si in cultu adhibeatur actio per se mala, ut turpis cantilena, etc.; 4.° si adsit contemptus Dei, vel rubricarum aut statutorum, vel aliorum scandalum.

Cæterùm, cùm illi modi cultûs superflui valdè sint diversi, et pro iis diversa dari debeant remedia à prudente Confessario, ideò distinctè explicandi sunt in confessione, quoties malitiam peccati mortalis attingunt.

CAPUT II.

De secundo Decalogi Præcepto.

SECUNDUM Decalogi præceptum his verbis continetur, Exodi, c. 20, ℣. 7: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà,* id est, temerè, sine causâ et absque reverentiâ, præsertìm ad confirmandum falsum: cùm autem præceptum hoc ex S. Thomâ, 1.ª 2.æ, quæst. 100, art. 5 et 6, spectet generatìm reverentiam Deo tribuendam, negativum quidem est primariò et directè, affirmativum verò indirectè et consequenter; quatenùs affirmativum, præcipit ut debita Deo reverentia exhibeatur, tum ea rectè faciendo quæ sub ejus

nominis attestatione promissa sunt, tum vota exsolvendo, tum etiam religiosè tractando quæcunque ad Deum pertinent, etc. At verò, quatenùs negativum, prohibet ne quid injuriosum in Deum committatur, ideòque proscribit non solùm juramentum irreligiosum et voti prævaricationem, sed et cæteras irreligiositatis species, blasphemiam, tentationem Dei et sacrilegium, de quibus suprà egimus. Superest ergo ut duplici sectione de juramento disseramus et de voto.

SECTIO PRIMA.

De Juramento.

Quoniam juramentum irreligiosum prohibetur secundo Decalogi præcepto, ab explicatione juramenti meritò incipimus, et quæcunque de eo dicturi sumus, septem articulis complectemur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Juramentum.

Juramentum est attestatio Dei ad confirmationem rei quæ asseritur, vel promittitur.

Dicitur 1.°, *attestatio*, id est, advocatio et assumptio Dei in testem, seu actio per quam Deus in testem adducitur.

Dicitur 2.°, *attestatio Dei :* juramentum enim fit ad confirmandum aliquid per infallibile testimonium, quale est solius Dei, qui nec aliquid ignorare nec mentiri potest. Juramenta ergo Ethnicorum per falsos Deos non sunt vera juramenta, nec obligant nisi fortè ex eorum conscientià erroneà : at juramenta per creaturas in quibus specialiter elucet sanctitas, bonitas, potentia vel majestas Dei, v. g., per Evangelium,

Reliquias, Crucem, Fidem Catholicam, Angelos, item per cœlum, terram, solem, etc., censentur vera juramenta; quia tunc non ipsæ creaturæ invocantur, sed tacitè vel implicitè Deus, qui in illis singulari modo elucet aut residet, assumitur in testem, sicut Christus Dominus, Matth. c. 23, ℣. 22, explicuit, dicens: *Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei et in eo qui sedet super eum.* Hoc autem intelligi debet de creaturis nobilioribus; nam juramentum per creaturas ignobiliores, v. g., per hanc paleam, vestem, etc., censetur illusorium, nisi intendatur vel addatur expressa relatio ad Deum, v. g., per hunc ignem Dei.

Dicitur 3.°, *ad confirmationem;* quia finis juramenti est confirmatio veritatis cum tantâ certitudine ut sufficiat ad finiendam omnem controversiam: *Omnis* enim *controversiæ finis, ad confirmationem, est juramentum,* inquit Apostolus, Hebr. c. 6, ℣. 16, ad quod requiritur et sufficit divinum testimonium, tanquam solum infallibile.

Dicitur 4.°, *rei quæ asseritur vel promittitur;* quibus verbis significatur præcipua juramenti divisio in *assertorium* et *promissorium.*

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Juramentum.

Juramentum multipliciter dividitur: 1.° quidem, ratione subjecti, in *internum* et *externum*: internum fit solùm in mente per verbum mentis; quarè fieri non potest nisi in ordine ad Deum, ad confirmandam promissionem interiùs ipsi factam: externum exprimitur exteriùs per verba vel

facta, et hoc subdividitur in *verbale*, *reale*, et *mixtum*. *Verbale* solis verbis peragitur; *reale* solis actionibus, v. g., manùs elevatione, contactu rerum sacrarum, etc.; *mixtum* verbis simul et actionibus, nempè quandò verbis attestationem Dei exprimentibus additur actio aliqua corporalis ad majorem solemnitatem et obligationem, v. g., contactus Evangelii.

2.° Dividitur, ratione formæ, in *invocatorium* et *imprecatorium*. *Invocatorium* fit per simplicem invocationem seu attestationem divini testimonii, quandò scilicet Deus advocatur solùm ut testis, v. g., *Deum testor, Testis sit mihi Deus, Per Deum, Per fidem Dei*, etc. Juramentum *imprecatorium* fit per exsecrationem seu imprecationem alicujus mali, quandò scilicet Deus advocatur etiam ut vindex qui puniat, si verum non sit quod asseritur vel promittitur, v. g., *Moriar, Dispercam, Sic Deus me adjuvet, Diabolus me rapiat, etc.* Quibus jurandi formulis, sicut malum imprecamur, si verum non dicimus, sic etiam bonum deprecamur, si verum dicimus..

Quoniam autem multæ sunt dubiæ juramenti formulæ, v. g., *Coram Deo loquor, Deus scit, Per fidem honesti viri, Sacerdotis, Principis*, etc., quæ non tam videntur Deum advocare in testem, quàm simplicem assertionem continere, vel ipsum loquentem significare veracem ac fidelem, pro iis ac similibus loquendi modis, unicam propono regulam in foro conscientiæ: nempè hæc haberi non debent pro juramentis, si ea proferens non habuit intentionem jurandi et Deum in testem invocandi; secùs, si talem intentionem habuit: ab iis autem ambiguis

juramenti formulis abstinere debent fideles, præsertìm verò Sacerdotes et Clerici, tum quia periculosa sunt, tum quia scandalum generant, juxta illud Eccli. c. 23, ℣. 17: *Indisciplinatæ loquelæ non assuescas os tuum, est enim in illâ verbum peccati.*

3.° Juramentum dividitur, ratione objecti, in *assertorium* et *promissorium*. *Assertorium* fit solùm ad confirmandam aliquam veritatem seu assertionem, v. g., *Testis est mihi Deus quòd nihil adversùs Petrum habeam odii; promissorium* verò, ad quòd reducitur *comminatorium*, est illud quo, ultra præsentem veritatem, adducitur Deus ad confirmandam aliquam promissionem seu obligationem in futurum; in quo quidem juramento promissorio semper includitur assertorium, quia, qui de aliquo opere faciendo jurat, ille Deum testem adducit, quòd scilicet in præsenti habeat voluntatem id faciendi, insuper verò Deum quasi testem seu fidejussorem facit se posteà opus facturum: v. g., *Per Deum juro me aureos mille tibi daturum.*

4.° Dividitur in *simplex* et *solemne*. *Simplex* est illud quod fit per simplicem et puram Dei invocationem, verbis signisve expressam. *Solemne* verò est illud quod fit peculiari ritu aut cæremoniâ secundùm legem aut consuetudinem verbis additâ; tale est juramentum quod fit tactis Evangeliis, arâ, cruce, etc., vel etiam coram Notario, testibus, etc.

5.° In *judiciale* et *extra judiciale*; in *absolutum* et *conditionale*; in *sincerum* et *dolosum*, etc.; quorum naturam, ut potè manifestam, definiri non est necesse.

ARTICULUS III.

An Juramentum sit licitum, et quænam Conditiones ad hoc requirantur.

PROPOSITIO.

Juramentum, si debito modo fiat, licitum est, et est actus religionis.

Propositio est de fide, contra Albigenses, Wiclefitas et Anabaptistas.

Prob. 1.° Deuter. c. 6, ℣. 13: *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis.* Et Psalmo 62, ℣. 12: *Laudabuntur omnes qui jurant in eo.*

Prob. 2.° Exemplo Sanctorum, Abraham, Jacob, Moysis; et S. Pauli, qui in Epistolis suis aliquoties juravit: imò de ipso Deo dicitur, Psalmo 109, ℣. 4: *Juravit Dominus*, etc.

Ratio est, quia juramentum est actus latriæ quo reverentiam exhibemus Deo tanquam majori, cujus testimonium sit omni alio majus et infallibile: ita S. Thomas, 2.ª 2.æ, quæst. 89, art. 4.

Neque dicas Christum prohibuisse omne juramentum, Matth. c. 5, ℣. 34, 37, cùm dicit: *Ego autem dico vobis non jurare omninò... Sit autem sermo vester, est, est; non, non; quod autem his abundantius est, à malo est.* Item Apostolum Jacobum, Epistolæ Cathol. c. 5.

Resp. enim his locis prohiberi solùm juramenta vana, vel juramenta per creaturas, quorum apud Judæos invaluerat consuetudo, non autem religiosa juramenta. Jubet quidem Christus ut abstineamus ab omni juramento, quantùm in nobis est, atque in communi colloquio et con-

versatione ; sic enim veraces vult esse discipulos suos ut quilibet iis credat nec jurantibus : at non prohibuit juramentum, ita ut in nullo casu sit licitum. Quod autem addit, quod amplius est, à malo est, sic explicat S. Thomas post S. Augustinum : A malo ex parte illius qui exigit juramentum, non ejus qui necessitate compulsus jurat. Simili modo explicanda sunt dicta quorumdam Patrum condemnantium juramenta vana, falsa, vel per creaturas facta.

Porrò, etsi juramentum ex se bonum sit, non est ideò frequentandum, sed est ex illorum bonorum genere quæ, positâ tantùm necessitate, sunt appetenda, ut medicina supposito morbo. Ita ex S. August. S. Thomas, ibidem, art. 5. Quocircà hæc veritas non est populis proponenda, ne in juramenta prorumpant incautè.

Tres autem conditiones ad licitè jurandum omninò requiruntur, juxta illud Jerem. c. 4, ℣. 2 : *Et jurabis, vivit Dominus, in veritate et in judicio et in justitiâ.*

1.ª Itaque conditio est veritas : ut vera et moraliter certa sit propositio quæ juramento confirmatur.

2.ª Conditio est justitia : ut res cum juramento promissa sit bona et honesta.

3.ª Conditio est judicium : ut res, quæ asseritur vel promittitur, sit gravis momenti ad hoc ut juramentum cum magnâ discretione, reverentiâ, et gravis necessitatis vel utilitatis causâ proferatur.

Quòd si una de his conditionibus desit, illicitum erit ac perversum juramentum, proindèque peccatum, ut mox dicemus.

ARTICULUS IV.

De Irreligioso Juramento assertorio.

Triplex est juramentum irreligiosum : 1.um quidem falsum, cui deest veritas; 2.um injustum, cui deest justitia et bonitas, seu quod fit pro re illicitâ; 3.um indiscretum, cui deest judicium, seu quod fit pro levi et vanâ causâ. Certum est illud triplex juramentum esse peccatum, tum quia per illud assumitur nomen Dei in vanum, quod expressè prohibetur secundo Decalogi præcepto; tum quia triplici illi juramento deest aliqua ex conditionibus c. 4 Jeremiæ requisitis ut sit licitum. Quæritur autem an triplex illud juramentum sit semper peccatum mortale.

§ I.

De Juramento falso, seu Perjurio.

PROPOSITIO.

Juramentum sine veritate præstitum est semper peccatum mortale ex naturâ suâ, quantumlibet levis videatur materia.

Prob. 1.° *ex Script.* Levit. c. 19, ℣. 12 : *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui.*

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Aug. Serm. 28, de Verbis Apostoli, cap. 2, sic loquitur : *Quia grave peccatum est pejerare, compendium tibi dedit Scriptura, noli jurare.* Et Epist. 47 aliàs 154 : *Sine ullâ dubitatione minùs malum est per Deum falsum jurare veraciter, quàm per Deum verum fallaciter :* atqui peccatum mortale est juramentum per Deos falsos præstitum; ergo à fortiori perju-

rium, quod est, inquit infrà S. Doctor, *Immane peccatum, à quo nos longè esse voluit qui omninò ne juremus admonuit.*

Prob. 3.° *ex pœnis* gravissimis perjurio impositis in Jure Canonico, causâ 22, quæst. 5, cap. 1, 2, 3, et in hoc ultimo sic habetur: *Si quis coactus pro vitâ redimendâ, vel pro quâlibet causâ vel necessitate perjurat, quia plus corpus quàm animam dilexit, tres quadragesimas pœniteat.* Alii verò jejunant tres annos, unum ex illis in pane et aquâ; et quæst. 1, cap. *Prædicandum,* Eutychianus Papa ait talem de perjurio pœnitentiam imponi debere, qualem de adulterio et homicidio sponte commisso, et de cæteris criminalibus vitiis.

Prob. 4.° *Ratione:* Quia qui jurat pro mendacio, quamvis levissimo, ille Deum testem adducit in confirmationem rei falsæ, quod in gravem semper irreverentiam Dei cedit, quatenùs per hoc dat intelligere, juxta mentem suam, Deum falli aut fallere posse, testificando ut verum quod falsum est.

Accedit censura hujus propositionis ab Innocentio XI damnatæ: *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia propter quam Deus velit aut possit damnare hominem.*

Cæterùm, triplex distingui potest modus jurandi sine veritate.

Primus est, si quis jurat id quod falsum esse novit, vel putat, quamvis contingat id esse verum; et hic modus est perjurium propriè dictum, seu mendacium juramento confirmatum, semper mortale, nisi desit advertentia.

Secundus modus est, quandò quis juramento confirmat id quod verum esse existimat, sed incautè et temerè, cùm certus non sit rem ita se

habere ut asserit; et hic modus, ratione periculi jurandi falsum, est etiam peccatum mortale perjurii, ut observavit S. Aug. de Verbis Apostoli, Serm. 28, superiùs citato, cap. 2 : *Homines falsum jurant, vel cùm fallunt, vel cùm falluntur. Aut enim putat homo verum esse quod falsum est, et temerè jurat.* Hoc autem peccatum fieri potest veniale ex parvitate periculi, putà, quia jurans aliquam adhibuit diligentiam, sed non omninò sufficientem, vel quia probabilibus indiciis rem novit, sed non omninò certis.

Huc pertinet prava consuetudo jurandi ad quodlibet dictum, non advertendo an verum sit quod juratur, necne : quæ consuetudo reprobatur in Scripturis, Eccli. c. 23, ℣. 9 : *Jurationi non assuescas os tuum; multi enim casus in illâ;* et ℣. 12 : *Vir multùm jurans implebitur iniquitate, et non discedet à domo ejus plaga :* item à S. Isidoro laudato, causâ 22, q. 1, can. 13, his verbis : *Non est contra præceptum Dei jurare, sed cùm jurandi usum facimus, perjurii crimen incurrimus.* Hæc ergo cònsuetudo constituit hominem in proximo periculo sæpiùs jurandi falsum, imò toties, quoties jurat sine ullâ cautione; ideòque, si quis hoc periculum advertens consuetudinem hanc non retractat efficaci proposito faciendi quod in se est ad illam emendandam, omnia ejus perjuria etiam indeliberata, quibus voluntariè se exponit, censebuntur voluntaria in causâ, nempè in tali consuetudine quam non vult exstirpare.

Tertius modus jurandi sine veritate requisitâ est, quandò quis ambiguè jurat, utendo scilicet amphibologiâ et æquivocatione; sed de hoc alibi.

§ II.

De juramento injusto.

Juramentum injustum dicitur quod fit de re illicitâ; estque vel assertorium, ut si, injustè detrahendo de Titio, jures eum esse mentitum, furatum, etc.; vel promissorium, ut si jures te mentiturum esse, vel furaturum.

PROPOSITIO PRIMA.

Juramentum promissorium, cui deest justitia, est peccatum mortale, saltem si sit de re mortaliter malâ.

Prob. 1.° ex cap. *Qui Sacramento*, causâ 22, quæst. 4, ubi sic legitur: *Qui Sacramento se obligaverit ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat; pro perjurio, uno anno à Communione Corporis et Sanguinis Domini segregatus, reatum suum eleemosynis, fletibus, et quantis potuerit jejuniis absolvat.* Ex quibus patet juramentum de re malâ esse grave peccatum, cùm et perjurium appelletur, et tanta pro eo pœnitentia imponatur.

Prob 2.° *Ratione :* Quia ita jurans vel non habet animum exsequendi, vel habet : si prius, strictè perjurus est, mendaciumque juramento confirmat, cùm juret se exsequi velle quod reipsâ non vult exsequi. Si posterius, tripliciter peccat, quatenùs 1. vult rem malam perficere; 2. quia Dei majestatem lædit, cui contumeliam infert, dùm eum testem vocat efficacis suæ voluntatis lethaliter peccandi; 3. quia Dei sanctitatem graviter offendit, dùm illius interposito nomine sese obfirmat in voluntate peccandi, sicque Deum facit

quasi fidejussorem mali. Quinimò juramentum de peccato veniali faciendo videtur etiam esse mortale, propter gravem injuriam quam continet: sicut enim peccat mortaliter qui mendacium leve juramento confirmat, quia magnam infert injuriam divinæ veracitati; ita à pari juramentum de faciendo peccato veniali debet reputari grave peccatum, propter gravem injuriam quæ fit divinæ sanctitati, quatenùs jurans veluti adducit auctoritatem Dei ut se obliget ad peccandum, quod est significare Deum confirmatorem mali. Dicunt tamen nonnulli esse duntaxat veniale peccatum, si jurans intendat solummodò Deum vocare testem præsentis dispositionis, non autem ex Dei interposito nomine se obstringere ad peccandum venialiter.

Addit S. Thomas, 2.ª 2.æ, quæst. 89, art. 7, peccaturum graviter eum qui juraret se non facturum aliquod bonum notabile, quamvis ad illud non obligetur, v. g., se non ingressurum religionem, quia ponit obicem Spiritui Sancto. Et Catechismus Romanus gravis peccati reum esse pronuntiat qui jurat se non servaturum consilia evangelica, quia tale juramentum includit contemptum Dei.

PROPOSITIO II.

Juramentum injustum rei mortaliter malæ assertorium est peccatum mortale.

Prob. Quia gravis est in Deum irreverentia, sanctum illius Nomen assumere ad cooperandum gravi peccato : atqui ita se gerit qui, v. g., detractionem mortaliter malam juramento confirmat; ergo, etc.

§ III.

De Juramento indiscreto.

PROPOSITIO.

Juramentum cui deest judicium, seu quod fit sine gravi causâ, est peccatum contra secundum præceptum Decalogi.

Prob. Exodi c. 20, ℣. 7 : *Nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà;* et ex verbis Jeremiæ suprà relatis, ubi inter conditiones ad juramentum licitum requisitas ponitur judicium seu discretio.

Difficultas est solùm an hujusmodi juramentum veniale sit, an mortale. At certè grave peccatum esse videtur; gravis enim Deo irrogatur injuria, cùm in rei inutilis confirmationem testis adducitur. Deindè, ex vi terminorum secundi præcepti Decalogi, prohibitum videtur duntaxat juramentum indiscretum : at illud specialiter Deus non prohibuisset, si ex se leve esset. Sed quælibet speculativè seligatur opinio, hanc regulam firmam sibi proponant sequendam in praxi Confessarii, nempè reos peccati mortalis habendos esse qui detinentur consuetudine non retractatâ jurandi sine attentione, sitne verum hoc an falsum quod jurare solent.

Cæterùm, quia pœnitentes juramenti nomine significant tum blasphemias contra Deum, tum imprecationes et maledictiones contra se et proximum, quæ peccata sunt valdè diversa, ideò prudentis Confessarii est pœnitentes de juramento se accusantes interrogare an juraverint ad aliquid asserendum, necne; si primum respondeant, in-

quiret an ad asserendum aliquid falsum vel dubium; si secundum, quæret quomodò, quibus verbis, quâ intentione vel advertentiâ juraverint, ut peccati speciem, malitiam, et sandalum agnoscat.

ARTICULUS V.

De Irreligioso Juramento promissorio.

Diximus in juramento promissorio veluti duas propositiones includi, alteram de præsenti, alteram de futuro. Quoad primam, juramentum est merè assertorium; quarè, si desit illi veritas vel judicium, eodem modo erit peccatum quo in præcedenti articulo dictum est. De secundâ propositione, quæ spectat tempus futurum, jam est agendum.

PROPOSITIO.

Juramentum promissorium affert obligationem faciendi quod juramento promissum est: ita ut voluntaria illius transgressio, si absque legitimâ causâ fiat, sit perjurium promissorium ex genere suo mortale, et speciali religionis præcepto prohibitum.

Prob. 1.° *ex Script.* Numer. c. 30, ℣. 3: *Si quis... se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit.* Et Matth. c. 5, ℣. 33: *Reddes autem Domino juramenta tua.*

Prob. 2.° *Ratione*. Quia religio graviter obligat ut homo faciat id esse verum quod juravit, ut ait S. Thomas, ne vel Deum faciat testem falsitatis, quantùm in se est, vel saltem ne, violando promissionem ipsius Dei testimonio confirmatam, auctoritatem ejus parvi pendere vi-

deatur, quod certè gravis est irreverentia, et peccatum ex genere suo mortale.

An autem perjurium promissorium possit fieri veniale per accidens, ratione parvitatis materiæ, non omninò constat.

Quidam auctores negant, quia, inquiunt, gravem semper includit injuriam, Deum adducere falsitatis testem. Quidam autem cum S. Antonino putant illud fieri posse veniale ex parvitate rei promissæ, præsertìm si materia illa parva non sit tota juramenti materia, sed pars duntaxat; v. g., si quis juraverit se daturum centum nummos, et aliquot asses retineat : secundùm hanc sententiam, non peccabit mortaliter, quia jurans non intendit ordinariè se obligare ad id totum quod verba rigorosè exprimunt, sed ad id tantùm quod moraliter significant.

Quæres an juramentum promissorium, si fictum sit et sine intentione jurandi emissum, obliget.

Resp. quamvis juramentum illud non sit propriè dictum juramentum, tamen gravem obligationem inducere ad id quod promissum est; 1.° quidem ratione justitiæ, quandò scilicet fictio jurantis damnum proximo attulit : hinc S. Isidorus, lib. 2 de Summo Bono, relatus causâ 22, quæst. 5, can. 9, ait : *Quâcunque arte verborum quisque juret, Deus tamen ita hoc accipit, sicut ille cui juratur, intelligit.* 2.° Ratione scandali quod sæpiùs sequeretur, si non fieret quod promissum est. 3.° Ratione religionis, quatenùs publica illa perjurii species in irreverentiam Dei cederet, cujus nomen adhiberet ad alios decipiendos : undè in foro externo sic jurans cogendus est ad servandum juramentum secundùm

ordinarium verborum sensum, ut ait Alexander III, cap. *Ex rescripto.*

Hinc etiam ab Innoc. XI damnata est hæc propositio: *Cum causâ licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

Cæterùm, quamvis perjurium promissorium non differat specie ab assertorio, sed sit irreligiosa Dei attestatio pro confirmatione falsi, sæpè tamen perjurium promissorium adjunctam habet malitiam specie diversam, propter aliud peccatum ipsi annexum, v. g., prævaricationem promissionis factæ proximo, quæ est ordinariè contra justitiam.

Superest ut examinemus causas legitimè excusantes ab obligatione juramenti promissorii: hujusmodi autem causæ, generaliter loquendo, duplicis sunt generis: aliæ enim impediunt ne obligatio contrahatur juramento promissorio; aliæ contractam jam obligationem auferunt.

ARTICULUS VI.

De Causis impedientibus ne contrahatur obligatio per Juramentum promissorium.

Causæ illæ sumuntur, vel ex parte jurantis, vel ex parte rei cum juramento promissæ, id est, materiæ juramenti.

Ex parte personæ jurantis, sæpè contingit ut impediatur obligatio juramenti promissorii: 1.° defectu libertatis sufficientis; 2.° si jurans habuit intentionem expressè limitatam; 3.° si habuit intentionem limitatam tacitè vel implicitè ex dispositione Juris aut ex receptâ consuetudine, quæ tria fusiùs explicanda sunt.

1.° Itaque defectus libertatis impedit quominùs

juramentum promissorium obligationem inducat; ratio est, quia, cùm obligatio illa sit sub peccato mortali, ad eam contrahendam ea saltem requiritur deliberatio seu libertas, quæ ad peccatum mortale sufficiat.

Hinc juramentum per vim aut metum gravem etiam injustè extortum obligat, quia vis et metus absolutè non repugnant libertati. Idem dicendum de juramento per dolum vel errorem facto (nisi dolus vel error versetur circa rei substantiam). Hinc qui juravit pecunias se daturum latroni, vel huic vero pauperi, quem falsò putabat cognatum, eleemosynam erogaturum esse, tenetur implere juramentum ex vi religionis, ut patet ex cap. *Debitores*, de Jurejurando. Qui tamen sic juravit, potest ante solutionem petere dispensationem seu relaxationem juramenti, ut patet ex cap. *Verum*, de Jurejurando; et, si jam solvit, jus habet petendi ut debitor compellatur ad restituendum, ex eodem cap. *Debitores*.

2.° Ab obligatione juramenti excusat expressa limitatio intentionis jurantis: certum enim est jurantem, si dolum non adhibuerit, non obligari ultra suam intentionem expressam, quibuscunque verbis, etiam generalibus, juraverit; quia, ut ait S. Gregorius, citatus causâ 22, quæst. 5, can. 11: *Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant. Divina verò judicia, talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* Quòd si jurans non addidit expressam limitationem, nec evidenter constat de ejus intentione, non obligabitur juramento, nisi juxta strictam interpretationem verborum, ut colligitur ex cap. *Ad nostram*, 3 de Jurejurando.

3.º Ab obligatione juramenti excusat limitatio tacita intentionis et subintellecta ex dispositione Juris vel ex consuetudine : in omni enim juramento insunt et subintelliguntur conditiones quædam generales, quamvis non exprimantur, et ad tres possunt revocari.

Prima conditio est, *si potuero*, vel, *si licitè potuero*, nam ad impossibile vel illicitum nemo potest obligari ; ita definit Nicolaus III, cap. *Contingit*, de Jurejurando, in Sexto.

Secunda conditio est, *salvo jure alterius*, præsertìm Superioris, ut patet ex cap. *Venientes*, de Jurejurando : sic juramentum servandi secretum non obligat, quandò reticeri non potest, sine gravi alterius damno. Juramentum aliquid faciendi non obligat, si Superior legitimè contradicat, vel irritet ex justâ causâ, vel dispenset.

Tertia deniquè, *si res in eodem statu manserint*, neque adveniat mutatio, quæ si fuisset prævisa, non fuisset quis juraturus, ut colligitur ex cap. *Quemadmodùm*, de Jurejurando. Hinc enim qui juravit se tali die jejunaturum, excusatur si eo die ægrotet, ut Doctores communiter censent, quorum hæc est regula, juramentum non debere extendi ad incognita, sive ad ea quæ, si in mentem venissent, jurans verisimiliter excepisset.

Addunt communiter Doctores in juramento subintelligi conditiones omnes particulares quæ supponuntur adesse in actu cui adjicitur juramentum, quia jurans non censetur voluisse se obligare nisi sub talibus conditionibus particularibus ; juramentum enim est accessorium quod sequitur naturam principalis ex regulâ 42 Juris in Sexto. Hinc jurata sponsalia non obligant eum

qui religionem ingreditur; et Clericus qui juravit residentiam potest abesse in casibus Jure concessis, ut colligitur ex cap. *Ex parte*, 2 de Clericis non residentibus.

Ex parte materiæ, impeditur ne juramento promissorio contrahatur obligatio, 1. si materia seu res promissa sit impossibilis, vel illicita ac sub peccato prohibita, quia ex regulâ 6.â Juris, *Nemo potest ad impossibile obligari;* et ex regulâ 58.â, *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum;* nam juramentum non est vinculum iniquitatis. Et probatur insuper ex cap. *Pervenit*, de Jurejurando, cap. *Si diligenti*, de Foro competenti. 2. Si juramento confirmata promissio, soli Deo facta, sit de re vanâ, vel indifferenti, vel minùs bonâ quàm sit res opposita, juramentum non obligat. Ratio est, quia Deo gratum non est ut, propter adductum ejus testimonium, fiant res vanæ, vel inutiles, vel minùs bonæ, omissis melioribus.

Neque Deus tunc dici potest fieri testis falsitatis; qui enim juravit, tacitè subintellexit, si *Deo magìs gratum sit*, vel *nisi aliter expedire videatur*. Hinc non obligat jurata promissio non exeundi domo, vel domum aliquam non ingrediendi, nisi facta sit ex aliquo motivo honesto aut utili, putà ad vitandam peccati occasionem; non autem, si ex indignatione.

Dixi, *si juramento firmata promissio, soli Deo facta sit;* si enim cedat in alicujus hominis vel communitatis utilitatem, aut Ecclesiæ commodum, semper obligat, quamvis de re indifferenti, vel minùs bonâ, dummodò sine peccato impleri possit: ratio est, quia in promissione homini factâ spectatur tantùm quid sit illi gra-

tius, non autem quid, pensatis omnibus, simpliciter melius sit, sicut in promissione Deo factâ.

ARTICULUS VII.

De Causis auferentibus obligationem juramenti promissorii.

Quinque sunt causæ propter quas juramentum promissorium desinit obligare : 1.ª est materiæ mutatio; 2.ª irritatio; 3.ª remissio seu condonatio; 4.ª dispensatio; 5.ª deniquè commutatio.

1.° Quidem, quoad mutationem materiæ, ex dictis constat obligationem juramenti promissorii cessare, quandò, mutatis circumstantiis, res jurata fit vel impossibilis juranti, vel illicita ob Superioris prohibitionem; hinc S. Isidorus, relatus causâ 22, quæst. 4, can. 5, ait : *In malis promissis rescinde fidem... impia enim est promissio quæ cum scelere adimpleretur*. In dubio tamen juramentum servandum est, quatenùs licitè potest servari.

2.° Quoad irritationem, certum est vinculum juramenti posse ab eo auferri qui est Superior jurantis, ut fusiùs dicemus sectione sequenti *de Voto*. Sic juramenta impuberum à patre vel tutore possunt irritari; sic maritus potest irritare multa juramenta uxoris; dico multa juramenta, quia Superiores non possunt irritare omnia juramenta subditorum, sed ea solùm quæ juri suo nocent.

3.° Quantùm ad remissionem, si juramentum promissorium principaliter factum sit in alicujus hominis commodum, obligatio ejus desinere potest per condonationem illius in cujus utilitatem illud factum fuerat, dummodò condonatio illa non

sit injustè extorta, ut patet ex cap. 1 de Jurejurando. Remissio autem hujusmodi expressa esse potest, vel tacita duntaxat, modò satis constet de intentione condonantis.

At, si juramentum principaliter factum sit in honorem Dei, quamvis in alicujus hominis gratiam, non poterit ab homine condonari istud juramentum, v. g., si quis juret se ingressurum religionem, daturum se eleemosynam pauperibus non designatis.

4.° Quoad dispensationem, constat juramenta soli Deo facta posse commutari vel dispensatione relaxari à Superiore legitimo, ut dicemus de voto; in hoc enim vota et juramenta æquiparantur.

Dixi, *juramenta soli Deo facta;* quia, si confirment promissionem homini factam et ab eo acceptatam, ordinariè relaxari aut commutari non possunt sine consensu illius hominis, quia, præter vinculum religionis, adest etiam vinculum justitiæ et jus homini acquisitum per promissionem acceptatam, quo jure privari non potest sine suo consensu. Sed ante acceptationem multi Doctores putant dispensationem hujus juramenti dari posse à legitimo Superiore, quamvis id fieri non debeat nisi gravi de causâ.

Potest autem aliquandò relaxari vel commutari promissio, etsi fuerit acceptata : 1.° quidem, ex S. Thomâ, 2.ª 2.æ, quæst. 89, art. 9, quandò dubium est an juramentum valeat, necne; vel an res promissa sit licita vel illicita, proficua vel nociva; 2.° quandò agitur de bono communi, v. g., si quis cum juramento promisit fore ut non denuntiet vel accuset reum, undè oriri posset criminum impunitas; 3.° quandò juramentum injuriâ, dolo, vi, aut metu fuit injustè extortum : in his enim

casibus Episcopus potest dispensare sine alterius consensu.

Cæterùm, quoad commutationem, observandum est juramenta pia, intuitu solius honoris divini facta, posse perindè ac vota proprio jurantis arbitrio commutari in opera apertè meliora, ex cap. *Pervenit*, de Jurejurando; sed non ita posse commutari juramenta in alicujus hominis commodum facta : ratio est, quia Deus meliori opere semper præsumitur esse contentus. At verò homo, in cujus utilitatem factum est juramentum, non est semper contentus opere absolutè meliori; ideòque, nisi sponte remittat aut adsit aliqua causa excusans, servari debet juramentum, ut patet ex cap. *Cùm contingat*, de Jurejurando.

SECTIO II.

De Voto.

Votum maximam habet affinitatem cum juramento promissorio, et Scriptura sacra, Num. c. 11, utrumque conjungit ac penè confundit : ideò, cùm eædem ferè sint regulæ ad utrumque pertinentes, explicationi juramenti statìm subjungimus explicationem voti, de quo quatuor quærenda sunt : 1.° quid sit; 2.° quotuplex sit; 3.° quænam sit obligatio non prævaricandi votum; 4.° quænam sint causæ excusantes ab hâc obligatione.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Votum.

Votum est *promissio voluntaria et deliberata Deo facta de meliori bono.* Ita S. Thomas cæterique Theologi.

Dicitur 1.°, *promissio,* id est, actus voluntatis

quo quis vult efficaciter se ad aliquod opus bonum obligare Deo : hinc votum non est simplex propositum aliquid faciendi sine obligatione, ut patet ex cap. *Litteraturam*, de Voto, quia qui tale propositum mutat, per se loquendo, non peccat : etenim in simplici proposito vult quidem homo rem aliquam amplecti, sed non sub pœnâ novi peccati ; at votum est spontanea fidei suæ seu fidelitatis obligatio, vovensque sibi novam intendit obligationem imponere rei faciendæ, tanquam Deo debitæ. Neque tamen requiritur ut promissio manifestetur per verba aut actiones, sicut in promissionibus homini factis, sed sufficit voluntas actualis sese obligandi Deo, quæ ipsi satis est cognita ; Deus enim intuetur cor.

In illâ voluntate se obligandi consistit tota essentia voti, ita ut ille, qui sine tali intentione solis verbis aliquid Deo promittit, non voveat : peccat tamen graviter contra religionem, quia dicta illa promissio gravis est in Deum irreverentia.

Contrà verô validè vovet, qui habet veram intentionem se obligandi, qualem habet quicunque sciens naturam et vim voti votum emittit : item, qui vovere intendit juxta modum ordinarium quo alii vovent, quamvis fortè ignoret conditionem aliquam accidentalem voti. A fortiori validè vovet, qui promittit quidem aliquod bonum Deo cum intentione se obligandi, quamvis simul habeat voluntatem non adimplendi. Ratio horum est, quia voluntas explicita aut saltem implicita se obligandi unicè pertinet ad essentiam voti, voluntas autem adimplendi est tantùm requisita ut votum licitè et rectè fiat. Hinc peccat mortaliter qui vovet cum intentione non exsolvendi votum, quia, sicut prævaricatio voti est peccatum mortale

tale ex genere suo, ita etiam propositum illud prævaricandi.

Dicitur 2.°, *promissio deliberata*, id est, facta cum eâ saltem advertentiâ et libertate quæ sufficiat ad peccandum mortaliter, juxta communem Doctorum sententiam. Cùm enim obligatio voti sit omnium judicio res gravis momenti, ut potè sub peccato mortali obligans, magnam considerationem et plenum libertatis usum requirit : necessaria tamen non est diuturna deliberatio, vel mora temporis, ex cap. 2 de Voto, sicut nec ad peccatum mortale requiritur. Nam qui potest se obligare diabolo, potest etiam se obligare Deo, ait Glossa in cap. *Mulier*, causâ 32, quæst. 2. Hinc invalidum erit votum nec obligabit, si quis voveat ex surreptione, ebrietate, vel ex passione vehementi aut metu ita abreptus, ut non habeat usum rationis plenum et sufficientem ad peccandum mortaliter. Si verò passio, vel metus, relinquat usum sufficientem ad peccatum mortale, validum quidem erit votum, sed faciliùs commutari poterit, aut per dispensationem relaxari.

Quòd si metus gravis, relinquens tamen usum rationis, à causâ liberâ sit injustè incussus ad extorquendum votum solemne in aliquâ religione, irritum est jure ecclesiastico, ut docent communiter Theologi : necessaria tamen est Judicis ecclesiastici sententia quæ id declaret. Quoad votum simplex, aut etiam solemne sacris Ordinibus annexum, si simili metu sit extortum, divisi sunt inter se Doctores; alii simpliciter affirmant omnia hujusmodi vota eo ipso nulla esse, ita Bonacina, Collator Andegavensis, *Habert*, P. *Antoine*, *Collet* : dissentiuntque solùm quo jure ea sint irrita, an solo jure ecclesiastico, an

etiam jure naturali. Alii generatim pronuntiant prædicta vota esse valida, nec nisi viâ dispensationis exstingui posse. Cæterùm, facilè consentiunt omnes, in hâc sententiarum varietate, tutiorem in praxi tenendam esse sententiam, atquè vel servandum esse votum, vel obtinendam dispensationem; undè etiam hodierna praxis est, ut ad Sum. Pontificem recurratur pro obtinendâ super voto sacris Ordinibus annexo dispensatione, cujus rescriptum dirigitur ad Officialem locorum.

Hinc etiam invalidum est, 1.° votum factum ex errore, seu ignorantiâ substantiæ actûs vovendi, v. g., si quis voveat, nesciens votum obligare. 2.° Invalidum est votum, si quis voveat ex ignorantiâ conditionum substantialium materiæ voti, v. g., si quis voveat aliquam religionem, nesciens votum quod in tali religione emittitur, imò intendens se non obligare ad illud. Item invalidum est votum propter ignorantiam circa causam finalem directè intentam et principaliter motivam voti, v. g., si quis voveat peregrinationem pro valetudine patris quem putat ægrotare, cùm jam obierit, vel sanatus sit. 3.° Deniquè invalidum est votum factum ex ignorantiâ accidentalium quidem conditionum materiæ voti, sed tamen adeò gravium et tanti momenti, ut moraliter, et secundùm prudentem conjecturam, existimentur pertinere ad substantiam voti, v. g., si quis voveat peregrinationem Jerosolymitanam, existimans eam fieri posse sine navigatione, vel paucis diebus; item, si quis voveat se ingressurum religionem Carthusianorum, nesciens perpetuam eorum abstinentiam à carnibus. Ratio est, quia in his et similibus casibus ignorantia tollit consensum circa substantiam moralem ejus quod vovetur.

Contrà verò ignorantia circa conditiones accidentales tantùm et levis momenti non impedit quominùs votum sit validum, cùm vovens verè consentiat in id quod principale est, seu in substantiam voti. Hinc, si quis voveat se ingressurum religionem, existimans quædam exercitia non esse adeò onerosa, tenet ejus votum.

Dicitur 3.°, *promissio facta Deo;* quia votum, cùm sit actus religionis et latriæ, ut docet S. Thomas, soli Deo fieri debet : undè quæ interdùm dicuntur fieri Sanctis, v. g., Beatissimæ Virgini, aut S. Petro, etc., vel non sunt propriè vota, sed promissiones religiosæ pertinentes ad cultum duliæ, si ipsis Sanctis immediatè fiunt; vel, si sunt vera vota, fiunt soli Deo et in honorem tantùm Sanctorum, quatenùs fiunt de aliquâ actione faciendâ ad Sanctorum cultum pertinente aut cum invocatione Sanctorum, aut quatenùs saltem offeruntur Sanctis ut ipsi Deo offerant.

Dicitur 4.°, *de meliori bono;* quibus verbis significatur qualis esse debeat materia voti.

1.° Enim oportet ut votum non sit de re malâ et peccaminosâ, sive sit mala in se, ut in voto occidendi hominem, sive ex fine principali et immediato voti, qui scilicet non solùm voventis voluntatem, sed et voti materiam ac objectum inficiat, ut in voto dandi eleemosynam principaliter ad obtinendam vindictam, vel ad rem turpem consequendam. De his votis sic loquitur S. Isidorus, relatus causâ 22, quæst. 4, cap. 5 : *In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum; quod incautè vovisti, ne facias; impia est enim promissio quæ scelere adimpleretur.* Graviter ergo peccat qui vovet Deo ali-

quid illicitum; hic enim videtur Deum irridere, et ipsi injuriam comminari. Si quis verò coram pluribus, quorum laudes aucupari conatur, voveat religionem, valet votum; quia non refertur ad rem malam, licèt res mala ad vovendum impulerit. Non valeret autem votum dandi eleemosynam ad vanam gloriam captandam, ita ut largitio eleemosynæ ex vanâ gloriâ facienda esset.

2.° Requiritur ut votum non sit de re vanâ et omninò indifferenti; Deus enim non curat de ejusmodi promissione.

3.° Ut non sit de re minùs bonâ quàm sit res opposita, id est, carentia rei promissæ, quia res Deo grata esse non potest, nisi sit bona et honesta, et majus bonum non impediat; hinc, per se loquendo, non obligat votum nubendi, quia ordinariè, et extra specialem obligationem, melius est non nubere.

Colliges ex dictis ad validitatem voti quinque necessariò requiri: ut promissio sit 1.° vera; 2.° libera; 3.° Deo facta; 4.° de re meliori quàm sit res opposita; 5.° de re possibili: nam, ex regulà Juris, *Nemo potest ad impossibile teneri.*

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Votum.

Votum multipliciter dividitur à Theologis: præcipuas tantùm divisiones hic exponemus.

1.° Itaque dividitur, ex parte actùs vovendi, in *absolutum* et *conditionatum.* Votum *absolutum* dicitur illud quod fit simpliciter et sine conditione, v. g., voveo jejunium tali die. *Conditionatum* est illud quo res aliqua promittitur sub conditione, quæ conditio suspendit obligationem voti donec ea impleatur, v. g., voveo

peregrinationem, si sanitas patri restituatur. Attamen quandò conditio est de præsenti, vel de præterito, vel de futuro necessario, votum non censetur conditionatum, neque suspendit obligationem, quia conditio est vel censetur jam in re posita. Hinc statìm obligat votum sic emissum; voveo religionem si pater vivit, vel si jam obiit, vel si sol cras oriatur.

Prætereà, votum conditionatum aliud est *pœnale*, aliud *merè conditionatum*. *Pœnale* est illud quo promittitur aliquid faciendum in vindictam criminis, si contigerit illud à vovente committi; v. g., voveo eleemosynam, si inebriatus fuero. Imò aliquandò non solùm promittitur pœna sed fuga illius delicti; v. g., voveo me non ampliùs inebriandum, et, si contrà fecero, me religionem ingressurum: quo in casu duo sunt vota, unum absolutum et statìm obligans, scilicet me non inebriandi, aliud verò conditionatum et pœnale, nempè ingrediendi religionem, si hoc peccatum commiserim. Votum *purè conditionatum* est illud quod non fit sub conditione delicti futuri et veluti in pœnam, sed sub aliâ purâ conditione.

2.° Votum dividitur, ex parte materiæ, in *personale*, *reale*, et *mixtum*.

Personale est promissio alicujus actionis vel omissionis personalis, ab ipsâ personâ vovente præstandæ, v. g., votum orandi, jejunandi, etc.

Reale est promissio pecuniæ vel alterius rei pretio æstimabilis, quæ non sit actio ipsius voventis, v. g., votum dandi eleemosynam, etc.

Mixtum utrumque complectitur, v. g., votum peregrinandi ad ædem Lauretanam, ibique offerendi calicem.

Vota personalia à solo vovente possunt impleri, ideòque post ejus mortem nullam relinquunt hæredibus obligationem ea adimplendi; at verò realia, et mixta in quantùm realia sunt, afferunt hæredibus obligationem ea adimplendi, juxta vires hæreditatis, non quidem ex vi religionis, sed ex vi justitiæ tanquam onera hæreditati annexa, saltem ex dispositione Legum canonicarum et etiam civilium, quandò legitimè constat de voluntate defuncti.

3.° Dividitur in *simplex* et *solemne*. Votum *simplex* est nuda promissio, sine solemnitate Deo facta, nec ab Ecclesiâ acceptata, ut jejunandi, religionem ingrediendi, etc. Votum *solemne* est illud quod cum certis solemnitatibus emittitur, et ut tale ab Ecclesiâ approbatur, ut fit per susceptionem sacrorum Ordinum, aut per professionem religiosam, in religione per Sedem Apostolicam approbatâ.

ARTICULUS III.

Quænam sit Obligatio votum non prævaricandi.

PROPOSITIO.

Datur præceptum divinum de voto adimplendo, illiusque prævaricatio est grave peccatum.

Prob. 1.° *ex Script.* Deuter. c. 23, ℣. 21: *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Item, Eccle. c. 5, ℣. 3, 4: *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio; sed quodcunque voveris, redde: multòque melius est non vovere,*

quàm post votum promissa non reddere. Item, I Tim. c. 5, ℣. 12, Apostolus, de quibusdam viduis loquens, ait: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, id est, violaverunt promissionem servandæ castitatis Deo factam. Ita enim SS. PP. et Concilia hunc textum interpretantur.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. August. Epist. 45, nunc 127, ad Armentarium, n. 8, sic loquitur: *Quia jam vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priusquàm esses voti reus, liberum fuit, quò esses inferior...; nunc verò quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed à magnâ iniquitate deterreo.*

Prob. 3.° *Ratione:* Quia virtus religionis exigit ut promissiones Deo factæ exsolvantur: *Si enim inter homines bonæ fidei contractus nullâ solent ratione dissolvi*, inquit S. August. apud D. Thomam, *quantò magìs promissio Deo facta solvi non debet!* Malitia ergo prævaricationis voti consistit in perfidiâ contra fidelitatem in implendis promissis vi religionis Deo debitam. Quòd si materia voti jam aliundè sit præcepta, illius transgressio duplicem habet malitiam: hinc fornicatio, post votum castitatis, non solùm est peccatum contra castitatem, sed etiam contra religionem.

Dixi, *prævaricationem voti esse grave peccatum*, quia gravis est injuria Deo facta; potest tamen fieri venialis, tum ex defectu advertentiæ, tum ex levitate materiæ, v. g., si modicum quid omittatur in voto rei gravis. An autem violatio voti totius quod est in materiâ levi, v. g., voti Salutationem Angelicam semel recitandi,

venialis esse possit, res est controversa; communior tamen sententia docet, eo etiam in casu solùm esse venialem.

Ea porrò in votis censetur esse gravis materia, de quâ posset dari præceptum sub mortali obligans, seu quæ, vel per se, vel ex circumstantiis, ad honorem Dei, aut spiritualem voventis utilitatem notabiliter conducit. Hinc qui semel non implet votum jejunandi, confitendi, Missam audiendi, etc., peccat mortaliter.

Colliges ex dictis non solùm graviter peccare eos qui vota sua violant, sed etiam, 1.° qui sine causâ præfinito tempore ea non implent; undè qui vovit jejunium tali die, peccat mortaliter, si eo die non jejunet, perindè ac si die ab Ecclesiâ statuto non jejunaret. 2.° Item, peccant mortaliter qui absque causâ, votorum, quorum etiam tempus non definierunt, exsecutionem notabiliter differunt, si illa sint in materiâ gravi: quanta autem dilatio sufficiat ad peccatum mortale vel veniale, non potest unâ regulâ definiri; hæc enim determinatio pendet tum ex materiâ voti, tum ex circumstantiis in aliquibus votis: v. g., in voto ingrediendi religionem, minor requiritur dilatio quàm in aliis, quia in dilatione minuitur obsequium religioni promissum.

Quæres 1.° an vovens possit aut etiam aliquandò debeat votum ante vel post præfixum tempus implere.

Resp. istud esse definiendum ex intentione voventis, aut ex naturâ voti. Tempus enim præfixum est vel præcisè ad non ultrà differendam solutionem, vel ad suspendendam obligationem: si fixum sit ad non ultrà differendam solutionem, 1. potest præveniri tempus; qui enim, v. g.,

dicit, *Non differam ultra mensem mea confiteri peccata*, certè potest etiam ineunte mense confiteri, nec ad hoc tenetur postremos mensis exspectare dies, quia tunc absolutè intra terminum obligat promissio. 2. Si prævideat vovens futurum esse impedimentum in posteriori parte temporis, tenetur prævenire terminum, et in priori parte implere votum, quia, cùm absolutè debeat illud implere in aliquâ præfixi temporis parte, consequens est quòd, si non possit in unâ, teneatur in alterâ. 3. Si ultra determinatum tempus voti differat observationem, debet posteà quamprimùm implere, sicut debitor, cui præfixus est mensis terminus ut solvat, à solvendo non est immunis elapso termino, sed posteà solvere tenetur. Si autem fixum sit tempus ad suspendendam obligationem usque ad talem terminum, ita ut res promissa huic determinatæ diei sit affixa, v. g., in honorem Sancti vel Mysterii, cujus memoria celebratur, tunc tempus præveniri non potest, quia talis promissio habet pro objecto tempus illud, prout ab alio quovis tempore, tum antecedente tum consequente, distinguitur, nec vovens vovit actum nisi tali die faciendum : undè ante illum diem non obligat votum; atque pari ratione, qui exsecutionem talis voti suo tempore omisit, licèt peccati pœnitentiam agere debeat, votum posteà implere non tenetur, quomodò qui die festâ non interfuit Sacro, sequenti die non ideò tenetur interesse.

Quæres 2.° quid agendum in dubio circa votum.

Resp. 1.° Qui certus de voto priùs emisso dubitat solùm de solutione, tenetur illud implere : etenim debito certo non satisfit nisi per solutionem certam.

2.° Si quis, æqualibus utrinquè nixus momentis, dubitet an voverit, tenetur ex probabiliori sententiâ votum servare, quia in dubiis tutior pars est eligenda; alioquin ille se peccandi periculo exponeret, dùm omitteret illud ad quod lege voti se teneri dubitaret. A fortiori voto tenetur, qui, sciens se vovisse, dubitat solùm an habuerit intentionem se obligandi, vel sufficientem advertentiam; actus quippe factus præsumitur ut fieri solet ac debet, nisi contrarium constet.

3.° Quandò solùm dubitatur de qualitate vel quantitate rei promissæ, votum explicandum est secundùm voventis intentionem; si de intentione non constet, hæc elicienda est ex conjecturis, ex materiâ, ex fine, aliisque circumstantiis. Si autem, his inspectis, dubium supersit, votum debet intelligi ad communem et usitatam verborum, quibus vovens usus est, acceptionem. Si tandem verba non recordetur, pars tutior eligi debet, ita S. Thomas in 4, dist. 38, quæst. 1, art. 3, ad Sextum.

ARTICULUS IV.

Quænam sint Causæ excusantes ab obligatione Voti adimplendi.

Causæ illæ ad quatuor possunt revocari, quas totidem paragraphis exponemus, et sunt, mutatio materiæ, irritatio voti, ejus dispensatio, deniquè commutatio.

§ I.

De primâ Causâ excusante, quæ est Mutatio materiæ.

Prima causa liberans ab obligatione voti est mutatio materiæ voti, quæ tripliciter fieri potest.

Primus mutationis gradus est, quandò post factum votum res promissa fit talis, qualis ab initio non potuisset voveri, v. g., quandò fit impossibilis, vel illicita, vel minùs bona quàm res opposita; tunc enim evidens est cessare obligationem voti, si impedimentum sit perpetuum; si autem perpetuum non sit, suspenditur tantùm obligatio voti, donec cesset impedimentum.

Secundus mutationis gradus est, quandò cessat finis principalis et proximus voti; tunc enim cessat vel suspenditur ejus obligatio, v. g., si quis vovit se daturum eleemosynam huic pauperi, quia pauper est, qui tamen posteà dives evadit; item, si votum fecit in gratiarum actionem pro sanitate patris, qui statìm post votum mortuus est.

Dixi, *quandò cessat finis principalis voti;* si enim cessat tantùm causa seu finis minùs principalis, non ideò votum desinet obligare; v. g., si quis vovit peregrinationem Lauretanam occasione invisendi amici, tenebitur etiam absente amico, ut patet ex cap. *Magnæ*, de Voto.

Tertius mutationis gradus est, quandò in actu promisso ita mutantur circumstantiæ, et difficultates adeò notabiles vel superveniunt vel deprehenduntur, ut res promissa secundùm prudentem æstimationem censeatur transire in statum notabiliter diversum, quem vovens ne implicitè quidem promisit; quo in casu, durante illâ notabili difficultate, nulla est voti obligatio : hinc, si quis, post votum faciendæ magnæ eleemosynæ, talem rerum suarum patiatur statum, ut nonnisi cum maximâ difficultate possit votum implere, ad id non obligatur. Cave tamen, inquit Card. Cajetanus, ne fallaris putans in variis casibus et eventibus votum non ligare, quia persona quandò

vovit, si hæc prævidisset, non fecisset votum; falsa enim est hæc imaginatio et destructiva omnium humanorum contractuum. Sic multi castitatem vovent et religionem profitentur, qui tales posteà tentationes ac difficultates patiuntur, quas si prævidissent, vovere noluissent, et tamen, omnium judicio, voto tenentur. Hæc enim omnia præcogitari poterant et debebant; quòd si non fecerint, sibi imputent et idonea adhibeant media ut votum implere possint. Votum quippe obligat secundùm mentem quam vovens habuit explicitè vel implicitè, et secundùm communem usum ac sensum prudentûm. Cæterùm, in difficilioribus hujusmodi casibus consulendi sunt peritiores.

§ II.

De secundâ Causâ excusante, quæ est irritatio Voti.

Secunda causa liberans ab obligatione voti est irritatio, id est, voti ipsius annullatio facta ab eo à cujus voluntate pendet persona ipsa sive voluntas voventis, aut saltem materia voti.

Irritatio duplex est, *directa* scilicet et *indirecta*. *Directa* et absoluta est totalis annullatio voti ab eo facta à cujus voluntate pendet persona ipsa seu voluntas voventis : sic, ex dispositione Juris canonici et Ecclesiæ consuetudine, voluntas impuberum ita pendet à patre vel ab eo qui patris locum tenet, v. g., à tutore, ab avo paterno, et eorum defectu à matre (licèt non sit tutrix, quia ad ipsam pertinet cura, si non sit alius qui impubis imbecillitati consulat), ut nihil vovere possint impuberes, nisi sub intellectâ conditione, si pater vel tutor consenserit aut non repugnave-

rit, qui proindè sicut ratificare, sic illud potest omninò exstinguere et simpliciter irritare; imò, secundùm multos Doctores, votum ab impube emissum, nec post pubertatem ratificatum, potest pater vel tutor irritare, etiam postquàm impubes pubertatem est adeptus. Id probant Doctores illi à pari, ex cap. ultimo de Sententiâ excommunicationis, in quo dicitur impuberes, qui excommunicationem incurrerunt ob Clerici percussionem, posse, etiam postquàm pubertatem adepti sunt, ab Episcopo absolvi. Verùm, quia in hujusmodi casibus parùm roboris habent argumenta à pari, tutius est ejusmodi irritationi adjungere dispensationem à Superiore ecclesiastico obtentam.

Quod de votis impuberum diximus, idem docent communiter Doctores, post S. Thomam, de votis Regularium professorum, quæ omnia directè irritari possunt à proprio Prælato, præter professionem ipsam religiosam et votum ingrediendi arctiorem religionem : probantque ex cap. *Non dicatis*, causâ 12, quæst. 1, et cap. *Si religiosus*, de Electione, in Sexto, in quo dicitur Religiosus velle et nolle non debere, sed ex Prælati voluntate pendere. Dico, *Regularium professorum;* novitiorum enim vota non possunt directè irritari, quia sunt adhuc sui juris.

Irritatio *indirecta* et minùs propria non est absoluta voti annullatio, sed potiùs ejus suspensio ab eo facta à quo non pendet quidem absolutè voluntas voventis, sed pendet materia talis voti, ita ut si tale votum impleretur, illius juri et potestati nocumentum esset allaturum; quarè, cessante tali nocumento et damno, iterùm reviviscet votum et obligabit.

Regula autem generalis circa irritationem in-

directam hæc est, scilicet cum qui jus habet in materiam voti, id omne posse facere post votum, quod ante votum facere poterat, ita ut jus illius nullatenùs ligetur voto supervenienti. Sic 1.° Sum. Pontifex et Episcopus, imò et Reges ac Domini temporales, possunt irritare subditorum vota facta de rebus quæ ante votum poterant illis legitimè prohibere, ex cap. *Magnæ,* de Voto. Sic 2.° potest maritus indirectè irritare ea uxoris vota quæ sibi ac familiæ suæ gubernationi nocent : non autem, ut fert probabilior opinio, alia vota, v. g., de brevibus orationibus, de castitate post viri mortem servandâ, de moderato jejunio. Sic etiam uxor potest ea solùm irritare mariti vota quæ juri suo adversantur, ut vota quæ impediunt mutuam cohabitationem. Sic 3.° pater indirectè tantùm irritare potest vota filiorum puberum non emancipatorum, quæ et quatenùs vergunt in damnum potestatis paternæ, qualia longæ peregrinationis aut eleemosynæ ex paternis bonis faciendæ vota. At non ita dicendum de votis castitatis, religionis, confessionis; in his enim puberes sunt sui juris. Similiter, curatores irritare possunt vota minorum, quæ officiunt eorum administrationi. Mater autem vel avia nihil possunt circa vota minorum, nisi quatenùs suscipiunt munus curatoris, vel quatenùs votum in illarum detrimentum fit, vel quia rem voto promissam prohibendi jus habent. Sic 4.° herus potest suspendere famuli vel ancillæ votorum exsecutionem, quatenùs solùm impediunt, vel imminuunt obsequium sibi debitum.

Observandum autem 1.° vota directè irritata nunquàm reviviscere, quia Superior eis contradicendo efficit ut sint nulla, defectu conditionis requisitæ, cùm inferior validè vovere nequeat

nisi sub hâc tacitâ conditione, *Si pater, vel Superior non contradixerit.* At vota indirectè irritata, cùm ex dictis suspendantur solùm, reviviscunt et obligant, quandò voti materia Superiori desinit esse subjecta. 2.° Ad valorem irritationis nullam requiri causam, quia ad validum juris proprii usum causa non requiritur; qui tamen ita faciunt, suâ abutuntur potestate, et ideò rei videntur, sed peccati ordinariè solùm venialis, ait Sylvius, quæst. 88.

§ III.

De tertiâ Causâ excusante, quæ est Dispensatio Voti.

Tertia causa liberans ab obligatione voti est dispensatio, id est, relaxatio seu condonatio voti, nomine Dei facta à legitimo Superiore. Legitimus autem Superior quoad hoc ille dicitur, qui ecclesiasticam jurisdictionem habet in foro externo, ut Sum. Pontifex, Episcopi et ab iis delegati; item, Abbates et Generales Ordinum, qui omnes habent potestatem dispensandi circa vota, non autem Parochi aut alii inferiores Sacerdotes.

Hanc dispensandi potestatem Ecclesiæ competere, potest probari ex verbis Christi, Matth. c. 16, ℣. 19: *Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis;* et c. 18, ℣. 18: *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Quæ, cùm generalia sint, non solùm significant potestatem solvendi vincula peccatorum, sed etiam votorum. Confirmatur eadem veritas tum ex perpetuo Ecclesiæ usu, tum quia ad commune bonum fidelium expedit, imò necessaria est hæc potestas.

Dices : Ecclesia non potest dispensare in præcepto divino et naturali ; ergo non potest dispensare in voto.

Resp. Prælatos Ecclesiæ posse dispensare in votis, potestate à Deo acceptâ, qui promisit se ratum habiturum quod ejus nomine solverint aut ligaverint : neque tamen dici possunt solvere vinculum juris naturalis, quia jus naturale solùm dictat votum esse servandum, quandiù manet votum et voti vinculum : qui autem dispensat, non facit ut, durante voto, possit quis non servare, sed facit ut votum desinat esse, atque ita tollit vinculum voti ; sicut Princeps, cùm dispensat in lege suâ, non dispensat in lege naturali, quæ dictat obediendum esse legibus Superiorum, sed facit ut in hoc casu non sit lex respectu ejus cum quo dispensat, *Ita etiam,* ait S. Thomas, 2.â 2.æ, quæst. 88, art. 10, ad 2, *auctoritate Superioris dispensantis fit ut hoc, quod continebatur sub voto, non contineatur, in quantùm determinatur in hoc casu hoc non esse congruam materiam voti,* scilicet, propter aliquam circumstantiam quæ supervenit. Hinc dispensatio in votis semper requirit causam, alioqui non solùm illicita esset, sed etiam invalida : cùm enim hæc potestas à Prælatis exerceatur tanquam Dei Vicariis et dispensatoribus jurium ac bonorum illius, certè non debet esse in destructionem, sed in ædificationem ; neque verò rationabiliter præsumere possunt Ecclesiæ Prælati Deum relaxare velle promissionem sibi factam, nisi adsit justa causa.

Colliges triplici capite dispensationem ab irritatione differre : 1.° irritatio non indiget jurisdictione ecclesiasticâ, sed immediatè fit per po-

testatem dominativam, vel in personam et voluntatem voventis, vel in materiam voti; dispensatio verò requirit potestatem spiritualem ecclesiasticæ jurisdictionis pro foro externo. 2.° Irritatio non requirit causam ut valida sit, quamvis ordinariè sit illicita, si absque ullâ causâ fiat; dispensatio verò sine causâ data est invalida propter rationem allatam. 3.° Irritatio supponit votum nondùm esse firmum, è contrà dispensatio.

Nota Episcopum, juxta Suarem aliosque complures, non posse peregrinos, v. g., scholasticos qui extra propriam Diœcesim student, à voto aut juramento dispensare, sed solùm hæc, urgente spiritali necessitate, ad tempus suspendere, donec ad proprium recurrant Episcopum.

§ IV.

De quartâ Causâ excusante, quæ est Commutatio Voti.

Quarta causa excusans ab obligatione voti est commutatio, id est, translatio obligationis voti ab unâ materiâ in aliam; hoc enim modo tolli posse obligationem voti patet ex cap. 1. de Voto, et cap. *Pervenit*, de Jurejurando.

Tripliciter autem fieri potest voti commutatio: 1.° in bonum seu opus majus et melius, spectatis omnibus circumstantiis; et tunc neque auctoritas neque ulla alia causa, per se loquendo, requiritur, sed ipsemet vovens potest propriâ auctoritate votum in id quod evidenter, omnibus pensatis, Deo magis gratum est, commutare: verùm, ne quisque in propriâ causâ decipiatur, tutius est et ferè semper expedit ad Superiorem

recurrere, maximè quandò est aliquis dubitandi locus, ut judicet quid facto sit opus, sicut notat S. Thomas.

Adverte tamen quòd non possunt propriâ auctoritate à vovente commutari vota Sum. Pontifici reservata, vel in alterius utilitatem emissa et ab eo acceptata, etiam in id quod majus et melius est.

2.° Commutatio voti fieri potest in bonum notabiliter minus; et tunc non est mera commutatio, sed includit dispensationem, saltem partialem, ideòque requirit tum causam legitimam, tum etiam potestatem dispensandi in votis.

3.° Commutatio fieri potest in opus æquale, quod, spectatis circumstantiis, prudenter et bonâ fide æquè bonum appareat per respectum ad Dei gloriam et voventis utilitatem, præsertim spiritualem; et tunc etiam, secundùm opinionem communem, fieri non potest commutatio sine causâ legitimâ, et nisi ab eo qui potestatem habet vota commutandi; quam potestatem habent illi omnes et soli qui possunt in votis dispensare. Nam ex regulâ 53.â Juris, in Sexto, *Cui licet quod est plus, licet utiquè quod est minus, saltem si minus subordinatur majori.*

Quamvis autem per commutationem legitimè factam omninò exstinguatur votum, nec posteà reviviscat, licitum est tamen voventi vel votum prius exsequi, vel opus subrogatum facere; quia talis præsumitur voluntas Dei et intentio petentium commutationem: quod colligitur ex regulâ 61.â Juris, quæ sic habet: *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.*

Quæres 1.° quænam sint causæ sufficientes ad commutandum votum, vel ad dispensandum.

Resp. sufficientiam illam prudentis arbitrio esse definiendam, quia major requiritur causa ad dispensandum quàm ad commutandum. Item, major pro graviori voto quàm pro minùs gravi; major etiam ad commutandum in minus bonum, quàm ad commutandum in bonum æquale. Nam, ad commutationem voti in opus æquale, modica sufficit causa, v. g., petitio et fragilitas voventis, ut cum gaudio et cum majori affectu votum persolvat.

Cùm de votis eorumque dispensatione agitur, tria attendenda esse monet Glossa, in cap. *Magnæ*, de Voto: *Quid liceat secundùm æquitatem, quid deceat secundùm honestatem, quid expediat secundùm utilitatem.* Tres ergo causæ sunt generales, honor Dei, utilitas Ecclesiæ, et spiritualis necessitas voventis; seu, pietas, utilitas, necessitas.

Causæ autem particulares ordinariæ dispensationis sunt, 1.° modus imperfectus voti, v. g., quandò factum est ex metu, levitate, aut errore circa causam impulsivam, etc.; 2.° major utilitas dispensationis, spectatis omnibus, habitâ præsertìm ratione boni spiritualis personæ voventis; 3.° difficultas magna voti exsequendi, quandò supervenit vel non fuit prævisa, quamvis non sufficiat per se ut votum non obliget; 4.° notabilis aliqua necessitas vel utilitas Reipublicæ et boni communis vel etiam familiæ, etc.; 5.° dubium de obligatione vel valore voti. Quoniam autem plerumquè contingit causam non esse sufficientem ad puram dispensationem voti, præsertìm si illud sit magni momenti, ideò Prælati non solent simpliciter dispensare, sed cum dispensatione adjungunt aliquod opus pium, in modum compensationis.

Quæres 2.° quis possit commutare vota, vel circa ea dispensare.

Resp. Episcopos et eos qui habent jurisdictionem in foro externo quasi episcopalem, vel ab iis quoad hoc delegatos, posse dispensare in omnibus quæ non sunt Summo Pontifici reservata; id patet ex suprà dictis.

Quæres 3.° quænam vota sint Summo Pontifici reservata.

Resp. ex Extravag. l. 5, *Etsi Dominici*, 2. de Pœnitentiis et Remissionibus, quinque vota esse Sum. Pontifici reservata: 1.° votum servandi perpetuam et integram castitatem; 2.° votum ingrediendi religionem approbatam; 3.° votum suscipiendi devotionis causà peregrinationem Jerosolymitanam; vel 4.° peregrinationem Compostellanam seu S. Jacobi; 5.° votum visitandi limina Apostolorum Petri et Pauli, id est, peregrinationem Romanam.

Hæc autem vota sunt tantùm reservata, quandò strictè sunt talia: hinc non reservatur votum non nubendi, licèt in praxi vix à voto castitatis perpetuæ distinguatur; item, votum ingrediendi religionem non approbatam; item, non reservantur vota disjunctiva faciendi hæc prædicta, vel alia non reservata; nam ex regulà 70.ª Juris, *In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterum impleri;* nec vota conditionata, quandiù conditio non est impleta. Imò, ex sententiâ satis communi, non reservantur prædicta quinque vota, si metu injusto sint extorta; neque reservantur opera in quæ Sum. Pontifex vota reservata commutavit; nec etiam ea de quibus dubium est an validè sint emissa, vel an sint ex iis quæ reservantur. Postremò in votis reservatis, gravi occur-

rente necessitate, possunt Episcopi dispensare, quia talis præsumitur esse mens Sum. Pontificis; imò, si difficilis sit ad Papam recursus, putà ob voventis paupertatem, vel bellorum impedimenta, potest Episcopus ab ipso perpetuæ castitatis voto dispensare.

CAPUT III.

De tertio Decalogi Præcepto.

Tertium Decalogi præceptum his verbis refertur, Exodi c. 20, ℣. 8 et 9 : *Memento ut diem Sabbati sanctifices : non facies omne opus in eo.* Et Levit. c. 23, ℣. 3 : *Omne opus non facietis in eo.* Quod quidem præceptum, quoad determinationem diei et quoad Judaicum ritum in eo celebrandum, cæremoniale erat, ideòque cum veteri Lege abrogatum fuit. At verò, quoad substantiam præcepti et ipsum cultum divinum cui aliquoties vacare et aliquod tempus tribuere præcipitur, relictis negotiis et corporis laboribus, est præceptum morale et naturale, non minùs in novâ quàm in veteri Lege obligans.

Convenienter autem tertio loco positum est, quia, sublatis per prima duo præcepta impedimentis religionis, scilicet superstitione per excessum, irreligiositate per defectum, conveniens fuit ut populus Dei in verâ religione fundaretur determinareturque, et ipsi injungeretur exhibitio divini cultûs externi, ut egregiè notavit S. Thomas.

Porrò præceptum illud affirmativum est et negativum : affirmativum, quatenùs præcipit aliqu-

jus diei sanctificationem, scilicet in lege veteri, diei sabbati, in quo Deus ab opere creationis quieverat; in novâ verò, diei dominicæ, quâ Christus ab opere redemptionis nostræ et laboribus vitæ suæ, passionis, ac mortis, resurgendo requievit. Idem dicendum circa dies festos quos Ecclesia cultui divino consecravit; namque, ut optimè notat Bellarminus, lib. 3, cap. 10 de Cultu Sanctorum, jure divino præcipitur ut aliqui dies festi observentur, et tamen nulli sunt certi dies à jure divino determinati; ergo debuit esse in Ecclesiâ potestas determinandi certos dies et obligandi ad eorum observationem, quia alioqui non servaretur jus divinum. Huic autem Ecclesiæ præcepto parendum esse nemo Catholicus negaverit : *Qui enim Ecclesiam non audierit*, inquit Christus, *sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus*, Matth. c. 18, ℣. 17. Hinc S. Bernardus, lib. de Præcepto et Dispensatione, cap. 12, ait : *Sive Deus, sive homo vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, pari reverentiâ deferendum.* Præceptum illud sub mortali obligare patet damnatione illius propositionis quæ est in Bullâ Innoc. XI : *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

Negativum est etiam illud præceptum, quatenùs prohibet opera servilia illis diebus.

Præceptum ergo illud ad duo obligat: 1.° quidem ad sanctificationem diei dominicæ et festorum per pietatis opera, et imprimìs per auditionem Missæ, ex Ecclesiæ determinatione; 2.° ad abstinendum ab operibus servilibus, iisdem diebus dominicis et festis. Utramque obligationem duabus sectionibus exponemus.

SECTIO PRIMA.

De Obligatione sanctificandi Dominicam et festos dies auditione Missæ et praxi bonorum operum.

Diximus jam præceptum esse divinum de colendo Deo per obligationem sacrificii; diximus etiam in lege evangelicâ unicum esse Missæ sacrificium, quod quidem, ex determinatione et præcepto Ecclesiæ, diebus dominicis et festis certo loco et certis ritibus offertur Deo, tum immediatè à Sacerdotibus celebrantibus, tum mediatè à reliquo populo adstante : sic enim præcipiunt varia Concilia et Sum. Pontifices, ut videre est, cap. *Si quis*, cap. *Omnes fideles*, et cap. *Missas*, de Consecr. dist 1.â Undè colligitur obligationem sanctificandi Dominicam et festos dies auditione Missæ fundatam esse partìm in præcepto divino, partìm verò in lege ecclesiasticâ. De solo præcepto ecclesiastico hìc agimus.

Circa quod certum est 1.º præceptum audiendi Missam diebus dominicis obligare sub peccato mortali omnes utriusque sexûs fideles, cùm usum rationis sufficienter adepti sunt : et in hoc omnes consentiunt, ut constat ex sensu et praxi Ecclesiæ et ex variis Conciliis.

Ratio est, quia præceptum illud est de re gravi et ad cultum Dei graviter pertinente : imò, qui notabilem Missæ partem omitteret, peccaret mortaliter; secùs verò, si pars esset exigua : tunc enim solùm venialiter peccaret. Quæ autem pars Missæ sit notabilis, ita ut illius omissio sit peccatum mortale, Doctores omnes non conveniunt; multi existimant partem illam, quæ à principio usque ad

Epistolam inclusivè protenditur, esse notabilem, nec sine peccato mortali omitti posse; alii tamen omissionem non esse mortalem asserunt, dummodò Evangelium audiatur. Sed, cùm nihil certi hâc in re definiri possit, monendi sunt fideles ut, quantùm possunt, integram Missam audiant : qui autem totam Missam ob aliquod impedimentum audire non potest, tenetur saltem partem quam potest audire; debet enim præcepto satisfacere, quantùm in ipso est. Addere non abs re erit nonnullos sentire cum Suaresio, eum non satisfacere præcepto qui abest, licèt per breve tempus, dùm Sacerdos consecrat aut communicat, quia, inquiunt, actiones illæ sunt de essentiâ aut integritate Sacrificii.

Certum est etiam Missam integram ab eodem Sacerdote celebratam audiendam esse, neque satisfacturum præcepto eum qui duas Missæ partes à diversis Sacerdotibus celebratas successivè audiret; quia ex illis duabus Missæ partibus non conflatur verè unum Missæ sacrificium : à fortiori non satisfaceret præcepto, qui unam Missæ partem ab uno Sacerdote, aliam ab alio simul et eodem tempore audiret. Hinc damnata est ab Innoc. XI hæc propositio, quæ est 53.ª : *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.* Ipso autem die natali Domini, satisfacit præcepto, qui Missam unam integram audit.

2.° Quoad modum audiendi Missam, certum est requiri præsentiam moralem et religiosam. 1. Requiritur præsentia moralis, ut denotat ipsum *audiendi* verbum, etenim non audit nisi qui moraliter seu humano modo præsens est. Ii autem moraliter præsentes sunt, non solùm qui adsunt in

in templo dùm Missa celebratur, in eâ distantiâ ut Sacerdos audiri et videri queat, sed etiam qui præ multitudine satis ad hoc accedere non possunt, modò præcipua quæ facit Sacerdos, ex signis vel gestis eorum qui intersunt, colligere valeant. Idemque dicendum de iis qui extra Ecclesiam totius continendæ multitudinis non capacem consistunt; modò tamen ad multitudinem assistentium moraliter pertinere censeantur, ac proindè nimio ab eâ non distent intervallo. 2. Requiritur præsentia religiosa, quæ quidem importat intentionem seu voluntatem audiendi Sacrum, et reverentiam tum exteriorem tum interiorem, seu attentionem animi, saltem virtualem, circa sacrificium, Deum honorando et orando, eique se submittendo. Hinc præcepto non satisfaciunt, 1. ebrius aut dormiens; 2. qui voluntariè animo vagantur, confabulantur, corrident, oculos quoquoversùm, in exeuntes et introeuntes, in epitaphia et picturas, convertunt; 3. qui ad Ecclesiam præcisè veniunt ut videant aut videantur, ut amicum exspectent, etc.; 4. qui eodem sacrificii tempore peccata confitentur, nisi excuset brevitas confessionis. Ad peccatum autem mortale sufficit, ut voluntaria distractio eo perseveret tempore quod æquivalet omissioni partis notabilis, de quâ proximè dictum est, quia indevotè audire idem est ferè ac prorsùs omittere.

Quæres an novum peccatum committat, qui Missæ interest in statu peccati mortalis.

Resp. 1.° olim à majori parte sacrificii exclusos fuisse peccatores illos qui pœnitentiæ publicæ gradus decurrebant. Istud autem factum est ex quâdam disciplinæ severitate, non ex rigorosâ necessitate; etenim non omnes arcebantur à

Missâ peccatores. Undè meritò proscripta est hæc Quesnelli propositio, n. 89: *Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quòd, cùm sit jam reconciliatus, habet jus assistendi sacrificio Ecclesiæ.*

Resp. 2.° peccatorem nullo excommunicationis aut interdicti vinculo ligatum, novum, audiendo Missam, non committere peccatum, imò verò bonum opus perficere, modò piè et attentè audiat. *Prob.* ex Conc. Trid. Sess. 22, cap. 2; et ratio est, quia Missa sacrificium est propitiatorium; ad illud ergo peccator recurrere debet, ut Deum sibi propitium reddat.

Certum est 3.° multiplicem esse causam quæ à præcepto audiendi Missam excusat.

1.ª Est impotentia physica et absoluta, ratione cujus excusantur incarcerati, lecto affixi ob infirmitatem, et navigantes, si Sacerdote sint destituti.

2.ª Causa est impotentia moralis, ratione cujus excusantur qui Missam audire non possunt, 1. sine magnâ difficultate, ut aliquandò mulieres prægnantes, aut illi qui ab infirmitate convalescentes sunt adhuc nimis debiles, vel nimis à Templo distantes, habitâ ratione personarum, viarum, et temporis; vel 2. sine gravi damno spirituali proprio vel alieno, v. g., si quis aliter effugere non possit occasionem proximam peccandi mortaliter; vel 3. sine gravi damno temporali proprio vel alieno, ratione cujus excusantur custodes domûs, ovilis, aut infirmorum vel infantium, etc., si ex eorum exitu ad audiendam Missam secuturum sit grave incommodum judicio viri prudentis, neque illi possint officium suum per alios supplere; 4. deniquè præceptum au-

diendi Missam non obligat, quandò impleri non potest sine gravi periculo notabilis mali, v. g., amittendi vitam vel bona, incidendi in latrones, etc.; ratio est, quia Ecclesia non intendit obligare fideles cum tanto gravamine.

Observandum tamen, 1.° quia hìc annexum est ecclesiastico præcepto præceptum divinum, eum, qui Sacro adesse nequit, Missæ defectum compensare ex quâdam decentiâ teneri, v. g., oratione, lectione piâ, Rosarii recitatione, internis animi affectibus; 2.° fidelibus cavendum esse diligenter ne fingant difficultates quæ ipsos apud Deum non excusent.

Quoad obligationem sanctificandi Dominicam et festos dies per praxim bonorum operum, Catechismus Romanus, parte 3 de tertio Decalogi præcepto, exponens quid per hoc verbum, *sanctifices*, intelligatur: *Hoc verbo ostenditur*, inquit, *sabbati diem religiosum esse, divinisque actionibus et sanctis rerum Officiis consecratum.* Monet etiam idem Catechismus diligenter à Pastoribus monendos esse fideles ut diebus festis sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ suscipiant, concionem sacram attentè audiant, divinis Officiis intersint, orationibus vacent, et in eleemosynis aliisque misericordiæ operibus sese exerceant. Hinc etiam Trid. Sess. 22, in decreto de Observandis et Vitandis in celebratione Missæ, præscribit Episcopis *monere populum ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus dominicis et festis, accedant;* ut scilicet non solùm sacrificio Missæ intersint, sed etiam ut audiant verbum Dei.

Addit tamen Sylvius in 2.ª 2.æ, quæst. 122, art. 4, et cum ipso docent Theologi plerique,

Licèt ad hoc, ut perfectè dies dominicos et festivos sanctificemus, majori tunc studio insistendum sit operibus pietatis, et ab omni graviori peccato abstinendum, nihilominùs, ut quispiam non fiat transgressor Ecclesiæ præcepti transgressione mortali, regulariter sufficere ut, præter cessationem ab omni opere servili et ab aliis operibus ab Ecclesiâ prohibitis, unusquisque Missam audiat. Quòd si objicias abstinentiam præcipi ob praxim bonorum operum, quæ abstinentia inutilis erit, nisi stricta sit obligatio bonis operibus vacandi, respondent 1.° finem præcepti non cadere sub præceptum; 2.° licèt finis præcepti non præcipiatur, medium ipsum de se esse utile, et ideò rectè præcipi.

Quæres utrùm fideles Missæ parochiali interesse teneantur.

Resp. Fideles parochiali Missæ, saltem in Galliis, interesse tenentur, quantùm moraliter fieri potest. Ad hoc enim satis est 1.° quòd istud iisdem præceptum sit ab Ecclesiâ; 2.° quòd præceptum illud etiamnùm, saltem in Galliis, vigeat: atqui hæc duo constant.

1.° Ab Ecclesiâ præceptum est fidelibus ut Missæ parochiali intersint, idque sive jure antiquo, sive jure novo Concilii Tridentini.

1. Quidem Jure antiquo, quod statutum legimus ante Concilium Sardicense, cui ann. 347 adfuêre Latini Episcopi, et præfuit Osius Cordubensis, can. 14: *Osius dixit: Memini superiori Concilio*, Eliberitano scilicet, *Fratres nostros constituisse, ut, si quis laicus in eâ, in quâ commoratur, civitate tres Dominicos dies*, id est per tres *septimanas, non celebrasset conventum, communione privaretur. Universi dixe-*

runt placere sibi : nomine quippe *conventûs ,* inquit Benedict. XIV de Syn. Diœc. lib. 11, cap. 14, n. 7, designari Missam solemnem, in quâ populus cum suo Pastore unum efficit cœtum, unamque repræsentat Ecclesiam, *communiter adnotârunt Canonistæ.* Sardicensem canonem renovavit Concilium Quinisextum, can. 80 : *Si quis in civitate agens , tribus diebus Dominicis , in unâ non conveniat , si sit quidem Clericus , deponatur ; si verò laicus , segregetur.* Eamdem legem atque obligationem inculcârunt plures posteriores Synodi, præsertìm Gallicanæ, Nannetensis, scilicet, circa ann. 895, relata in Decretales Gregorii IX, aliæque quas adducit D. *Haillier* in suo hâc de re Commentario, in lucem edito jussu Cleri Gallicani : *Mémoires du Clergé ,* tom. 6, col. 1186 et seqq. Hinc Sixtus IV, ann. 1478, Extravag. *de treugâ et pace ,* declaravit *Jure cautum esse , diebus festivis et Dominicis , parochianos* TENERI *audire Missam in eorum parochiali Ecclesiâ , nisi forsàn ex honestâ causâ ab ipsâ Ecclesiâ se absentarent :* ex quâ Decretali *liquidò constat ,* addit Bened. XIV, ubi suprà , *Jure communi cautum esse , ut singuli Fideles diebus festis Missæ adsint parochiali..*

2. Constat pariter Jure novo Concilii Tridentini eamdem obligationem renovatam fuisse. Sic enim loquitur Concilium ann. 1563, Sess. 24 de Reform., cap. 4 : *Moneat Episcopus populum diligenter* TENERI *unumquemque Parochiæ suæ interesse , ubi commodè id fieri potest , ad audiendum verbum Dei ,* quod scilicet *inter Missarum solemnia* debet à Pastoribus exponi, ex eodem Concilio Trid., ibidem, cap. 7. In-

super statuit S. Synodus, Sess. 22, in decreto de Observandis et Vitandis in celebratione Missæ, ut Episcopi *populum fidelem ad id censuris compellant, non obstantibus privilegiis quibuscunque.*

Porrò in hoc decreto rigorosum contineri præceptum patet, 1. ex nativâ significatione vocis *Teneri* usurpatæ à Patribus Tridentinis, qui cæteroquìn adeò verba ponderabant quibus in suis Decretis condendis utebantur, ut nôrunt omnes. Et verò eadem vox in prædictâ Sixtinâ Constitutione non meram exhortationem, sed veram obligationem importat; ergo eumdem sensum habet in Concilio Tridentino. Nec nocent verba quæ adjunxit Concilium, *ubi commodè id fieri potest;* similia enim, saltem quoad sensum, leguntur in decreto Sixti IV; nec tamen rationem rigorosi præcepti destruunt: et certè ea est legum humanarum natura ut cum gravi incommodo non obligent. 2. Ex auctoritate S. Caroli Borromæi, qui, ut ait Bened. XVI, loc. cit., n. 12, *nullum Tridentini verbum non est diligenter rimatus;* agnoscit enim Præsul Sanctissimus, in suo Provinciali Concilio VI, præfati Decreti verba verum præceptum inducere. 3. Quia fuit mens Tridentinorum Patrum ut Jura antiqua de obligatione Missam parochialem audiendi sarta tecta servarentur, et nova veteribus consonarent, ut cuilibet à proprio commodo et præjudiciis alieno perspicuum est. 4. Tandem, quia ad sensum rigorosi præcepti idem decretum promulgari curârunt Gallicani Præsules, ut constat tum ex Conciliis in Galliâ habitis post Tridentinum, tum ex Actis Comitiorum Cleri Gallicani, tum ex unanimi consensu omnium Regni Ritualium, sive veterum sive recentiorum.

Itaque vestigiis Patrum Tridentinorum insistentes Gallicani Episcopi legem hanc de audiendâ Missâ parochiali in pluribus Conciliis renovârunt, scilicet in Rothomagensi, ann. 1581; Rhemensi, Burdigalensi et Turonensi, ann. 1583; Bituricensi, ann. 1584; Aquensi, ann. 1585. Hæc autem Concilia, quod sedulò notari volumus, *approbata fuêre à Summ. Pontif. Gregorio XIII et Sixto V, post examen et de consilio sacræ Congregationis Concilii Tridentini*, ut refert D. *Haillier*, in opere et loc. jam cit. col. 1198 et seqq. Eamdem obligationem fortiùs inculcat Concilium provinciale Burdigalense, ann. 1624, Præside Cardinali *de Sourdis*, his verbis: *Ultimi Concilii provincialis decreto inhærentes, decernimus... ne quis tribus continuis Dominicis à parochialis Missæ celebratione absit. Ac, ut accuratiùs observetur, Confessarios quoscunque scrutari pœnitentes an huic officio satisfecerint, propositâ eisdem gravitate peccati, obligatos esse declaramus.*

His consonant quæ sancita fuêre in Comitiis Cleri Gallicani. In numerosissimo quippe conventu anni 1625, ita statutum est, cap. 2: *Cùm necessitas quâ oves adstringuntur audire vocem pastoris, et pastor cognoscere defectus ovium, occasionem dederit Ecclesiæ decernendi ut populus, saltem unâ ex tribus Dominicis, Missæ parochiali interesset*, LEX ISTA SOLLICITÈ SERVARI DEBET; et statìm rationes sigillatìm exponuntur: *tum*, scilicet, *ut propriæ Ecclesiæ debitum obsequium reddatur, tum ut ea percipiantur quæ in prono doceri solent, putà, veri christiani officia, denuntiatio festorum, jejuniorum*, Bannorum, Episcoporum Mandata, *aliaque id genus*

quæ ibi addiscuntur. Variis quoque celebratis posteà Comitiis generalibus, eadem denuò sancita fuerunt, præsertim ann. 1645 et 1700. Vide *Procès-verbaux du Clergé,* tom. 6. *Pièces justificatives*, col. 206.

Hanc ipsam legem, ad mentem Concilii Tridentini, plebi inculcandam jubent omnia Regni Ritualia. Hìc indicare sufficiat Rituale Blesense, ann. 1730; Lemovicense, ann. 1774; Catalaunense, 1776; Adurense, 1776; Tolonense, 1778; Montalbanense, Rivense, ann. 1790; Tolosanum verò ann. 1825, cujus verba infrà referemus. Ergo 1.° sive jure antiquo, sive novo, tenentur fideles Missæ parochiali interesse.

2.° Præceptum istud etiamnùm, saltem in Galliis, viget et perseverat. Si enim fuisset abrogatum, vel Summorum Pontificum Constitutionibus in Galliâ receptis, vel contrariâ consuetudine legitimè præscriptâ : porrò neutrum dici potest. Non 1.um : allegant quidem adversarii Constitutionem Leonis X, ann. 1517, et Litteras Pii V, ann. 1567, quibus declaratur eos, qui Dominicis et festivis diebus in Ecclesiis Fratrum mendicantium Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missâ audiendâ; referunt etiam Breve Clementis VIII, ann. 1592, quo privilegium mendicantibus concessum ad Ecclesias societatis Jesu extenditur. Verùm, ut cætera quæ responderi possent prætermittamus, Constitutio Leonis X ferè 50 annis præcedit Concilium Tridentinum, et Litteræ Pii V pluribus annis anteriores sunt Conciliis Gallicanis *à Summ. Pontif. Gregorio XIII et Sixto V, de consilio Sacræ Congregationis Concilii Tridentini, approbatis,* quibus lex de Missâ parochiali audiendâ de novo sancita fuit,

ut jam diximus. Quod verò spectat Breve Clementis VIII, occurrunt Concilium provinciale Burdigalense, plùra Comitia Cleri Gallicani, et omnia Regni Ritualia huic Brevi longè posteriora; in quibus eadem obligatio expressè renovatur, ut suprà probatum est : ex his autem planè conficitur Breve hujusmodi in Galliis usu non fuisse receptum.

2.um Pariter dici nequit, nempè præceptum de quo agitur contrarià consuetudine legitimè præscriptâ fuisse abrogatum. Namque 1. ex dictis omni ævo insonuêre voces Pastorum Gallicanorum, qui legis de auditione Missæ parochialis observationem indesinenter urgebant; imò Clerus Gallicanus aiebat, ann. 1655 : *On ne peut prétendre qu'il y ait en France, ou qu'il puisse y avoir une coutume contraire :* et, in pluribus recentioribus Ritualibus jam citatis, Episcopi ex professo refellunt prætextum eorum qui sibi animo fingerent hanc saluberrimam legem in desuetudinem abiisse. 2. Fideles qui eam transgrediuntur conscientiæ stimulis propterea agitantur, et apud Confessarios negligentiæ in illâ observandâ se accusant. Undè patet *errore facti* asseruisse olim quosdam Theologos, derogatum esse præcepto de quo agitur, contrarià consuetudine *toto in orbe receptâ.* Audimus quidem in quibusdam Galliarum Diœcesibus Parochos et Confessarios, videntibus et non reclamantibus Episcopis, hujusce legis observationem hodiè non urgere; sed in nostrâ Diœcesi adhuc illæsa viget et perseverat salutaris lex illa, cùm novissimè, ann. 1825, in Rituali jussu DD. Eminent. Cardinalis edito, denuò sancita et confirmata fuit, pag. 119 : *De ces différens textes du Concile de Trente et du Clergé*

de France (quæ suprà memoravimus), *il s'ensuit qu'il y a pour tous les Fidèles une véritable obligation d'assister à la Messe de Paroisse, dont on ne peut se dispenser sans excuse légitime. C'est pourquoi un Concile de Bordeaux* (superiùs relatum) *enjoint aux Confesseurs d'interroger sur ce devoir les pénitens, et de refuser l'absolution à ceux qui seraient habitués à y manquer.*

Qui de hoc argumenta plura voluerit, adeat citatum opus D. *Haillier*, Doctoris et Professoris Sorbonici, ac deinceps Episcopi Cabillecensis, editum jussu Cleri Gallicani. *Mémoires du Clergé* tom. 6, col. 1162 et seqq.

SECTIO II.

De obligatione cessandi à nonnullis operibus diebus dominicis et festivis.

PROPOSITIO PRIMA.

Diebus dominicis et festivis integris sub mortali prohibentur omnia, paucis exceptis, opera servilia, nisi ad ea necessitas adigat.

Propositio certa est, et probatur tum ex variis Conciliorum Pontificumque decretis, tum ex Patrum testimoniis, tum ex perpetùo consensu et usu fidelium. Varia hìc decreta non referimus, cùm de veritate propositionis nemo sit qui dubitet; unum tantùm afferemus Concilii Meldensis anni 845 decretum, quod est 77 : *Feriatos esse decernimus ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynæceo, cæmentario, pictorio, venatorio, forensi, mercatorio, audientiali, ac Sacramentis exigendis, quatenùs eisdem diebus.....*

omnibus Christianis sanctæ Resurrectionis laudibus et sacrosanctæ Prædicationi jugiter insistere liceat; quod si quis temerare præsumpserit, excommunicetur.

Dixi 1.°, *diebus integris;* totum quippe diem naturalem in Festorum observatione accipere debemus, qui incipit à medio noctis ad alterius noctis medium; sic enim in totâ Europâ fert constans usus. Hinc peccant artifices qui ultra mediam noctem, undè incipiunt sacri dies, opus protrahunt absque legitimâ causâ.

Dixi 2.°, *sub mortali,* quia res ad Dei cultum et religionem graviter pertinet; idque etiam probant pœnæ gravissimæ excommunicationis et aliæ in violatores hujus præcepti latæ.

Potest tamen hujusmodi transgressio esse solùm peccatum leve, ob materiæ levitatem, quæ dijudicari debet, tum ex causâ ob quam laboratur, si sit aliqua necessitas, sed non omninò sufficiens ad excusandum, tum ex parvitate temporis quo absolvitur. Qualis autem duratio operis sine necessitate facti ad peccatum mortale requiratur, difficile est præcisè determinare: quidam auctores unam horam sufficere existimant, alii duas requirunt.

Dixi 3.°, *opera servilia,* quorum ut distinctiùs assignetur natura, triplicis generis opera distingui debent: *servilia* scilicet, *liberalia,* et *communia.* Opera *servilia* vulgò dicuntur ea quæ à servis, seu mercenariis hominibus exerceri solent, qualia sunt artium omnium mechanicarum opera, ut fodere, arare, arbores plantare aut cædere, suere, etc.; accuratiùs definiri possunt, *opera externa quæ de se referuntur ad ornatum vel utilitatem corporis, quæque ideò mercenariis com-*

mitti solent. Undè duplex ad opus servile requiritur et sufficit conditio : 1.ª ut sit opus externum et corporale; 2.ª ut de se referatur ad utilitatem corporis. Nec refert an recreationis causâ, an intuitu mercedis fiant, quia intentio non mutat naturam operis, undè quæ plebeiis prohibita sunt, sunt et ingenuis interdicta. Opera *liberalia* sunt illa *quæ ad animum excolendum principaliter ordinantur, quæque ideò liberis hominibus digna sunt*, ut legere, studere, scribere, linearum domûs, picturæ, vel operis textorii adumbrationem ducere. Opera *communia* sunt actiones *quæ omnibus*, plebeiis perindè ac nobilibus, *competunt*, ut manducare, iter agere, ludere, instrumenta musica movere, digladiare, etc.; porrò opera liberalia et communia festis diebus non sunt prohibita; nec nisi eorum excessus, qui à divinis Officiis detraheret, est illicitus.

Hinc 1.° Pictori, Mathematico, vel Architecto prohibitum non est adumbrationem picturæ, munimenti, vel domûs delineare, etiam intuitu mercedis, quia hæc ad animi potiùs quàm ad corporis ornatum referuntur; intentio autem, ex dictis, non mutat naturam operis. Idem dicendum de mercatore qui accepti vel expensi rationes init ac subducit, aut easdem è libro diurno in alium transfert; de advocato qui scribit aut transcribit ea quæ ad litis informationem pertinent. Aliter ratiocinandum de iis qui typographicos characteres ordinant, aut subjiciunt prælo; hæc enim, quidquid de characterum ordinatione sentiant aliqui, sunt verè mechanica ad opus arte factum primariò ordinata.

Hinc 2.° licita est diebus festivis quæ à divinis Officiis non avertit itineratio, sive pedibus, sive

equo aut rhedâ; id enim est opus naturale et commune omnibus. Attamen servile est ducere jumentum, currum aut navigium mercibus onusta; item, imponere onera, ea tollere, aut alia hujusmodi; undè vectoribus non licet iter inchoare die festo, quamvis continuatio itineris ante festum suscepti iis permittatur, ob damnum quod ex morâ paterentur.

Hinc 3.° prohibetur sculpturæ exercitium, imò, ex probabiliori sententiâ, et actio pingendi, quia, quamvis tabella et statua tam ab animo pendeant quàm à corpore, sunt tamen opera externa quæ principaliter ordinantur ad utilitatem corporis, ad sensuum oblectamentum, ad ædificiorum ornatum. Eàdem ratione vetita sunt opera quæ à feminis nobilibus fiunt, ut acu pingere, versare fusum; imò et ipsa Monialibus interdicuntur quæ pietatem sapiunt opera, ut Scapularia, Cordulas, Rosaria conficere, etiam citra ullum quæstùs intuitum: quomodò iisdem diebus festivis cuilibet illicitum est Christi vel Virginis statuam gratìs et ex piâ intentione fabricare.

Dixi 4.°, *paucis exceptis;* nonnulla enim sunt opera servilia lege aut consuetudine legitimâ permissa; nulla quippè securior regula proponi potest eâ quam Aurelianense Concilium anni 538, præscribit can. 28, his verbis: *Quod antè fieri licuit, liceat;* et quam explicat Gersonius, tract. de Præceptis Decalogi, *Ut quilibet festivis diebus,* inquit, *abstineat ab omni labore, aut mercatione, aut alio quovis laborioso opere, secundùm ritum et consuetudinem patriæ quam inhabitat, quam consuetudinem Prælatus spiritualis illius loci cognoscens non prohibet.* Et in suis Regulis Moralibus rationem affert, quòd de

operibus servilibus non exercendis diebus dominicis ac festivis plus et frequenter determinat consuetudo loci et personarum à Prælatis tolerata, quàm alia lex scripta, quia Ordinariorum prudentiæ determinandum reliquit Ecclesia quomodò et Dominicam et festivos dies observare debeamus, quoad circumstantias temporis, loci, et modi.

Ex hâc consultissimâ regulâ patet diebus dominicis et festivis, 1.° ubiquè licitum esse parare cibos et coquere, colligere fructus hìc et nunc mensæ apponendos, animalia minora, ut pullos, lepores, etc., occidere, non tamen majora, ut vitulos, oves et boves, nisi anticipatam eorum occisionem impedierit vehementior caloris æstus; item, exercere ea quæ pertinent ad nitorem domûs et decentem hominis compositionem, ut sternere lectum, quædam ædium loca verrere, usûs quotidiani lavare vasa, etc.; sic et quamvis venatio ac piscatio, juxta probabiliorem sententiam, opera sint verè servilia, cùm de se referantur ad opus externum in utilitatem corporis ordinatum, scilicet ad animalium captionem et occisionem, ex usu tamen licitum est, divinis peractis Officiis, arundine piscari, leporem insequi cum uno aut altero cane, aucupari retibus exiguis; secùs verò dicendum de venatione aut piscatione cum apparatu qui multùm exigeret laboris et tumultûs. Excipe, nisi agatur de transitoriis piscibus, ut sunt halecia et scombri, quos, *ingruente necessitate, præterquàm in majoribus Solemnitatibus*, piscari licitum est, cap 3, de Feriis; aut de clamosâ pessimarum ferarum, v. g., luporum venatione, quæ interdùm auctoritate publicâ diebus sacris indicitur, cùm aliis diebus commodè fieri nequeat.

2.° Ipsis etiam Barbitonsoribus, Molitoribus, Cupedinariis, Laniis, etc., suam esse licitum sacris diebus artem exercere, ubi talis viget consuetudo, scientibus nec reclamantibus Prælatis et Magistratibus, modò istud non fiat tempore divinorum Officiorum, ut nonnulli Episcopi speciatìm de Barbitonsoribus statuerunt.

Dixi 5.° *nisi necessitas adigat;* quadruplex quippè necessitas excusat ab obligatione abstinendi à servilibus operibus festis diebus.

1.ª Est necessitas cultûs divini, ratione cujus licitum est altaria parare, Templa ornare, et alia hujusmodi facere quæ pertinent ad cultum divinum : hoc autem licitum esse Christus innuit Pharisæis, Matth. c. 12, ℣. 5 : *Non legistis in lege quia Sabbatis Sacerdotes in Templo Sabbatum violant, et sine crimine sunt?* Si tamen opera illa ante diem festum fieri possint, non excusarentur omninò qui ea festo die facerent; quippè quæ tali die exerceri non licet sine aliquâ necessitate.

2.ª Est necessitas publica, ratione cujus aliquandò licet publicis operibus valdè utilibus vacare, auditâ Missâ et obtentâ Superioris ecclesiastici licentiâ : hinc excusari possunt nautæ et aurigæ qui ob bonum publicum naves aut currus vel mulos agunt.

3.ª Est necessitas privata proximi ejusque indigentia, quâ fit ut interdùm diebus festis laborare liceat, v. g., ad componenda pro infirmis medicamenta, ad tuendam vitam aut bona proximi, ad exstinguendum incendium.

4.ª Deniquè est necessitas propria, ratione cujus excusari possunt pauperes, qui, judicio pii ac prudentis viri, se suamque familiam sustentare

non possunt, nisi diebus festis laborent, quod tamen vix permittendum est; item, excusantur agricolæ qui, ob periculum pluviæ aut alterius damni, die festo vindemiant, metunt messem, aut fenum colligunt; similiter, opifices vitrarii aut coquentes lateres excusantur, quoties absque gravi damno inchoatum opus non possunt interrumpere; sic etiam diebus festis licet vendere cuilibet quæ ad victum necessaria sunt, v. g., panes, carnes; aut etiam rusticis, ea quibus ad vestitum indigent, ut calceos, indumenta, etc., ubi non aliâ die ad urbem accedere valent, etc., modò id non omninò apertis officinis fiat. Eâdem ratione iterùm excusantur tum Barbitonsores, tum minutarum mercium Propolæ, qui, sciente nec prohibente Episcopo, artem suam exercent erga rusticos et opificesqui aliis diebuseos adire nequeunt, vel merces suas palàm exponunt in vicis; quia aliàs se suamque familiam sustentare non possent.

Quod spectat famulos et ancillas quibus ab heris, nullâ cogente necessitate, præcipitur ut diebus festis laborent, etsi heri id non præcipiant in contemptum religionis, tenentur tamen 1.° heros rogare ut cessent sic cogere; 2.° si non desistânt à cogendo, tenentur ab illis discedere, primâ datâ occasione, quam diligenter quærere debent; interim laborare possunt, si non sine gravi suî damno abstinere queant, quia lex Ecclesiæ cum tanto nocumento non obligat.

Cæterùm, circa causas propter quas licitum est diebus festis laborare, tria debent observari : 1.° quidem labor impedire non debet quominùs Missa audiatur : 2.° caveri debet, quantùm fieri potest, scandalum : hinc secretò laborandum est; et, si opus publicum sit, petenda est à Pastore

licentia; 3.° necessitas debet esse evidens, et talis à viris prudentibus judicata.

Addendum superest non solùm Papam, sed et Episcopos ex justâ causâ dispensare posse in hâc obligatione abstinendi ab operibus servilibus. Imò in Parochiis ruralibus, ubi facilis non est ad Episcopum recursus, Parochi licentiam concedere possunt laborandi die festo, non quidem stabilem, sed diurnam et ad tempus, ac prò occasione occurrente.

PROPOSITIO II.

Præter opera servilia, Jure ecclesiastico, scilicet Constitutione Pii V, prohibita sunt diebus dominicis et festivis, 1.° opera judicialia seu forensia, quæ cum aliquo strepitu fiunt; 2.° mercatus, nundinæ, et celebratio contractuum; item 3.° choreæ, saltationes, et theatrici ludi damnantur à SS. Patribus, et prohibentur à pluribus Conciliis.

Dixi 1.°, *opera judicialia,* etc., et quidem in causis tum criminalibus, tum civilibus, tum et ecclesiasticis; quæ tamen pertinent ad litium et causarum instructionem, nec publicam actionem exigunt, licitè possunt fieri à Causidicis, Procuratoribus et Judicibus, modò divina non omittantur Officia.

Observandum obiter Jure etiam novo Gallico prohibita esse, 1.° nonnulla opera *judicialia* seu forensia; expressa in art. 63, 781, 1037 Cod. Process. civil., salvis tamen exceptionibus, in iisdem art. contentis; 2.° plura etiam opera *servilia* et publica, quorum mentio habetur in art. 2 et 3 Legis 18 novembris 1824, de Celebratione dierum festorum et dominicorum.

Dixi 2.°, *mercatus, nundinæ, et celebratio contractuum;* ita ut non liceat die festo negotiari, inire contractus permutationis, emptionis, locationis, etc., nisi ex consuetudine approbatâ, aut ex justâ causâ excusentur: sic nundinæ passim hodiè tolerantur, exceptis diebus dominicis et festis solemnioribus; similiter passìm invaluit consuetudo ut in gratiam rusticorum et opificum, qui per hebdomadam Notarios adire nequeunt, Notarii quælibet acta diebus dominicis conficiant. Ratio autem prohibitionis horum operum est, quia animum distrahunt plurimùm et avocant à rebus divinis, ad quas festa destinantur.

Violatio verò duplicis hujus prohibitionis est de genere suo mortalis, ob rationem in primâ propositione allatam.

Dixi 3.°, *choreæ, saltationes,* etc. Graves plurimi Auctores probant hæc sacris diebus frequentari sine gravi peccato non posse, præsertìm divinorum Officiorum tempore. Ratio autem prohibitionis est, quia hæc, prætérquàm quod à divino cultu retrahant, multis aliundè, juvenibus potissimùm ac puellis, sunt occasio peccandi; in choreis etenim ex mutuo aspectu, colloquio, manuum contactu, instrumentis musicis, mutuoque sibi invicem placendi desiderio, valdè commovetur concupiscentia, turpes excitantur cogitationes, et excitatæ facilè admittuntur. Item, prohibetur Cauponibus ne eodem Officii tempore tabernas pro concivibus aperiant.

PARS SECUNDA.

DE PRÆCEPTIS SECUNDÆ TABULÆ.

Septem tabulæ secundæ præcepta proximum spectant, ut jam observavimus, et clarè ostendit Apostolus, Rom. c. 13, ℣. 9: *Non adulterabis*, inquit, *non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces; et, si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum sicut teipsum.* Idcircò, priusquàm de singulis seorsìm agamus præceptis illis, generalem instituere juvat de charitate proximi disceptationem.

CAPUT PRIMUM.

De Charitate Proximi.

Charitatis erga proximum tria sunt præcepta affirmativa: 1.um de dilectione; 2.um est de eleemosynâ et de aliis operibus misericordiæ corporalis; 3.um de correctione fraternâ et aliis operibus misericordiæ spiritualis. Quatuor autem sunt præcepta negativa: 1.° prohibetur odium proximi; 2.° invidia; 3.° discordia; 4.° scandalum: quæ omnia quadruplici sectione exponemus.

SECTIO PRIMA.

De præcepto diligendi Proximum.

Circa hoc præceptum tria expendenda sunt: 1.° an detur præceptum diligendi proximum; 2.° an etiam inimicus diligendus sit; 3.° quis ordo servandus sit in dilectione proximi.

ARTICULUS PRIMUS.

An detur præceptum diligendi Proximum.

Proximus hìc intelligitur, juxta SS. PP. et Theologorum interpretationem, quicunque nobiscum est divinæ amicitiæ et æternæ beatitudinis capax, quales sunt Angeli, homines beati, animæ in Purgatorio detentæ, non autem dæmones nec damnati, qui nec amicitiæ divinæ, nec beatitudinis æternæ sunt ampliùs capaces; maximè verò hâc voce intelliguntur homines viatores, sive justi sive peccatores, sive fideles sive infideles, sive concives sive extranei, sive amici sive inimici: Christus enim, Lucæ c. 10, docet unumquemque hominem proximum esse alteri, et quemlibet cuilibet, etiam Samaritanum Judæo.

PROPOSITIO.

Certum est dari præceptum diligendi proximum amore supernaturali, affectivo et effectivo.

Prob. auctoritate Scripturæ sexcentis in locis: Matth. c. 22, cùm Christus dixisset primum et maximum mandatum esse de diligendo Deo, addit, ℣. 39: *Secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut teipsum.* I. Joan. c. 4, ℣. 21: *Et hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.*

Dixi 1.°, *diligendum esse proximum amore supernaturali*, id est, actu interno voluntatis, quo proximo velimus beatitudinem supernaturalem et alia bona, sive supernaturalia, sive etiam naturalia, quatenùs inservire possunt ad beatitudinem. Hinc Joan. c. 15, ℣. 12, sic loquitur Christus: *Hoc est præceptum meum ut diligatis*

invicem, sicut dilexi vos : sicut, id est, simili, ac proindè supernaturali, dilectione; supernaturali, inquam, tum ratione principii, quod est gratia; tum ratione objecti, scilicet beatitudinis; tum ratione motivi, nempè Dei ipsius.

Dixi 2.°, *amore affectivo*, id est, actu interno voluntatis; neque enim satis est non odisse aut non lædere, imò etiam exteriùs benefacere; ampliùs enim aliquid dicit vox illa *Diliges*; et, sicut in præcepto diligendi Deum requiritur, ex omnium consensu, actus internus amoris, ita et in præcepto diligendi proximum. Hanc in rem S. Ambrosius, lib. 1 de Officiis, cap. 30, sic loquitur : *Non satis est benè velle, sed etiam oportet benefacere; nec satis est iterùm benefacere, nisi ex bono fonte, hoc est, bonâ voluntate proficiscatur.* Hinc Innocent. XII damnavit hanc propositionem : *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali*; et sequentem : *Præcepto diligendi proximum satisfacere possumus per solos actus externos.*

Non est tamen necesse ut singulos proximos speciali et singulari affectu diligamus, nisi fortè sint nobis speciali ratione conjuncti, ut parentes, superiores; sed sufficit actus generalis dilectionis quo omnibus, tanquam ad supernaturalem beatitudinem vocatis, eam aliaque bona supernaturalia optemus, et, quantùm in nobis est, procurare intendamus.

Quandonàm autem per se obliget præceptum eliciendi hunc actum dilectionis, non potest præcisè determinari : dici tamen potest nos ad eliciendum hunc actum teneri, 1.° post adeptum rationis usum et propositam dilectionis proximi necessitatem; 2.° aliquoties in vitâ, juxta viri

prudentis judicium. Præterea, obligat præceptum illud aliquandò per accidens, scilicet, quandò actus dilectionis proximi necessarius videtur ad vitandum illius odium vel aliud peccatum contra ipsum, v. g., cùm juvandus est inimicus; hoc tamen plerumquè aliundè fieri potest, nempè per dilectionem Dei in desiderio illi placendi, in deponendo odio et juvando inimico.

Dixi 3.°, *amore effectivo*, scilicet bona officia proximo exhibendo; undè I Joan. c. 3, ℣. 18, dicitur: *Non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere et veritate.* Et S. Greg. lib. 2, Homil. 30 in Evang., ait: *Probatio dilectionis exhibitio est operis.* Quarè præceptum dilectionis proximi non consistit in solà interiori dilectione, sed obligat etiam ad comprobandam aliquandò per opera dilectionem, impendendo scilicet beneficia proximo, vel illius damnum impediendo. Contra hoc ergo præceptum sine dubio peccaret, qui proximum de damno imminenti non moneret, v. g., qui de ruinâ parietis opprimendum non admoneret, vel qui non exstingueret incendium domûs ipsius, quandò sine magno incommodo posset.

Dices: Sancti aliquandò leguntur mala peccatoribus optasse; ergo non tenemur eos amare amore affectivo.

Resp. cum S. Thomâ imprecationes hujusmodi, quæ in Scripturis leguntur, multipliciter intelligi debere: 1.° quidem per modum prophetiæ, non per modum optationis, ut quandò dicit Psalmista: *Convertantur peccatores in infernum;* idem enim est ac si diceret, convertentur. Idipsum ait S. Aug. contra Faustum, lib. 16, cap. 22: *Maledicta cùm ex Prophetiâ dicun-*

tur, non sunt de malo voto imprecantis, sed de præscio spiritu denuntiantis. 2.° Sunt per modum optationis malorum temporalium, quatenùs ea improbis utilia sunt ad eorum conversionem. 3.° Ex zelo justitiæ proficiscuntur, quatenùs mala illa justè à Deo immittuntur in vindictam criminum: sic Elias maledixit quinquagenariis, et Eliseus pueris Bethel. 4.° Deniquè imprecationes aliquandò non contra homines diriguntur, sed contra regnum peccati, ita ut Sancti optent, non quidem ut homines esse desinant, sed ut desinant esse peccatores, juxta illud S. Aug. de serm. Domini in monte, lib. 1, cap. 22: *Quis enim audeat affirmare, cùm illi Sancti candidati se vindicari petierint, utrùm contra ipsos homines, an contra regnum peccati petierint? Nam ipsa est sincera et plena justitiæ et misericordiæ vindicta Martyrum, ut evertatur regnum peccati, quo regnante, tanta perpessi sunt.*

ARTICULUS II.

De Dilectione inimicorum.

PROPOSITIO.

Præceptum diligendi proximum obligat ad diligendos inimicos, saltem æquè ac alios homines, et ad condonandam iis injuriam acceptam.

Propositio est de fide.

Prob. 1.° *ex Script.* Matth. c. 5, ℣. 44: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.*

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Hieronym. in Matth. cap. 5: *Multi*, inquit, *præcepta Dei imbecillitate suâ non Sanctorum viribus æstiman-*

tes, putant esse impossibilia quæ præcepta sunt, et dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicos : cæterùm diligere plus præcipi quàm humana natura patiatur. Sciendum est ergo Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta : quæ fecit David in Saül et Absalon; Stephanus quoque Martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus est; et Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis : hæc autem Jesus et docuit et fecit, dicens : «Pater, ignosce illis, quod enim faciunt nesciunt.» S. Augustin., Serm. 5 de S. Steph., idem ait : *Sed dicet aliquis : grandis labor inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare. Non negamus, fratres, non parvus quidem labor est in hoc seculo, sed grande erit præmium in futuro : per amorem enim hominis inimici efficieris amicus Dei, imò non solùm amicus, sed etiam filius, sicut ipse Dominus dicit : « Diligite inimicos vestros, benefacite eis qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri qui in Cœlis est.»*

Prob. 3.° *Ratione :* Quia, quandiù inimici nostri sunt viatores, amicitiæ divinæ æternæque beatitudinis sunt capaces, et consequenter participant rationem formalem dilectionis; ergo sunt diligendi.

Dixi 1.°, *nos obligari ad diligendos inimicos*, æquè ac alios homines; quippe est obligatio diligendi inimicum eo tempore et modo quo generaliter et alios homines, id est, per actum generalem dilectionis et per signa externa benevolentiæ, quandò his indiget. Hinc Apostolus, Rom. c. 12, ℣. 20, ait : *Sed, si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi.* Et Exodi c. 23, ℣. 4, 5, præceperat Deus : *Si occurreris*

occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, reduc ad eum; si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo. Idem dicendum de quocunque alio inimici bono, sive animæ, sive corporis, sive fortunæ; est enim obligatio damnum illius avertendi, si absque magno incommodo fieri possit, et ad hoc quisque animo paratus esse debet erga inimicum.

Dixi 2.°, *saltem æquè ac alios homines*, id est, concivem ut concives, subditum ut subditos, superiorem ut superiores, cognatum ut cognatos ejusdem gradûs et ordinis; quia, licèt non semper teneamur singularia benevolentiæ signa inimicis exhibere, v. g., eos admittendo ad convivia vel ad familiaritatem, etc., aliquandò tamen ad hoc obligamur, v. g., 1. quandò ex omissione istorum signorum benevolentiæ sequitur scandalum vel hominis jam exulcerati majus odium; 2. si hinc foveatur vel augeatur simultas et odium inimici; 3. si spes sit salutatione, familiaritate, aut aliquo alio benevolentiæ signo animum inimici facile placandum; 4. si absque hujusmodi signis odium internum non facilè deponi possit.

Extra has autem circumstantias et casum necessitatis, non tenemur inimicis specialia benevolentiæ signa præstare; præceptum enim charitatis, per se loquendo, non plus obligat ad dilectionem inimici, quàm cujuslibet alterius; conditio siquidem inimici non duplicat proximi conditionem: atqui ad præceptum dilectionis proximi, satis est, communiter loquendo, ut, extra casum necessitatis et indigentiæ, ametur in communi, eique communia benevolentiæ signa pro cujuscunque conditione et statu exhibeantur; ergo, etc.

Dixi 3.°, *ad condonandam injuriam acceptam;* est enim obligatio absoluta remittendi ex animo offensam ab inimico acceptam, juxta illud Matth. c. 6, ℣. 15 : *Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Et c. 18, ℣. 35 : *Sic et pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* De hâc obligatione loquens S. Aug., Sermone 61 de tempore, ait : *Sed dicet aliquis, nullâ ratione possum inimicos diligere. In omnibus Scripturis Deus dicit tibi quia potes. Tu è contrario respondes non posse. Considera nunc utrùm tibi an Deo debeat credi... quia nec impossibile aliquid potuit imperare qui justus est ; nec damnaturus est hominem pro eo quod non potuit vitare, quia pius est.*

Hæc autem offensæ condonatio nihil est aliud quàm interioris odii vel appetitûs vindictæ depositio, et fuga omnis demonstrationis odii contra inimicum : contrarium autem facere est peccatum ex genere suo mortale. Dico ex genere suo, quia interdùm à peccato mortali excusantur levia inimicitiæ signa, 1.° ratione causæ, ut si ex levi odio vel rixà procedant, secluso scandalo, sicut contingit sæpè inter eos qui simul convivunt; 2.° ratione periculi vel timoris ne, si statìm inimico venia concedatur, ipse deterior fiat; quapropter Superiores, quales Principes, Prælati, parentes, si ab inferioribus læsi fuerint, possunt aliquandò iis ad tempus (secluso tamen odio et aliorum scandalo) denegare reconciliationem et communia benevolentiæ signa, justæ punitionis causà, ad eorum emendationem vel ad majorem aliorum cautelam.

Colliges 1.° non licere inimicum expressè excipere à communibus orationibus, beneficiis, auxi-

liis aut benevolentiæ signis, quia esset aperta vindicta et odii demonstratio. Ita S. Thom. 2.â 2.æ, quæst. 25, et quæst. 83.

Colliges 2.° illicitum esse inimico salutanti salutationem non reddere, vel ei denegare solita benevolentiæ signa.

Colliges 3.° graviter eum peccare qui non vult reconciliari inimico, quantùm in se est, sive nolit prior veniam petere, quandò justè exigitur, et ipse priùs ac longè graviùs alium offendit, aut est longè inferioris conditionis; sive nolit petenti dare veniam, aut convenientem ejus satisfactionem acceptare.

Quoad actionem injuriarum in judicio, sive civilem sive criminalem, cavendum est diligenter ne qui eam contra offensorem instituit, hoc ex odio faciat vel animo vindictæ propriæ: esset enim grave peccatum; sed illud tantùm licet ac debet fieri ex sincero amore justitiæ et boni communis. Undè patet litigantes persæpè Deum hâc in parte offendere.

ARTICULUS III.

De Ordine in Charitate servando.

PROPOSITIO.

Ordo charitatis exigit, 1.° ut bonum nostrum spirituale necessarium præferamus omni bono proximi; 2.° ut bonum spirituale proximi necessarium præferamus bono nostro corporali, etiam propriæ vitæ; 3.° ut bonum nostrum corporale præferamus ordinariè bono corporali proximi; 4.° deniquè ut bonum proximi nobis magìs conjuncti, cæteris paribus, præferamus bono proximi nobis minùs conjuncti.

Propositio apud omnes certa est, et probanda per partes.

Prob. 1.ª *pars,* 1.° *auctoritate Script.* Matth. c. 16, ℣. 26 : *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Item Eccli. c. 14, ℣. 5 : *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?* Ex quo textu sic infert Petrus Blesensis, tractatu de institutione Episcopi : *In animæ negotio et in acquirendâ hæreditate cœlesti, nemo tibi germanior sit teipso.*

Prob. 2.° *Ratione :* Quia, ut ait S. Thomas, dilectio suî est regula et exemplar dilectionis proximi, ac proindè in rebus necessariis prior ac potior esse debet : undè est illud vulgatum, *charitas incipit à semetipso ;* quarè particula, *sicut*, in præcepto diligendi proximum, non significat propriè æqualitatem, sed similitudinem dilectionis, ita ut quilibet simili modo diligat proximum quo seipsum, scilicet desiderando ei et procurando beatitudinem et media ad illam, et universaliter ei faciendo quod sibi fieri vellet; non obstante autem hâc similitudine dilectionis, quisque potest, imò et debet seipsum plus diligere quàm proximum, in bonis spiritualibus necessariis: hinc non licet optare sibi vel procurare spiritualem aliquam animæ jacturam, quantumvis exiguam, ad procurandum aliis aliquod bonum etiam spirituale, quantumvis utile et maximi momenti. Hinc S. August. lib. de Mendacio, cap. 21, sic loquitur : *Ad sempiternam verò salutem nullus ducendus est, opitulante mendacio.* Nunquàm ergo licitum est se proximo vel venialiter peccandi periculo exponere, ob bonum spirituale etiam necessarium proximi: in moralibus enim idem est peccatum committere, et illius committendi proximo periculo se exponere; ita *Suarez.*

Obj. 1.° Apostolus Rom. c. 9, ℣. 3, de seipso ait : *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis ;* ergo, etc.

Resp. 1.° cum S. Hieronymo, S. Paulum non optasse in perpetuum privari Dei visione pro fratribus, sed tantùm mortem pro æternâ illorum salute oppetivisse.

Resp. 2.° cum S. Chrys., Homil. 15 et 16 ad Rom., pluribusque Patribus in hunc locum, S. Paulum optasse, si fieri posset, et ex hypothesi quam sciebat impossibilem, remanente semper amore erga Deum, privari in æternum ejus visione, si hoc Deo placeret, et ad ejus gloriam magis conduceret, idque ex magno zelo conversionis Judæorum et eorum salutis : quod desiderium erat signum maximæ charitatis. At tale desiderium separationis æternæ à Deo non erat nec esse poterat absolutum.

Inst. II Cor. c. 13, ℣. 7, ait Apostolus : *Oramus...! ut quod bonum est faciatis, nos autem ut reprobi simus ;* ergo, etc.

Resp. hunc esse sensum textûs illius, ut reprobi simus, id est, viles habeamur, despectui simus apud omnes, dummodò vos benè agatis : reprobum ergo non opponit prædestinato, sed honorato, quo ferè sensu vox eadem usurpatur I Reg. c. 15, et Psalmo 117.

Obj. 2.° Exodi c. 32, ℣. 31, 32, sic Deum precatur Moyses : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti ;* ergo, etc.

Resp. 1.° sensum illorum verborum hunc esse : aut parce illis, aut dele me de numero viventium : simili modo Moyses orabat Num. c. 11, ℣. 15 : *Sin alter tibi videtur, obsecro ut interficias me.*

Resp. 2.° etiamsi contendat aliquis loqui Moysen de libro prædestinationis, eum sic loqui cum certâ fiduciâ quòd non esset delendus, eo ferè modo quo filius unigenitus à patre valdè dilectus ei diceret : si dimittis hunc famulum tuum, ejice me simul de domo tuâ, certissimè sciens se non esse ejiciendum.

2.ª Pars propositionis : *tenemur bonum spirituale necessarium proximi præferre cuicunque bono nostro corporali, etiam propriæ vitæ ;* ita S. Thomas.

Prob. 1.° *ex Script.* Joan. c. 15, ℣. 12, 13 : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Item, I Joan. c. 3, ℣. 16 : *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Prob. 2.° *ex S. Augustino,* lib. de Mendacio, cap. 6 : *Temporalem vitam suam,* inquit, *pro æternâ vitâ proximi non dubitabit Christianus amittere : hoc enim præcessit exemplum, ut pro nobis Dominus moreretur.*

Prob. 3.° *Ratione :* Quia salus proximi est bonum superioris ordinis ; ergo, etc.

Hæc autem obligatio urget, saltem quandò proximus est in supremo et insuperabili mortis æternæ periculo à quo ipse se eripere non potest, et spes est illum juvandi : sic, v. g., tenemur succurrere proximo sine Baptismo morituro in incendio ; item, peccatori in peccato mortali occidendo dùm dormit, vel nihil suspicatur, etc. His, inquam, Christianus quilibet tenetur, quatenùs potest, succurrere, etiam cum

certo propriæ vitæ periculo; dummodò 1.° spes æquè certa affulgeat juvandi proximum et illum salvandi, nec sint alii qui succurrere possint ac velint; modò 2.° nihil ipse faciat quo sibi mortem directè inferre videatur: undè ut puerum aquis innatantem baptizes, non potes te in aquam dare præcipitem, si nulla spes affulgeat evadendi.

Addo etiam Pastores, et alios quibus ex officio incumbit animarum cura, teneri prætereà ex justitiâ succurrere proximo, etiam cum periculo vitæ, non solùm in extremâ necessitate spirituali, sed etiam in gravi; nam Pastores strictiùs obligantur quàm alii: sed alii tenentur in extremâ necessitate succurrere proximo; ergo Pastores tenentur etiam in gravi; quæ obligatio eorum, cùm ex officio procedat, certè oritur ex justitiâ. Hinc Doctores communiter docent Pastorem, tempore pestis, teneri ovibus suis administrare sacramenta necessaria, nec posse gregem deserere, juxta dicenda in *Tractatu de Statuum Obligationibus*, ubi de Residentiâ.

3.ª Pars: *Possumus ordinariè bonum nostrum corporale necessarium præferre bono corporali proximi;* Ita S. Thomas.

Prob. 1.° *ex S. Aug.* lib. de Mendacio, cap. 6: *Si quis*, inquit, *pro temporali alterius vitâ suam ipsam temporalem perdat, non est jam illum diligere sicut seipsum, sed plus quàm seipsum, quod sacræ doctrinæ regulam excedit.*

Prob. 2.° *Ratione:* Quia dilectio suî est regula dilectionis proximi; ergo ordinariè, et per se loquendo, quisque debet vel saltem potest magis tueri vitam propriam quàm alienam.

Dico, *ordinariè;* quia si accedat ratio boni communis vel majoris utilitatis, vel etiam, ex

communiori sententiâ, ratio gratitudinis aut amicitiæ, aut alia similia, licitum esse poterit alienam vitam propriæ anteponere; imò poterit esse necessarium, si Reipublicæ et boni communis necessitas exigat; ratio enim postulat ut pars periclitetur pro toto. Vide S. Thomam. Neque tamen in hoc casu quis magìs diligit proximum quàm seipsum, sed in se plus diligit bonum virtutis quàm bonum corporale, ut ait S. Thomas in 3. Sententiarum, dist. 29.

Dixi, *bonum corporale necessarium;* nam, quoad ea quæ necessaria non sunt, v. g., commoda, dignitates, aliave temporalia bona, non solùm licitum, sed etiam laudabile est ea dimittere, ut alteri obveniant, juxta Christi Domini et Sanctorum exempla.

4.ª Pars: *Tenemur bonum proximi nobis magìs conjuncti, cæteris paribus, præferre bono proximi nobis minùs conjuncti;* ita pariter S. Thomas.

Prob. 1.° *ex Apostolo,* I Timoth. c. 5, ℣. 8: *Si quis suorum, et maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.*

Prob. 2.° *ex auctoritate S. Augustini,* qui lib. 1 de Doctrinâ Christianâ, cap. 28, sic loquitur: *Cùm omnibus prodesse non possis, his potissimùm consulendum est, qui, pro locorum et temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictiùs tibi quasi quâdam sorte junguntur.* Similiter S. Ambrosius, in cap. 18 Lucæ, ait: *Dei traditio est ut priùs pascas parentes.*

Prob. 3.° *Ratione:* Quia qui nobis magìs conjuncti sunt, sunt magìs unum nobiscum; quarè,

cùm ordine charitatis teneamur bonum nostrum præferre bono proximi, tenemur etiam præferre bonum eorum qui magìs nobis sunt conjuncti : et verò id ipsa natura dictat; atque, ut egregiè observat S. Thomas, unumquodque agens naturale magìs diffundit actionem suam ad ea quæ sunt sibi magìs propinqua, sicut ignis magìs calefacit rem sibi magìs propinquam, et similiter Deus in substantias sibi propinquiores copiosiùs dona suæ bonitatis effundit.

Quoties ergo agitur de auxilio præstando in extremâ necessitate, sive corporali, sive spirituali, cæteris paribus, et per se loquendo, præferri debent conjuncti, secundùm mensuram majoris vel minoris conjunctionis, et ad id obligamur sub peccato mortali, quandò res est magni momenti.

Ordo autem inter conjunctos à S. Thomâ et aliis communiter assignatus hic est: 1.° loco ponitur pater, 2.° mater, 3.° conjux, 4.° filii, 5.° fratres, et deinceps reliqui consanguinei, 6.° spirituali et morali necessitudine conjuncti, ob instructionem vel aliud beneficium spirituale; item, ob amicitiam, societatem vel aliquod beneficium temporale; 7.° tandem inter extraneos præferendus est justus et innocens peccatori. Hinc S. Ambr. lib. 1, de Officiis, cap. 30, ait : *Etsi debetur omnibus misericordia, tamen justo ampliùs.*

Si tamen hic ordo invertatur quoad personas quarum conjunctio non est certò vel longè notabiliter strictior, excusabitur quis à peccato, saltem mortali.

Dixi 1.°, *hunc ordinem servandum esse cæteris paribus*; quia, si agatur de necessitate inæ-

quali, præferendus est extraneus, etiam peccator, in extremâ necessitate spirituali positus, conjuncto solùm corporaliter indigenti; sic etiam, si quis magno spirituali vinculo vel intimâ amicitiâ aut valdè singularibus beneficiis ab alio sit affectus, spectatis circumstantiis, censebitur arctiùs conjunctus quàm consanguineus non ita propinquus.

Dixi 2.°, *per se loquendo;* possunt enim exigere circumstantiæ, ut alteri præferatur is qui naturaliter deberet postponi; sic mater bona, et quæ filiorum dignam gerit curam, plus diligenda est quàm pater helluo et malus: undè graviter saltem non peccaret maritus, qui uxori clamosæ et inutili filium sibi in temporalibus necessarium præferret.

Dixi 3.°, *in extremâ necessitate;* extra eam enim debet uxor maritum præferre patri, et pater filios propriis genitoribus. Undè conjugi et *filiis magìs* quàm patri *debetur cura provisionis*, inquit S. Thom. hìc art. 9.

Dices: Ordo postulat ut magìs diligamus sanctiores, qui Deo magìs placent; ergo non præcisè qui nobis sunt magìs conjuncti.

Resp. Dist. ant. Ut magìs diligamus amore complacentiæ, *conc.;* amore effectivo et desiderio efficaci, *nego.*

SECTIO II.

De Præcepto subveniendi proximo per eleemosynam et correctionem fraternam.

Misericordia est *virtus moralis inclinans ad subveniendum miseriæ proximi propter Deum.* Eleemosyna verò est opus misericordiæ, quo

subvenitur necessitati seu miseriæ proximi, vel spirituali, vel corporali. Hinc duplex est genus eleemosynæ; una enim est spiritualis, corporalis altera.

Eleemosynæ spiritualis septem numerantur actus, qui vocantur opera misericordiæ spiritualis, scilicet, 1.° proximum ignorantem erudire; 2.° eidem in dubiis consilium dare; 3.° delinquentem corrigere; 4.° mœstum consolari; 5.° acceptam injuriam condonare; 6.° ejus defectus patienter ferre; 7.° deniquè pro ipso orare; quæ omnia hoc versiculo comprehenduntur:

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Eleemosynæ verò corporalis, quæ magis propriè dicitur eleemosyna, septem alii numerantur actus, qui vocantur actus misericordiæ corporalis, et hoc versiculo continentur:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Scilicet, 1.° visitare infirmos vel in carcere detentos; 2.° potum sitientibus dare; 3.° cibum esurientibus; 4.° redimere captivos; 5.° vestire nudos; 6.° peregrinos hospitio excipere; 7.° mortuos sepelire. De eleemosynâ corporali primùm, deindè de spirituali seu correctione fraternâ, quæ majorem injiciunt moram, disserere satis erit.

ARTICULUS PRIMUS.

De Præcepto faciendi Eleemosynam.

Triplex distingui potest necessitas proximi, cui per eleemosynam subveniendum est, *extrema*, videlicet, *gravis* et *communis*.

In *extremâ* necessitate constitutus dicitur proximus, quandò versatur in evidenti periculo

mortis vel morbi alicujus incurabilis, vel mutilationis alicujus è præcipuis membris, vel amittendi aliquem sensum, vel in perpetuam amentiam incidendi, et tamen non adest alius qui possit aut qui velit subvenire, ideòque auxilio nostro extremè indiget.

Necessitatem *gravem* pati dicitur ille cui imminet periculum alterius gravis mali, v. g., captivitatis, triremium, morbi gravis, abbreviationis vitæ, infamiæ notabilis, bonorum jacturæ, aut alterius mali ex quo fiat ut vitam nonnisi ægrè ducere possit: v. g., si nobilis cogatur famulari, aut vir honestus mendicare.

Deniquè in *communi* necessitate versatur ille qui, infra gravem necessitatem et sine notabili jacturâ sui statûs, verâ tamen indigentiâ premitur; talis est regulariter necessitas pauperum ostiatim mendicantium.

Triplicis etiam generis bona potest quis possidere: 1.° quædam sunt *necessaria naturæ* seu ad vitæ suæ et suorum sustentationem; 2.° quædam sunt quidem superflua naturæ seu vitæ, sed sunt *necessaria personæ* seu ad conservandum statum suum, quò Doctores referunt honestam filiorum educationem; item, quæ reservari possunt ad communes eventus et necessitates: qualia tamen non sunt quæ quisque reservat ad fastum et pompam; 3.° deniquè alia sunt bona simpliciter et absolutè *superflua*, id est, nec ad sustentandam vitam, nec ad conservandum statum proprium necessaria. His positis, sit

PROPOSITIO PRIMA.

Datur præceptum sub mortali obligans de faciendâ eleemosynâ indigentibus.

Propositio est de fide, et traditur à S. Thomâ, 2.â 2.æ, quæst. 32.

Prob. 1.° *auctoritate Script.* sexcentis in locis; ut Proverb. c. 21, Eccli. c. 4, et 29, et præsertìm Matth. c. 25, ℣. 41, 42, ubi Christus sic loquitur : *Discedite à me maledicti in ignem æternum.... Esurivi enim et non dedistis mihi manducare*, etc.; ubi damnantur homines propter neglecta misericordiæ opera et propter transgressionem hujus præcepti. Item, I Joan. c. 3, ℣. 17, ubi sic legitur : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo?*

Prob. 2.° *innumeris Patrum testimoniis*, quorum plura inferiùs referemus : nunc sufficiat illud S. Ambrosii, lib. 1 de Officiis, cap. 39 : *Grandis culpa est, si, sciente te, fidelis egeat; si scias eum.... fame laborare, ærumnam perpeti, qui præsertìm egere erubescat.*

Cùm autem præceptum hoc affirmativum sit, non obligat pro omni tempore, sed solùm quandò hæc duo concurrunt, scilicet 1.° quandò proximus indiget ac necessitatem patitur; 2.° quandò dans eleemosynam habet superflua, ut mox dicetur, juxta illud Christi Domini, Luc. c. 11, ℣. 41 : *Veruntamen quod superest, date eleemosynam.* Hinc, pro triplici necessitate superiùs expositâ, triplex adhuc statuenda est propositio. Sit igitur

PROPOSITIO II.

Certum est in extremâ proximi necessitate faciendam esse eleemosynam, etiam de bonis statui seu personæ necessariis.

Prob. 1.° *ex textibus Script.* suprà relatis, qui, si quandò obligant, certè in necessitate extremâ.

Prob. 2.° *ex SS. PP.*, inter quos S. Ambr. relatus dist. 86, cap. *Pasce*, sic ait: *Pasce fame morientem; quisquis pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti.* Et lib. 1, de Officiis, cap. 30: *Grandis culpa.... si (fidelis) in causam ceciderit aut captivitatis suorum aut calumniæ, et non adjuves: si sit in carcere et pœnis et suppliciis propter debitum aliquod justus excrucietur.... Si tempore afflictionis suæ nihil à te impetret, si, tempore periculi quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quàm vita morituri.* Eodem modo loquitur S. Gregorius, Homil. 20 in Evangelia: *Minùs*, inquit, *proximum amare convincitur, qui non cum eo in necessitate illius, etiam eà quæ sibi sunt necessaria, partitur.*

Prob. 3.° *Ratione*: 1. Quia ordo charitatis ordinariè postulat ut vitam proximi præferamus propriæ dignitati. 2. Quia qui extremam patitur necessitatem, licitè potest diviti, etiam nolenti, surripere quæ ipsi ad vitam necessaria non sunt; neque in hoc dives potest esse rationabiliter invitus; ergo quisque tenetur, et quidem sub mortali, proximo in necessitate constituto subvenire, notabiliter etiam de statûs sui splendore detrahendo.

Obj. Sequeretur ex hâc conclusione, 1.° virum nobilem, ut servet vitam rustici, opulentum te-

neri distrahere patrimonium; 2.° teneri divitem ad dandum gratìs egenti; nec sufficere quòd ei det mutuo : quæ certè absurda sunt.

Resp. ad 1.um *Nego sequelam.* Nemo quippe tenetur in pauperem esse liberalior quàm in semetipsum : atqui, ut notat Sylvius, si quis ab hostibus captus esset, non teneretur se quantâcunque summâ redimere, cum totali statûs sui suæque familiæ subversione, nisi talis esset persona ex quâ penderet salus Reipublicæ; ergo multò minùs alium tanto cum incommodo redimere debet. Enim verò, licèt hominis vita toto censu pretiosior sit, in ordine tamen ad bonum publicum, quod privato certè præferendum est, pluris valet aliqua magna substantiæ et boni quantitas, quàm privati vita. Aliàs quippe quotidiè subverterentur nobiliores familiæ, ad suppeditanda cuique pauperi in extremis constituto exquisitissima remedia, et accersendos cum immensis sumptibus præstantiores medicos, quod pauci etiam potentes faciunt, et quod reipsâ nemini præceptum est. In hoc itaque negotio, pergit Sylvius, sæpè opus est arbitrio prudentùm, qui, spectatis omnibus circumstantiis, decidant quantùm de suo statu debeat quis detrahere, ut alterius vitam conservet.

Resp. ad 2.um aliquandò teneri divites ad dandum gratìs, aliquandò sufficere quòd dent mutuo.

1.° Si proximus sit tantùm pauper secundùm quid, id est, si hìc et nunc careat quidem necessariis, sed habeat alibi bona, vel spem habendi ex fundo, successione, industriâ, aut res quâ indiget sit ipsi quoad solum, in præsentibus circumstantiis, usum necessaria, tunc satisfit ei mutuando, commodando, vendendo, non numeratâ pecuniâ, etc., id quo indiget : quia talis non est

absolutè et simpliciter egens, cùm indigeat solùm ad tempus; nec ipsâ re ut gratìs dandâ opus habet, sed solâ rei mutuatione, etc. Hinc sufficit mutuari frumentum agricolæ nunc egenti, sed uberrimam messem exspectanti; sufficit equum commodare, cui præcisè necessarium est ut periculum fugâ devitet.

2.° Si proximus sit absolutè pauper, ita ut nullibi bona habeat, nec ullam habendi spem, tunc est obligatio ei dandi gratìs et absque onere restituendi; ex dictis enim eleemosyna cadit sub præceptum: atqui sola gratuita donatio est propriè eleemosyna; ergo, etc.

PROPOSITIO III.

In gravi necessitate proximi, facienda est eleemosyna ex superfluis fortunæ, imò et ex naturæ superfluis quæ ad aliqualem statûs decentiam necessaria sunt.

Propositio certissima est.

Prob. 1.° *ex verbis Christi,* Matth. c. 25, suprà relatis, ex quibus patet non agi solùm de necessitate extremâ, sed et de gravi; nam verba illa, *Hospes eram, infirmus, et in carcere,* non significant extremam, sed ad summum gravem necessitatem; et tamen Christus damnationem interminatur iis qui in tali necessitate eleemosynam non fecerunt.

Prob. 2.° *ex SS. PP.,* quos inter S. Aug. in Epist. Joan. cap. 3, tractatu 5, sic loquitur: *Esurit frater tuus, in necessitate constitutus est... si habes facultates mundi, quid ad me pertinet, fortè dicis? Ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur? Si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non in te manet.*

Et Beda lib. 4, in c. 11 Lucæ : *Quod necessario victui ac vestimento superest, date pauperibus... Neque enim ita facienda jubetur eleemosyna, ut te ipsum consumas inopiâ, sed ut, tui corporis curâ expletâ, inopem, quantùm vales, sustentes.*

Deniquè SS. PP. suprà citati et alii, cùm de obligatione faciendæ eleemosynæ agunt, non meminerunt tantùm extremæ necessitatis, quæ raró contingit, sed communiter mentionem faciunt alterius quæ frequenter occurrit, cujusmodi est gravis et communis necessitas.

Dixi in propositione : *imò et de superfluis naturæ quæ ad aliqualem statûs decentiam necessaria sunt.* Quia in gravi necessitate subvenire debemus proximo cum aliquo proprii statûs detrimento, v. g., distribuendo divitias quæ necessariæ sunt ad convivia, donationes, aliaque hujusmodi, juxta decentiam statûs. Ratio est, quia quisque ex charitate tenetur magnum damnum proximi impedire, si absque magno incommodo vitæ possit, licèt cum aliquâ decentiæ statûs imminutione; aliàs quippe non diligeret proximum sicut seipsum, nec ipsi faceret quod in pari casu sibi fieri rationabiliter vellet.

PROPOSITIO IV.

In communibus pauperum necessitatibus certum videtur faciendam esse eleemosynam ab eo qui habet bona omninò superflua, id est, nec vitæ nec statui necessaria.

Prob. 1.° *ex Scripturâ*, Luc. c. 11, ℣. 41 : *Veruntamen quod superest, date eleemosynam.* Quæ verba SS. PP. contendunt præceptum aliquod continere; item, Luc. c. 3, ℣. 11 : *Qui habet*

duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat. Quæ verba exponens S. Hieronymus ait : *Si plus habes quàm tibi ad victum et vestitum necessarium est, illud eroga et in illo debitorem esse te noveris.*

Prob. 2.° *ex SS. PP.* qui omnes absolutè pronuntiant superfluum debitum esse pauperibus.

S. Basil., Homil. in illud dictum Evangelii secundùm Lucam, *Destruam horrea mea, et majora ædificabo*, itemque de Avaritiâ, sic alloquitur divitem : *Non spoliator es tu, qui scilicet quæ dispensanda recepisti, ea tibimetipsi propria facias? Furne vocabitur qui veste indutum denudaverit? qui verò nudum non induerit, si id agere potest, aliâ quâdam appellatione dignus est?*

S. Ambr. Serm. 81 : *Quis*, inquit, *tam injustus, tam avidus, tam avarus, quàm qui multorum alimenta, suum non usum, sed abundantiam et delicias facit? Esurientium panis est quem tu detines, nudorum indumentum est quod tu recludis, miserorum redemptio est et absolutio pecunia quam tu in terram defodis.*

S. Hieron. in Psal. 111 : *Eleemosynas non facere crimen habentis est. Cæterùm, qui non habet undè faciat eleemosynam, liber est. Quantumcumquè dare voluerit, tantùm dedit, quia voto dedit.*

S. August. enarratione in Psal. 147 : *Superflua divitum, necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, cùm superflua possidentur.* Et Sermone 219, de Tempore : *Quidquid, excepto victu medioeri et vestitu rationabili, superfuerit, non luxuriæ reservetur, sed in thesauro cœlesti per eleemosynam pauperum*

reponatur : quidquid enim nobis Deus plus quàm opus est dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos aliis erogandum transmisit ; si non dederimus, res alienas invasimus.

Prob. 3.° *Ratione :* Quia charitas et misericordia obligant eum qui facilè et sine incommodo potest, ad subveniendum proximo indigenti. Hinc I Tim. c. 6, ℣. 17, 18, Apostolus ait : *Divitibus hujus seculi præcipe... facilè tribuere.*

Quod autem aliqui dixerunt, in ditissimis personis, præsertim secularibus, vix inveniri superfluum, id omninò falsum est : nam, ut ait S. Augustinus in Psal. 147, *multa superflua habemus, si non nisi necessaria teneamus ; nam, si inania quæramus, nihil sufficit.* Quocircà damnata est ab Innocentio XI hæc propositio : *Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui, et ita vix aliquis tenetur facere eleemosynam, quandò tenetur tantùm ex superfluo statui.*

Cæterùm, quoniam necessitates communes leves sunt, spectatis personis, ideò non videtur dives semper de peccato mortali damnandus, qui aliquoties tantùm eleemosynam negat ; præsertim si causam habeat, vel si propositum habeat dandi posteà, vel indigentioribus, vel in alia opera impendendi : non videtur tamen à mortali excusandus, qui, habens superflua bona, omnibus rogantibus eleemosynam negaret, et mendicos omnes sine causâ repelleret, neque eleemosynam dare vellet nisi in gravibus necessitatibus : quâ in re cùm divites permulti sint rei, ideò debent à Confessariis diligentiùs interrogari, et de hâc strictissimâ obligatione moneri.

Quæres ex quibus bonis facienda sit eleemosyna.

Resp. ex solis bonis propriis, quorum libera habetur administratio, non ex alienis sine consensu domini. Patet 1.° ex Script. et SS. PP. Proverb. c. 3, ℣. 9: *Honora Dominum de tuâ substantiâ.* S. August. Serm. 178 aliàs 19: *Dicit tibi Deus: jussi ut dares, sed non de alieno. Si habes, da de tuo; si non habes quod des de tuo, meliùs nulli dabis, quàm alteros spoliabis.* Patet 2.° Ratione: quia nemo dare potest quod suum non est, vel cujus alienatio ei prohibita est, nisi careat propriis, et proximus in extremâ versetur necessitate, in quâ omnia sunt communia, quoad usum.

Hinc, extra necessitatem extremam, 1.° famuli et ancillæ non possunt ex rebus dominorum, nec filli ex parentum bonis eleemosynas facere, sine eorum consensu expresso vel tacito, aut prudenter præsumpto, quia bonorum illorum non sunt domini; 2.° Religiosus non beneficiatus, nec ullam habens administrationem, cui annexa sit potestas faciendi eleemosynam, nihil largiri potest sine licentiâ Superioris expressâ vel tacitâ, qualem habere censetur iter faciens aut in studiis versans extra monasterium, ex pecuniis ei datis; 3.° uxor non potest de bonis communibus et fructibus dotalibus facere elemosynas extraordinarias sine consensu mariti, ad quem pertinet illorum administratio. Eo tamen invito potest vulgares et modicas, spectatis facultatibus, facere, quales solent feminæ ejusdem conditionis et facultatis, saltem si vir ipse sufficientes non largiatur, quia id pertinere censetur ad debitam uxoris sustentationem, et ideò irrationabiliter esset invitus. Tutores verò et Curatores modicas eleemosynas, etiam in communibus

pauperum necessitatibus, facere posse ex bonis pupillorum, affirmant multi contra multos, quia istud pertinere videtur ad rectam bonorum administrationem. Item, minores aut pupilli modicas largiri possunt eleemosynas, quales alii ejusdem conditionis et facultatis facere solent, quia tunc donant de suo, et quidem cum præsumpto Tutorum aut Curatorum et legum consensu.

ARTICULUS II.

De Præcepto Correctionis fraternæ.

Correctio fraterna dicitur *actus externus charitatis* seu misericordiæ spiritualis, *quo, monitione salutari, peccator ad emendationem inducitur*. Hæc autem fieri potest sive suavi increpatione, quomodò inferior corripiendus est; sive amicà monitione, quomodò corripiendus est æqualis; sive obsecratione, quomodò corripiendus est Superior.

PROPOSITIO.

Datur præceptum faciendi correctionem fraternam.

Propositio certa est.

Prob. 1.° *ex multis Script. locis.* Galat. c. 6, ℣. 1: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* II Thessal. c. 3, ℣. 15: *Si quis non obedit verbo nostro,... nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.* Præcipuè verò Matth. c. 18, ℣. 15: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum.* Quem textum de vero præcepto intelligendum esse patet, tum ex SS. Basilio in Regulis brevio-

ribus, Ambrosio lib. 8 in Lucam, cap. 17, Chrysostomo et Hieronymo in Matth.; tum ex Sum. Pontificibus, ut videre est causâ 24, quæst. 3, cap. *Tam Sacerdotes;* item, cap. *Novit*, de Judiciis, et cap. *Cùm ex injuncto*, de Hæreticis. Quibus addo illud Joannis VIII Papæ, distinct. 86, cap. *Facientis: Facientis culpam procul dubio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare..... et nihil prodest alicui non puniri proprio, qui puniendus est alieno peccato.* S. Aug. Serm. 16 de Verbis Domini, prout illum affert S. Thomas hìc: *Si neglexeris corrigere, pejor eo factus qui peccavit.*

Prob. 2.° *ex SS. PP.* jam citatis, quibus unum addo Gregorium in Pastorali, part. 3, cap. 14: *Qui proximorum mala respiciunt et in silentio linguam premunt, quasi, conspectis vulneribus, usum medicaminis subtrahunt, et eò mortis auctores fiunt, quò virus quod potuerunt curare noluerunt.*

Prob. 3.° *Ratione:* Quia lex naturalis charitatis et misericordiæ non solùm obligat ad subveniendum miseriæ corporali, sed etiam et graviùs spirituali, quale certè est peccatum quod proximus non potest vitare, vel ex quo resurgere sæpiùs facilè non potest sine admonitione et correctione, scilicet ob naturæ infirmitatem, intellectùs cæcitatem, passionum violentiam, inveteratamque peccandi consuetudinem.

Quoad modum correctionis fraternæ, servandus est ille quem Christus Dominus præscripsit Matthæi suprà citato capite.

1.° Itaque privatim admoneri debet proximus, nisi crimen publicum sit ac notorium, aut nisi tale sit ut debeat statìm denuntiari Prælato, vel

1. ob periculum damni publici, aut etiam aliquandò damni privati, si sit majus quàm æstimetur jactura famæ delinquentis apud Superiorem, cujusmodi est crimen hæresis; vel 2. ob desperationem emendationis, si ab alio quàm à Superiore fiat correctio; vel 3. ob severitatem correctionis absque gravi delinquentis dispendio, v. g., cùm filiorum vel discipulorum peccata parentibus eorum aut magistris denuntiantur.

2.° Christus præscribit ut, si hæc admonitio nihil prosit, unus aut duo testes adhibeantur, ut convictionem aut etiam pudorem vel terrorem afferant delinquenti, et efficaciùs corripiant.

3.° Præcipit Christus ut, si hæc non sufficiant, Ecclesiæ seu Superiori denuntietur; Superioris autem nomine intelligitur vel Prælatus, vel Pater, vel etiam Judex, si opus sit.

Cæterùm, cùm præceptum illud affirmativum sit, obligat solùm, ex communi sententiâ, quandò concurrunt quatuor istæ circumstantiæ: 1.° si scias peccatum fratris; atque id innuunt verba illa Christi, *Si peccaverit in te*, id est, te sciente, ut exponunt S. August. et S. Thom. Si autem ignores peccatum fratris, nec corrigere teneris, nec debes curiosiùs inquirere; hoc enim ad Superiores tantùm pertinet. 2.° Si spes aliqua sit emendationis; emendatio enim est unicus finis correctionis: undè Proverb. c. 9, ℣. 8: *Noli arguere derisorem.* Excipe tamen nisi defectus correctionis, quamvis non profuturæ delinquenti, sit aliis in scandalum et occasionem peccati, vel in damnum innocentis aut boni communis: v. g., si quis errores disseminet, is etiam à privato homine corripi debet, tametsi conversio ejus non speretur, modò ejus reprehensio possit alii pro-

desse. 3.° Si proximus qui peccavit nondùm sit emendatus per se aut per alium; alioqui, cùm non indigeat tuâ correctione, non teneris eam facere. Hinc multi Doctores censent non esse obligationem corripiendi alium de peccato merè præterito, quandò certum est eum in illud non esse relapsurum; et verò Eccli. c. 19, ℣. 14, dicitur: *Corripe proximum... ne fortè iteret;* alii tamen Doctores refragantur. 4.° Deniquè si omnes circumstantiæ loci, temporis, etc., opportunæ sint ad corripiendum; alioqui commodiores exspectari poterunt. Quapropter S. Aug. lib. 1 de Civit. Dei, cap. 9, ait: *Si propterea quisque objurgandis et corripiendis malè agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit,... non videtur esse cupiditatis occasio; sed consilium charitatis.* Porrò ex quâcunque etiam ignorantiâ quis peccet, corrigi seu instrui debet, si spes emendationis adsit; secùs autem, si majora mala timeantur.

Quoad personas quas obligat præceptum correctionis fraternæ, certum est omnes, sive superiores, sive æquales, sive inferiores, obligari sub peccato mortali, per se loquendo, quia, ut ait Scriptura, Eccli. c. 17, ℣. 12, *Mandavit illis unicuique de proximo suo.* Præ cæteris tamen et longè strictiùs obligantur Pastores, ratione officii, ad exhibendum proximo magnum hoc dilectionis et misericordiæ opus, in gravi ejus miseriâ spirituali.

Colliges cum S. Thomâ eum peccare mortaliter, qui, cùm facilè potest, negligit tollere vel impedire peccatum mortale proximi, ob mali temporalis timorem, vel boni temporalis cupiditatem; hic enim in re gravi invertit ordinem charitatis,

ritatis, præferens commodum suum temporale bono spirituali necessario proximi : atque id à fortiori dicendum est, si ad hoc teneatur ex officio et justitiâ, ut Pastores, Concionatores, Magistratus, qui interdùm, etiam cum suo incommodo seu periculo vitæ vel honoris aut fortunarum, tenentur quam possunt diligentiam adhibere, ad impedienda peccata et corripiendos delinquentes.

Potest autem aliquandò fieri ut privati homines, omittendo correctionem fraternam, non peccent mortaliter, quandò pro naturali verecundiâ et pusillanimitate non advertunt se tam strictè obligari, aut putant se parùm aut nullo modo profuturos, vel proximum sine suâ operâ emendandum.

Quoad scrupulosos, admonendi sunt ut in correctione faciendâ prudentes sint, alioqui valdè essent importuni et majoris sæpè mali causa, si suum in hoc judicium semper sequerentur.

Quæres an facienda sit correctio fraterna circa peccata venialia.

Resp. ordinariè non esse obligationem corripiendi proximum de talibus peccatis, nisi ad summum sub peccato veniali; imò ad hoc requiritur ut facillimè fieri possit, quod rarum est, nisi apud eos qui sibi invicem valdè sunt familiares; excipi tamen debent Superiores, qui subditorum culpas veniales tollere et impedire tenentur, si exindè grave aliquod malum sequitur, v. g., disciplinæ relaxatio et frequentia peccatorum venialium.

SECTIO III.

De Peccatis contra Charitatem proximi.

Diximus suprà præcepto charitatis proximi,

quatenùs negativum est, quatuor prohiberi peccata, scilicet odium, invidiam, discordiam et scandalum : de quibus articulis sequentibus acturi sumus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Odio contra proximum.

Odium est voluntatis aversio et displicentia. Duplex autem distinguitur; aliud dicitur odium *inimicitiæ*, aliud odium *abominationis*. Odium inimicitiæ, quod et odium *personæ* dicitur, est illud quo persona nobis displicet, et ex ejus displicentiâ malum ei aut rebus ipsius volumus, quatenùs ejus malum est. Odium *abominationis*, quod et odium *qualitatis* dicitur, est illud quo non aversamur personam absolutè, et secundùm se ipsam, sed secundùm qualitatem malam ipsi adjacentem, quatenùs hæc qualitas apprehenditur ut nobis incommoda vel nociva.

PROPOSITIO.

Odium inimicitiæ est gravissimum peccatum, et in genere suo mortale.

Prob. 1.° *ex Script.* I. Joan. c. 2, ℣. 9 : *Qui fratrem suum odit, in tenebris est.* Et c. 4, ℣. 20 : *Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est.* Et c. 3, ℣. 14, 15 : *Qui non diligit, manet in morte : omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* Quia, ut ait S. Hieron., Epist. 13, *cùm homicidium ex odio sæpè nascatur, quicumque odit, etiamsi necdùm gladio percusserit, animo tamen homicida est.*

Prob. 2.° *Ratione* : Quia odium proximi directè opponitur præcepto charitatis, atque, ut ait

S. Thomas, in ordine ad illam, est majus omnibus peccatis quæ contra proximum committuntur, quamvis alia graviora sint ratione nocumenti; est ergo peccatum gravissimum.

Dixi, *mortale esse in genere suo;* quia veniale fieri potest, tum ex indeliberatione, tum ex levitate materiæ, v. g., si repentina sit, aut levis aversio proximi, vel si leve malum ei optetur.

Dixi prætereà, *odium inimicitiæ;* quamvis enim odium abominationis ordinariè sit peccatum, eò quòd odium personæ ferè semper ei conjungatur, aliquandò tamen non est peccatum, nempè, si peccator diligatur, quatenùs est opus Dei, et odio habeatur, quatenùs est peccato inquinatus; quomodò Psalmista de seipso dicebat: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam?* Statìm subdens: *Perfecto odio oderam illos.* Quæ verba exponens S. Aug. in Psalm. 138: *Hoc est,* inquit, *perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas.*

Quæres an aliquandò liceat malum temporale proximo desiderare.

Resp. id esse ordinariè illicitum, quia periculum est ne id procedat ex odio et displicentià personæ, aut ex irâ, vel ex desiderio vindictæ privatæ et inordinatæ. Hinc damnatæ sunt ab Innocentio XI tres istæ propositiones: 1.ª *Si cum debitâ moderatione facias, potes absque peccato mortali de vitâ alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentiâ personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* 2.ª *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quâ nimirùm ei obventura est*

T 2

pinguis hæreditas. 3.ª *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias indè ex hæreditate consecutas.*

Dixi, *id esse ordinariè illicitum;* licet enim aliquandò malum optare proximo, non in quantùm malum est illius, sed in quantùm est impedimentum, inquit S. Thomas, malorum alterius quem plus diligere tenemur. Sic optare potest ut justâ morte plectatur malefactor, prout indè multitudinis bonum exsurget; ut insignis nebulo morbo afficiatur, quo tandem resipiscat à peccato.

Atque ex dictis constat, quòd peccatum mortale sit per maledictionem sibi vel aliis grave malum imprecari, ex animo ut eveniat, v. g., *Diabolus te rapiat; Utinam mortuus sim, etc.* Si verò id fiat ex irâ, sine animo ut eveniat malum, de se est veniale, mortale autem potest esse, sive ratione contumeliæ gravis, spectatâ personæ qualitate, cui infertur, sive ratione scandali. Belluis verò secundùm se consideratis maledicere, est solùm veniale; ita S. Thomas.

ARTICULUS II.

De Invidiâ.

Invidia, ex S. Augustino, lib. 11 de Genesi ad litteram, cap. 14, est *odium felicitatis alienæ;* propriè autem loquendo, est *tristitia de bono alieno, quatenùs apprehenditur propriæ excellentiæ imminutivum* : ita S. Thomas, 2.â 2.æ, quæst. 36; nam, ex eodem S. August., loco jam laudato, *amando quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quòd ei coæquentur; vel inferioribus, ne sibi coæquentur; vel superioribus, quòd eis non coæquentur.*

PROPOSITIO.

Invidia propriè dicta est peccatum ex genere suo mortale contra charitatem : ita D. Thomas.

Prob. 1.° *ex Script.* Job c. 5, ℣. 2 : *Parvulum*, id est, pusillanimem, *occidit invidia.* Galat. c. 5, ℣. 19 et 21 : *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, invidiæ, homicidia,* etc., *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Prob. 2.° *ex SS. Patribus. Nihil,* inquit S. Cyprianus, lib. de Zelo et Livore, *magìs Christiano cavendum, nihil cautiùs providendum, quàm ne quis invidiâ et livore capiatur. Invidia radix est omnium malorum, seminarium delictorum. Invidi,* inquit S. Chrysostomus, Hom. 44 ad pop. Antioch., *pejores sunt feris, dæmonibus autem pares, fortè verò pejores et istis... Omni veniâ caret hoc peccatum : nam fornicator concupiscentiam prætendere potest, fur paupertatem, homicida furorem... tu verò, quam dices causam, rogo? Nullam penitùs, nisi tantùm intensam nequitiam.*

Prob. 3.° *Ratione :* Quia invidia opponitur charitati, cujus est gaudere de bono et prosperitate proximi : undè, licèt invidia oriatur ex superbiâ seu inordinato appetitu propriæ excellentiæ, et ex pusillanimitate quâ quis formidat, tum ne habeat æquales, tum ne ab æqùalibus superetur, directè tamen et immediatè opponitur charitati.

Dixi 1.°, *invidiam esse peccatum mortale ex genere suo;* potest tamen fieri veniale, tum ex defectu advertentiæ, tum ex levitate materiæ, ut sæpè contingit in pueris.

Dixi 2.°, *invidiam propriè dictam*, quâ scilicet tristatur aliquis de bonis proximi, quia iis putat gloriam suam et excellentiam suam imminui ac veluti obscurari, cùm è contrario prosperitas proximi non sit materia tristitiæ, sed gaudii, et aliquid excellentiæ ex eà nobis potiùs accedat quàm eripiatur; similiter, cùm quis gaudet de malo alieno, aut illud optat, ut bonum proprium non ampliùs obscuretur, vel ut malum proprium minùs appareat.

Colliges 1.° non esse invidiam propriè dictam, quandò quis tristatur non de bono alieno, sed quia simili bono caret, quæ tristitia dicitur zelus seu æmulatio, et bona est, si sit de rebus spiritualibus ad salutem perducentibus : undè I Cor. c. 12, ℣. 31, dicitur : *Æmulamini charismata meliora.* At, si sit de rebus temporalibus, aliquandò mala est, aliquandò indifferens. Tunc indifferens est, quandò exindè homo non impellitur ad consequenda iniquis artibus hujusmodi bona, neque tristatur propriè de bonis proximi, sed penuriâ suâ : hinc sæpè excusantur à peccato, qui, cùm vident alios doctos et artis peritos, vel eorum officinas frequentari, dolent quandò ipsi parem doctrinam et peritiam non habent, aut similem emptorum frequentiam; mala tamen erit tristitia et æmulatio, si conentur detractionibus aut malis artibus impedire vel obscurare aliorum bonum, aut si de proximi bono doleant, vel deniquè si excitentur ad imitandas injustitias quibus impius tale bonum consecutus est. Hinc Psalm. 36, ℣. 7, monet Propheta : *Noli æmulari in eo qui prosperatur in viâ suâ; in homine faciente injustitias.*

Colliges 2.° non esse invidiam, si quis de tem-

porali alterius bono tristetur, eò quòd boni spiritualis ejusdem personæ impedimentum sit, imò bona est hæc tristitia et ad charitatem pertinet; sed cavendum diligenter ne ex alio motivo procedat.

Colliges 3.° invidiam non esse, sed iram potiùs vel odium, quandò quis tristatur de bonis proximi absolutè, et quatenùs sunt ipsius bona, quia scilicet erga illum malè affectus est, aut acceptam injuriam vult ulcisci.

ARTICULUS III.

De Discordiâ.

Discordia generaliter significat omne peccatum quod lædit pacem et unionem charitatis cum proximo, seu quod dissolvit consensionem voluntatum, judiciorum, sermonum et actionum, quam tenemur habere cum proximo.

PROPOSITIO.

Discordia tam voluntatum quàm verborum et actionum, quâ quis scienter contrariatur proximo in iis in quibus ex præcepto concordare tenetur, est ex genere suo peccatum mortale contra charitatem : Ita S. Thomas.

Prob. 1.° *ex Script.* Prov. c. 6, ℣. 16, 19 : *Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus,.... eum qui seminat inter fratres discordias.* Item, Galat. c. 5, ℣. 19, 20, 21 : *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt... contentiones, iræ, rixæ, dissentiones, sectæ... quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.*

Prob. 2.° *ex SS. PP. Discordans*, inquit S. Cypr. de Oratione dominicâ, *et dissidens, et*

pacem cum fratribus non habens, secundùm quod beatus Apostolus et Scriptura sancta testantur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissensionis fraternæ poterit evadere... Quale delictum est quod nec Baptismo sanguinis potest ablui? Et lib. de Unitate Ecclesiæ: *Inexpiabilis*, inquit, *et gravis culpa discordiæ, nec passione purgatur.*

Prob. 3.° *Ratione:* Quia peccatum discordiæ specialiter opponitur charitati; undè Apost., II Cor. c. 13, ℣. 11: *Pacem habete*, inquit, *et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum;* at discordia paci prorsùs opponitur.

Dixi 1.°, *discordia tam voluntatum quàm verborum et actionum;* triplex quippe distinguitur discordia et contrarietas cum proximo: 1.ª est *voluntatum* et *cordium* dissentio, et hæc strictè dicitur discordia: ideò dissensio voluntatis propriæ à voluntate proximi, in iis in quibus ex præcepto tenemur concordare, est peccatum mortale ex genere suo, si sit in materiâ gravi; si tamen hæc discordia versetur duntaxat circa ea in quibus non tenemur concordare, non erit ordinariè peccatum, nisi adsit scandalum.

2.ª Est contrarietas *judiciorum* et *verborum*, quæ vocatur *contentio*, et fit præsertìm impugnando veritatem cognitam, cum intentione contradicendi proximo; eritque mortalis, si sit ad impugnandas veritates fidei vel morum, in quibus ex præcepto tenemur consentire. In aliis verò argumentis, erit quidem peccatum contra charitatem, si quis ad contradicendum proximo impugnet veritatem cognitam: rarò tamen est peccatum mortale, quia non lædit graviter charitatem, nisi accedat ratio scandali, vel periculum dissolvendi amicitiam.

3.ª Est discordia *factorum* et *operum*, quæ multipliciter subdividitur.

Primo quidem loco ponitur *schisma*, quo quis ab unitate Ecclesiæ seipsum segregat, renuendo Prælatis Ecclesiæ subesse, vel cum aliis Ecclesiæ membris communicare, quod semper est peccatum mortale et quidem gravissimum, ut apertè innuit S. Cyprianus, lib. jam citato de Unitate Ecclesiæ, ubi ait : *An esse sibi cum Christo videtur, qui adversùs Sacerdotes Christi facit? qui se à Cleri ejus et plebis societate secernit?* Idem cum proportione dicendum de divisione unitatis alicujus domùs vel communitatis, v. g., religionis; graviter enim peccant quasi peccato schismatis contra charitatem, qui hujusmodi communitates sine causâ dividunt, earumque pacem dissolvunt.

Secundo loco ponitur *injusta armorum violentia*, quæ ex discordiâ sequitur, et hæc diversa sortitur nomina; dicitur enim *rixa*, si sit paucorum contra paucos; si autem sit singulorum contra singulos, dicitur *duellum;* si sit multitudinis contra multitudinem ejusdem Reipublicæ aut Communitatis, dicitur *bellum civile* aut *seditio;* deniquè, si sit multitudinis contra multitudinem extraneorum, dicitur simpliciter *bellum.* Hæc autem injusta armorum violentia est peccatum mortale ex genere suo.

Dixi 2.° discordiam esse *peccatum mortale ex genere suo,* quia veniale fieri potest, tum ex indeliberatione, tum ex levitate materiæ; imò fieri potest, ex ignorantiâ invincibili, ut discordia, præter intentionem orta, etiam circa rem necessariam proximo vel divinæ gloriæ, non sit peccatum; v. g., quandò quis putat aliquid convenien-

tius ad proximi salutem et Dei gloriam, alius verò contrarium judicat, qualis fuit dissentio SS. Pauli et Barnabæ, Act. c. 15.

ARTICULUS IV.

De Scandalo.

Charitas non solùm obligat ad benefaciendum proximo, sed multò magìs ad eum non lædendum, nec ei nocumentum aliquod, sive corporale, sive spirituale, inferendum : de utroque ergo nocumento hìc agendum videretur; sed, quoniam nocumentum corporale, quod invito proximo ordinariè infertur, non solùm charitatem violat, sed sæpissimè etiam justitiam, idcircò de illo infrà tractabimus, ubi de præceptis justitiæ. Contrà verò, nocumentum spirituale inferri non potest nisi volenti, adeòque non justitiam, sed charitatem ordinariè oppugnat : quocircà de illo solo hic agemus.

§ I.

Quid et quotuplex sit Scandalum.

Scandali vox græcè significat *offendiculum* in quod quis impingens ruit : per metaphoram autem in moribus significat quidquid in hâc vitâ, quæ est tanquam via ad beatitudinem, proximo præbet occasionem cadendi in peccatum.

Scandalum definitur communiter à Theologis post S Thomam, *dictum aut factum minùs rectum, alteri præbens occasionem ruinæ spiritualis.*

Dicitur 1.°, *dictum vel factum,* id est, actus externus, vel externa actùs omissio; nam cogitatio interna, ut potè occulta, non potest proximo præbere occasionem peccandi.

Dicitur 2.°, *minùs rectum*, sive ex se malum sit, sive exteriùs tantùm speciem mali habeat : ad scandalum enim sufficit, si actus externâ suâ specie inducere possit ad peccatum, v. g., si quis coram aliis carnes prohibitas comedat, non explicando justam quam habet id faciendi causam.

Dicitur 3.°, *præbens occasionem;* requiritur enim et sufficit ut detur ruinæ occasio, sive ruina sequatur, sive non : hinc, si peccatum externum nullo modo sit aliis occasio peccandi, vel quia spectantes ita probi cognoscuntur, ut nullo modo ad peccatum induci actione illâ existimentur, vel ita perditis moribus, ut exindè certò non sint magìs ad peccandum impellendi, non erit scandalum.

Dicitur 4.°, *ruinæ spiritualis*, quo nomine intelligitur, 1. peccatum mortale alterius, cujus occasionem præbens peccat mortaliter, quamvis actus scandalizans vel non sit malus, vel venialiter tantùm culpabilis; scandalum tamen poterit esse veniale duntaxat, si desit plena advertentia, vel si data sit occasio levis, seu ad peccandum leviter tantùm impellens, spectatis circumstantiis. 2. Ruinæ spiritualis nomine intelligitur etiam peccatum veniale : quæ tamen ruina, per se loquendo, est tantùm materia levis scandali. 3. Intelligitur etiam omissio operis perfectioris, quandò sine causâ ab eo impeditur proximus : quæ omissio præcisè etiam non censetur gravis materia, secluso tamen gravi damno spirituali proximi, aut gravi injuriâ.

Ex hâc definitione patet ad scandalum non sufficere quòd ex aliquâ actione rumor in populo excitetur, ac veluti admiratio, quam vulgus scandalum communiter vocat, nisi exindè detur oc-

casio ruinæ alicujus spiritualis, ut frequenter contingit, præsertìm quandò actio illa est mala.

Scandalum spectari potest vel respectivè ad eum qui præbet alteri occasionem ruinæ spiritualis, vel in ordine ad eum cujus ruina causatur: respectu primi dicitur *scandalum datum*, respectu secundi dicitur *scandalum acceptum*.

Scandalum *datum*, quod et *activum* dicitur, est dictum vel factum minùs rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis; et illud à Theologis subdivitur in *directum* et *indirectum*.

Scandalum *directum* est illud quo expressè intenditur ruina proximi, vel 1.° ex desiderio ruinæ ac mortis spiritualis illius, quod diabolicum est et rarum inter homines; vel 2.° ob propriam utilitatem aut voluptatem, ut fit in turpiloquio ad satisfaciendum libidini, quod apud homines frequentius est.

Scandalum *indirectum* non includit quidem illam intentionem expressam, sed tale est, ut cognoscatur ad ruinam spiritualem ex se impellere, nec tamen omittatur.

Scandalum *acceptum*, quod et *passivum* dicitur, est ipsamet ruina spiritualis proximi, orta ex alterius dicto vel facto; quæ si orta sit ex facto vel dicto minùs recto, dicetur scandalum acceptum datumque simul; si autem orta fuerit ex alterius dicto vel facto quod neque ex se neque ex intentione agentis inducit ad peccatum, dicitur scandalum merè passivum, id est, acceptum sed non datum; illudque subdividitur etiam in scandalum *pusillorum* et scandalum *Pharisæorum*: scandalum *pusillorum* est illud quod provenit ex ignorantià aut infirmitate illius qui scandalizatur; scandalum *Pharisæorum* est illud

quod ex merâ scandalizati malitiâ oritur : sic Pharisæi, præ invidiâ malignâ, ex dictis et factis Christi Domini, quæ sine dubio erant ex omni parte bona, et talia ipsis videri debebant, scandalizabantur.

§ II.

An et quandò Scandalum sit peccatum.

PROPOSITIO.

Scandalum activum est ex genere suo peccatum mortale.

Prob. 1.° *ex verbis Christi,* Matth. c. 18, ℣. 6, 7 : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinariá in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis !..... Væ homini illi per quem scandalum venit !*

Prob. 2.° Quia voluntariè inferre proximo spirituale damnum, est maximè contrarium charitati ; imò multò magis quàm non subvenire in ejus spirituali necessitate : hinc S. Paul. Rom. c. 14, ℣. 15 ait : *Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundùm charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est.* Et I Cor. c. 8, ℣. 13 : *Si esca,* inquit, *scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

Quærunt Theologi an scandalum duas habeat malitias specie diversas.

Quoad scandalum directum, respondent omnes illud habere duas malitias specie diversas ; alteram contra charitatem proximi, cujus ruina

intenditur; alteram verò contra specialem virtutem quam impugnat actus scandalosus.

Quoad scandalum indirectum, quamvis omnes consentiant illud esse peccatum ex genere suo mortale, disputant tamen ad quam speciem peccati pertineat. Multi dicunt illud non esse speciale peccatum contra charitatem, sed pertinere solùm ad eam speciem peccati ad quam inducit, ita ut, si quis blasphemando alium ad blasphemiam sciens inducat, neque jubens, neque consulens, etc., peccet quidem peccato blasphemiæ, tum proprio, tum alieno; at negant eum peccare specialiter contra charitatem. Alii tamen probabiliùs asserunt scandalum istud tam esse contra charitatem, quàm contra virtutem specialem quam impugnat. Quidquid sit de duplici opinione, non multùm refert pro praxi confessionis; semper enim declarandum est datam fuisse proximo occasionem peccandi, et etiam, ex communiori sententiâ, declaranda est species peccati cujus data est occasio; item, aperiendus numerus personarum quibus data est illa occasio. Undè qui, v. g., feminam induxit ad fornicationem, licèt etiam aliundè paratam habitualiter ad malum, tenetur hanc inductionis circumstantiam in confessione explicare.

Cæterùm, tum maximè committitur peccatum scandali, et quidem in hoc genere gravissimum, quandò quis alium inducit jussione, consilio, precibus, approbatione, invitatione, etc., ad faciendum actum simpliciter malum, quia tunc proximus ad peccatum impellitur. Hinc non licet à malefico petere ut maleficio maleficium solvat; ab infideli, ut per falsum Deum juret; item, non licet alium excitare ad bibendum usque ad

ebrietatem : ratio est, quia hæc omnia sunt intrinsecè mala; neque scandali malitia tollitur ex eo quòd homines ex se jam sint parati ad illa peccata; non enim licet inducere ad peccati exsecutionem vel continuationem.

Ex dictis colliges mortaliter peccare, et quidem, ex probabiliori sententiâ, contra charitatem et castitatem, 1.° mulieres et puellas quæ ornatus ad lasciviam provocantes gerunt, quæque scandalosas scapularum et pectoris nuditates exhibent; 2.° qui imagines vel statuas nudas faciunt vel palàm exponunt, sive venales, sive in ornamentum domûs; 3.° qui turpes cantilenas aut tragœdias typis exprimunt, recitant, scribunt, aliisve legendas subministrant; 4.° qui iisdem tragœdiis aut comœdiis, ut potè periculosis ratione factorum aut gestuum, intersunt, easque præsentiâ suâ et consensu approbant, et, agentibus stipendium dando, actioni cooperantur.

§ III.

An liceat subministrare materiam peccati homini peccaturo.

Quæstionis hujus solutio in praxi valdè utilis, cujus ferè quotidiana est applicatio. Ut autem planior omnibus sit,

Nota 1.° Quisquis alteri facultatem præbet et occasionem peccandi, ille materiam peccati subministrare dicitur : quod multipliciter fieri potest, sive procurando instrumenta ad consummationem peccati necessaria, ut arma ad homicidium, vinum ad inebriationem, pecuniam ad libidinem, etc.; sive præstando aliquod ministerium quod ordinem habeat ad peccati exsecu-

tionem, ut est, v. g., epistolas amatorias deferre, aliquem submissis humeris sublevare ad ascendendum per murum, ad stuprandam virginem; sive etiam postulando à proximo suo fieri aliquid quod quidem sine peccato ille facere posset, quod tamen, ob pravam dispositionem, sine peccato non exsequetur, ut si sacramentum ab indigno ministro, pecunia ab usurario mutuanda petatur.

Nota 2.° Materia peccati alia est *proxima*, alia *remota*. *Proxima* dicitur quandò ex se est omninò apta ad peccati consummationem, et homini datur jam in procinctu ad peccatum; *remota* verò erit, si sit minùs apta peccato, aut si subministretur homini non ita proximè ad peccandum disposito. Sic vinum, respectu illius qui hìc et nunc immoderatè bibere appetit, est materia proxima inebriationis; pecunia autem remota tantùm, respectu illius qui vult emere libros undè sumet occasionem peccandi.

PROPOSITIO PRIMA.

Illicitum est, absolutè loquendo, subministrare materiam peccati homini peccaturo.

Propositio est evidens. Si enim lex charitatis unumquemque obligat ut, quantùm in se est, damnum proximi, sive spirituale, sive temporale, avertat, si absque magno incommodo possit, à fortiori eadem lex charitatis prohibet ne ipsi simus proximo occasioni ruinæ spiritualis. Nec multùm refert quòd proximus jam corde paratus sit ad peccati exsecutionem; quia plerumquè ex externâ peccati consummatione novum damnum exsurgit, tum ipsi peccanti, tum

etiam fortassè aliis. Undè egregiè S. Augustinus: *Ille quidem peccato suo se perimit, sed iste*, adjuvans scilicet, *interficientis manum expressit.* Hinc, absolutè loquendo, illicitum est vendere arma, tabellas, libros, etiam non omninò turpes, iis qui verisimiliter sunt abusuri.

PROPOSITIO II.

Sunt aliquandò causæ sufficientes quæ licitam reddunt subministrationem materiæ peccati.

Prob. Si enim nunquàm liceat, quâcunque factâ hypothesi, alteri præbere materiam peccati, etiam indifferentem, ex eo quòd ille eâ abusurus prævideatur, ergo illicitum erit patri-familiâs, etiam in gravi necessitate, pecuniam ab usurario petere undè suis subvenire possit; nam sine dubio, talem petendo pecuniam, occasionem dabit usurario peccatum committendi. Ergo pariter non poterit Christianus, etiam ob gravem causam, exigere juramentum ab infideli quem certò novit per falsos Deos juraturum. Ergo fidelis, etiamsi urgeat præceptum Ecclesiæ aut necessitas sua spiritualis, non poterit sacramentum Eucharistiæ exposcere ab indigno ministro, cui certissimè, si petat, occasionem dabit peccandi mortaliter: atqui tamen hæc omnia licita esse docent communiter Theologi post S. Thomam.

Ratio fundamentalis est quòd, quandò ex meâ actione duplex sequitur effectus, unus bonus, alter malus, possum ex causâ rationabili et sufficienti talem actionem ponere, dummodò bonum solum proponam effectum, malus verò per accidens seu ex malitiâ alterius sequatur; tunc enim permitto tantùm malum alterius, et jure meo

utor, quo non teneor me privare propter alterius malitiam. Ita fermè S. Thomas, Cajetanus, Suarez, Sanchez, Sylvius, Layman, et alii quos citat et sequitur B. Ligorius, Billuart, tom. 9, pag. 391 et seqq.

Dices : Ista propositio, *Famulus qui submissis humeris suis adjuvat herum suum ad ascendendum per fenestras, ad stuprandam virginem, et multoties ei deservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, putà, ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur;* hæc, inquam, propositio damnata est ab Innoc. XI; ergo nunquàm licet, etc.

Resp. Nego consequent. Non enim ideò reprobata est prædicta propositio, quasi Summus Pontifex cooperationem famuli intrinsecè malam judicaret, sed propter falsa quæ involvit. Namque supponit famulum id *multoties* agere posse, quod nimis laxum est; deberet enim iste, ubi cessaret periculum, alium quærere cui serviat. Deindè istud, *torvis oculis ab hero prospici*, ineptè et pueriliter ab auctore propositionis reputatur grave damnum, ac proindè causa sufficiens ut possit præstare ministerium suum ad tale scelus, quale est virginis stupratio; quod si admitteretur, nihil est quod non posset licitum fieri; et hanc videtur fuisse sententiam Sum. Pontificis Benedicti XIV, de Synodo Diœcesanâ, lib. 13, cap. 20.

Quænam igitur censenda erit causa sufficiens, ut quis licitè dare possit proximo occasionem peccandi? Difficile est admodùm, aut pòtiùs omninò impossibile istud certò definire, inter

tot discrimina quæ rerum faciem adeò mutant. Relinquendum est ergo arbitrio cujusque viri prudentis causam, pro quolibet casu, spectatis circumstantiis, determinare. Intereà tamen non abs re erit hìc nonnullas proferre regulas quæ Confessarium in judicio ferendo dirigere possint.

1.° Causa quæ sufficiens est ut quis prudenter se immunem existimet ab obligatione impediendi peccatum proximi, non ideò sufficiens reputari debet ut ejusdem peccati materiam ponere liceat. Et ratio evidens est, cùm strictius sit præceptum non concurrendi peccato, quàm præceptum illius avertendi.

2.° Similiter, ex eo quòd rationabilis alicui adsit ratio non impediendi damnum inferendum proximo, non sequitur quòd materiam hujus damni inferendi subministrare licitè possit.

3.° Major causa ponendæ materiæ requiritur, quandò materiam postulans aliis est nocumentum illaturus, quàm cùm sibi soli nocere intendit: sic major causa adesse debet commodandi gladium ad homicidium, quàm pecuniam ad libidinem.

4.° Cæteris paribus, eò major adsit causa necesse est, quò 1. materia magìs est proxima; 2. quò facturus sit homo ad peccandum pronior; 3. quò difficilius esset, te non concurrente, peccatum consummari, quia, v. g., vel tu solus, vel admodùm pauci materiam præstare possunt; 4. quò gravius est malum perpetrandum.

5.° Minor causa requiritur, quò plus juris habes ad cooperandum: undè faciliùs excusatur qui Baptismi sacramentum ab indigno ministro, quàm qui Eucharistiam exposcit.

Hinc colliges 1.° famulos, coquos, ancillas,

qui à dominis suis jubentur carnes parare et apponere mensæ, diebus prohibitis, id licitè exsequi posse, ubi nec certi sunt, nec præsumere debent dominos sine motivo istud præcipere. Cùm enim nemo præsumatur malus, nisi probetur, famuli existimare debent occultam heris subesse rationem. Sin autem contrarium constet, famuli obtemperare non poterunt, nisi, ut jam diximus, sufficienti cum causâ: porrò causa sufficiens censenda est, in præsenti casu, si rationabiliter metuant ne, deserendo domum, nullam aliam inveniant in quà recipiantur, aut in multò pejorem incidant. Sed improportionata esset causa, si tantùm lucri levem imminutionem timerent.

Colliges 2.° caupones similiter à peccato excusari, si, diebus abstinentiæ aut jejunii, viatoribus jussi apponant escas prohibitas, aut vesperè cœnam copiosiorem pro cœnulâ, quoties, non annuendo viatorum petitioni, gravis nocumenti incurrunt periculum; si nempè, ob pravam loci et ætatis consuetudinem, diversorium omninò à viatoribus deserendum esset, sicque status sui jacturam subirent caupones. Item, ob metum mutilationis, violentæ percussionis, aut ad evitandum iras graves, blasphemias, propinare iidem poterunt vinum petentibus, quamvis probabiliter isti inebriandi prævideantur.

Colliges 3.° pharmacopolas, bibliopolas, statuarios et cujuslibet generis venditores, peccare, et quidem gravissimè, si vendant res malas, turpes, exitiosas ut plurimùm; id enim intrinsecè malum ac proindè omninò illicitum est. Item, non excusantur, si res *indifferentes* vendant iis qui peccaturi prævidentur, quoties non aliud

damnum ipsis timendum est, præter amissionem lucri ex eâ venditione percipiendi; non enim sufficiens causa reputatur levi lucro defraudari; aliter sentiendum foret, si adesset periculum ne, denegando rem postulatam, magnâ ex parte corrueret negotiatio.

Cæterùm, annotat Sylvius, non est anxiè quærendum de emptorum intentione, sed tradenda est res petita, ubi non adest suspicandi ratio: sic vendi possunt chartæ lusoriæ, fucus muliebris, et alia hujusmodi, quoties non constat de pravâ emptoris intentione, quia res illæ possunt ordinari ad honestum finem, putà, ad levandum tædium, ad tegendam aliquam naturalem deformitatem, etc.

Quæres quid sentiendum sit de rusticis qui à militibus per mortis comminationem adiguntur ut domos alienas perfringant et diripiant, ut prædam indè collectam asportent; de quâ quæstione tanta apud Doctores controversia.

Resp. 1.° Nulla difficultas, si prædicti rustici tantùm à militibus imperentur ut instrumenta præbeant, ut mulos, boves, equos commodent ad asportandam prædam; quia hæc omnia sunt actus indifferentes, quos elicere fas est, modò adsit causa, ut diximus; quæ causa hìc adesse supponitur.

2.° Si verò præcipiant milites rusticis ut januas perfringant et diripiant domos, evidens est illud esse intrinsecè malum; sed tamen non malum, nisi quia dominus est rationabiliter invitus: porrò dominus erit irrationabiliter invitus, ac proindè cessabit omnis ratio peccati, si rustici habeant undè restituant, et reipsâ parati sint damnum illatum compensare. Irrationabilis adhuc videtur

esse dominus, si leve damnum passurus sit, aut si æquale damnum ipsi subeundum esset, quamvis rustici concursum præbere negarent. Hic enim applicari videtur principium istud, *Quod tibi non nocet, et mihi prodest, utiquè permittere teneris :* porrò rustici, concurrendo actioni militum, non majus damnum sunt illaturi, ut supponitur, et mortem ita declinare poterunt.

3.º Tota ergo difficultas est quandò, denegato concursu ex parte rusticorum, damnum non posset inferri, et aliundè certissimè mors imminet rusticis, nisi concurrant ad damnum, an in hâc hypothesi, dominus sit rationabiliter invitus contra rusticos : negant alii, contendentes anteponendam esse vitam proximi, quæ bonum est superioris ordinis quàm bona fortunæ ; affirmant plurimi eà ratione quòd nemo teneatur tantum subire damnum pro servandâ vitâ alterius, cùm ne pro suâ quidem vitâ tantas facere impensas teneretur.

§ IV.

An teneamur aliquas actiones indifferentes, aut etiam bonas, omittere ob scandalum pusillorum.

PROPOSITIO.

Bona non solùm corporalia, sed etiam spiritualia dimittenda sunt, aut saltem differenda, nisi præceptum urgeat, *ob scandalum pusillorum, non autem ob scandalum pharisaicum, quandò subest rationabilis causa non differendi.*

Propositio traditur à S. Thomâ.

1.ª *Pars* de scandalo pusillorum *probatur*

1.° *ex verbis Christi*, Matth. c. 18, ℣. 6, 10: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris... Videte ne contemnatis unum ex his pusillis.* Item, ex Apostolo, Rom. c. 14, ℣. 15: *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est.* Et I Cor. c. 8, ℣. 11, 12, 13: *Peribit infirmus in tuâ scientiâ frater, propter quem Christus mortuus est? Peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis... Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Ex his enim textibus patet graviter peccare eos qui aliquid faciunt, undè sequitur ruina spiritualis pusillorum, propter eorum infirmitatem.

Prob. 2.° *Ratione*: Quia ex lege charitatis tenemur vitare peccatum proximi, et consequenter ejus scandalum, etiam merè passivum; si enim tenemur proximum è peccato eripere per correctionem fraternam, quandò possumus, à fortiori tenemur id tollere ex quo sumit occasionem peccandi.

Dixi 1.°, *nisi præceptum urgeat*; manifestum est enim, inquit S. Thomas, quòd nullus debet peccare, ut alterius peccatum impediat; quia, secundùm ordinem charitatis, plus debet homo suam spiritualem salutem diligere, quàm alterius, et ideò ea, quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent propter scandalum vitandum. Similiter, ex eodem S. Doctore, bona quæ sunt ex necessitate commissa, v. g., bona Ecclesiæ quæ committuntur Prælatis, et bona Reipublicæ quæ committuntur Reipublicæ rectoribus, non

sunt propter scandalum dimittenda : sic Respublica tenetur punire in malo obstinatos, etsi indè sequatur spiritualis eorum ruina et damnatio, scilicet ob necessitatem boni communis : quamvis istud non sit propriè scandalum pusillorum, sed pharisaicum, de quo infrà.

Cæterùm, fieri aliquandò potest ut præceptum, præsertìm positivum, non obliget nec urgeat ex rationabiliter præsumptâ Legislatoris voluntate, quandò timetur grave aliorum scandalum ex infirmitate eorum : v. g., si mulier prævideat, propter circumstantias brevi mutandas, aliquam personam determinatam ex ejus aspectu scandalizandam et peccaturam, poterit aliquo die festo Sacrum non audire ; sed hoc rarissimum.

Dixi 2.°, *bona, sive spiritualia, sive temporalia, dimittenda sunt aut saltem differenda ;* quippe, ut ait S. Thomas, 2.â 2.æ, quæst. 43, art. 7 et 8, bona spiritualia, licèt præceptum non urgeat, non tam dimittenda suntquàm occultanda aut differenda, quousque hujusmodi scandalum cesset ; si tamen, post redditam rationem, hujusmodi scandalum duret, jam videtur ex malitiâ esse scandalum pharisaicum, et sic propter ipsum non sunt hujusmodi opera spiritualia dimittenda. Quoad bona temporalia, vel totaliter dimittantur, si levia sint ; vel aliter scandalum est sedandum, scilicet per aliquam admonitionem. Hæc tamen intelligenda sunt quandò quis vel certò novit, vel valdè probabiliter timet scandalum alicujus determinatæ personæ aut aliquorum, ex eorum infirmitate, non autem si in genere tantùm et sine gravi fundamento timeatur scandalum aliquorum ; dummodò tamen actiones quæ fiunt nec malæ sint, nec mali speciem habeant.

2.°

2.ª *Pars propositionis*, scilicet, *non esse dimittenda bona ob scandalum pharisaicum* et ex malitiâ, *probatur*, quoad bona spiritualia, *ex Matth.* c. 15, ℣. 14, ubi Christus, audiens Pharisæos ex verbis suis esse scandalizatos, respondet : *Sinite illos : cæci sunt, et duces cæcorum.* Hinc S. Greg. super Ezechielem : *Si de veritate scandalum sumitur, utiliùs permittitur nasci scandalum, quàm ut veritas relinquatur.*

Quoad bona temporalia, *probatur* : Quia, ut egregiè observat S. Thomas, si propter scandalum pharisaicum temporalia bona dimitterentur, hoc noceret bono communi; daretur enim malis rapiendi occasio, et noceret ipsis rapientibus, qui retinendo aliena, in peccato remanerent.

Dixi, *quandò subest rationabilis causa*, etc.; quia charitas vetat ne absque ullâ causâ præbeamus proximo, licèt ex malitiâ peccaturo, occasionem peccandi. Hinc 1.º omittenda est peccatorum punitio, quandò ex eâ sequerentur majora peccata, ut dissentiones, schismata, etc. 2.º Filius aliquandò tenetur, saltem ad breve tempus, abstinere ab ingrediendâ religione, vel amplectendo statu ecclesiastico, cùm indè futurum est ut parentes ejus jurando peccent et malum imprecando.

CAPUT II.

De quarto Decalogi Præcepto.

Quartum Decalogi præceptum, quod primum est secundæ tabulæ, his verbis refertur, Exod c. 20, ℣. 12 : *Honora patrem tuum et matrem*

tuam, ut sis longævus super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Quamvis hoc præcepto solùm videatur præcipi honor, seu reverentia, amor et obedientia erga parentes carnales, ex communi tamen sententiâ, imò Ecclesiæ ipsius, parentum nomine intelligi etiam debent, 1.° Ecclesiæ Præsides, Pastores, et Sacerdotes, qui spiritualem aliorum curam gerunt; 2.° Reges, Principes, Magistratus, et qui Rempublicam gubernant; 3.° Tutores, Curatores, Pædagogi, Magistri, Heri, et quotquot ratione dignitatis vel ætatis, aut utilitatis causâ, habentur loco parentum. Implicitè verò et consequenter hic præcipiuntur officia parentum et Superiorum erga filios et subditos. Item, conjugum erga se invicem; et generaliter ad hoc præceptum revocantur et pertinent mutua debita et officia eorum qui sanguine, affinitate, et societate specialiter conjuncti sunt.

Tota autem hujus præcepti materia pertinet principaliter ad pietatem, quæ, ex receptâ S. Thomæ doctrinâ, est virtus moralis quâ debitum honorem et obsequium exhibemus, 1.° parentibus, tanquam auctoribus nostris post Deum; 2.° et consequenter omnibus consanguineis, item conjugi et liberis; 3.° ipsi patriæ.

Dixi, *principaliter;* quia extenditur etiam ad virtutem observantiæ, sive religiosæ, sive civilis, per quam cultum debitum deferimus Superioribus qui nos gubernare possunt, sive in spiritualibus, sive in temporalibus: sicut enim honoramus parentes, quia ab illis ESSE accepimus, sic honorare debemus eos à quibus benè esse, id est, bonos mores accipimus. Sed, quoniam pietati valdè affinis est observantia, utriusque præcepta eodem modo erunt explicanda.

SECTIO PRIMA.

De Præceptis pietatis filiorum erga parentes.

Pietas erga parentes tria à filiis exigit, scilicet reverentiam, amorem, et obedientiam : de quibus separatim.

ARTICULUS PRIMUS.

De Præcepto reverendi parentes.

PROPOSITIO.

Filii tenentur reverentiam et honorem parentibus exhibere.

Prob. ex verbis hujus præcepti, suprà relatis, quæ Matth. c. 15 Christus ipse recensuit; imò, ut notat S. Paulus, Eph., c. 6, ℣. 2, hoc *est mandatum primum in promissione*, scilicet non tantùm beatitudinis æternæ, sed et vitæ præsentis; adeò voluit Deus illud à nobis observari. Item, Eccli. c. 3, ℣. 8, dicitur : *Qui timet Dominum, honorat parentes et quasi dominis serviet his qui se genuerunt.* Rationem reddit Catechismus Romanus, parte 3.ª, n. 11, quia parentes sunt quasi Dei simulacra; quippe qui largitores sunt vitæ ac bonorum, tum animæ, tum corporis, piæque ac christianæ educationis instrumenta.

Hæc autem reverentia parentibus debita in duobus consistit : 1.° enim congruo loco et tempore exhibenda sunt iis ex interno animi sensu officia honoris externi, non solùm de illis honorificè sentiendo, sed etiam loquendo, caput aperiendo, iis assurgendo, famulando, etc., quorum omissio tunc maximè est peccatum mortale, quandò

vel ex parentum contemptu procedit, vel contemptum exteriùs significat.

2.° Reverentia illa exigit ut nihil fiat quo positivè inhonorentur parentes; hoc enim peccatum esse gravissimum Scriptura passim testatur, ut Exodi c. 21, ℣. 17 : *Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur;* item, Prov. c. 19, ℣. 26 : *Qui affligit patrem et fugat matrem, ignominiosus est et infelix;* item, Prov. c. 30, ℣. 17 : *Oculum qui subsannat patrem..., effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ.* Peccant ergo graviter, 1. qui eos spernunt vel irrident; 2. qui eos conviciis vel maledictis afficiunt; 3. qui percutiunt etiam leviter; imò qui manum attollunt ad feriendum; 4. qui eos sine causâ multùm contristant, vel ad gravem iram provocant verbis contumeliosis aut iis quibus nôrunt eos graviter offendi; 5. qui eos pauperes despiciunt, aut ex contemptu vel etiam sine causâ dedignantur agnoscere; 6. qui eos de crimine (etiamsi verum sit) accusare non dubitant, excepto crimine læsæ majestatis, vel divinæ per hæresim, vel humanæ per conspirationem aut proditionem adversùs Principes; quandò aliud remedium non suppetit : hæc enim omnia et similia, ob circumstantiam personæ parentum, mortalia ordinariè censeri debent, quamvis respectu aliarum personarum essent interdùm ex levitate materiæ venialia.

Idem, quod de reverentiâ parentibus debitâ, dicendum est de reverentiâ exhibendâ conjunctis in primo gradu, scilicet, avo, aviæ, imò et aliis ascendentibus, item fratribus, sororibus, filiis; contra enim hos omnes, sicut et contra conjugem, pietas prohibet injurias, quamvis non tam graviter quàm contra ipsos parentes.

ARTICULUS II.

De Præcepto amandi parentes.

PROPOSITIO.

Filii tenentur parentes amore speciali prosequi.

Ratio est quia, præter generalem obligationem diligendi proximum, accedit alia specialis et gravissima obligatio diligendi parentes, scilicet ex virtute pietatis, ut ipsa natura docet, præsertìm cùm ipsi nos tenero amore prosecuti sint. De hoc præcepto S. Hieron., in Matth. c. 10, ait: *Ama post Deum patrem, ama matrem, ama filios. Si autem necessitas venerit ut amor parentum ac filiorum Dei amori comparetur, et non possit utrumque servari, odium in suos, pietas in Deum est.*

Duo autem hâc in parte pietas exigit à filiis: 1.° ut, ex interno affectu dilectionis, specialia benevolentiæ signa parentibus exhibeant, prout se dabit occasio, quæ frequens est, quandò filii cum parentibus vivunt; hujusmodi signa sunt amicabilis vultus, mites sermones, prompta obsequia, etc., maximè verò subventio in eorum necessitatibus, tum corporalibus, tum spiritualibus: quam subventionem honoris nomine intelligi constat.

Hinc sine dubio graviter contra pietatem peccant filii, qui, si possunt, parentum egestati non subveniunt, sanitatem aut libertatem iis non procurant, infirmitate aut carcere detentos non visitant et non consolantur; à fortiori peccant, qui extremo morbo laborantibus non curant ministrari sacramenta, vel eis post mortem exsequias

et sepulturam, et suffragiorum Ecclesiæ obsequia non procurant, vel eorum debita et legata, præsertìm pia, ex relictâ hæreditate persolvere non satagunt, aut nimis differunt: iidem pariter peccavêre, si impedierunt ne quid pauperibus pro animæ salute relinquerent.

2.° Pietas erga parentes exigit ut nunquàm odio habeantur: hinc peccant graviter contra pietatem qui eos odio habent; item, qui iis optant mala, v. g., mortem, ut hæreditate citiùs potiantur; vel qui signa odii eis demonstrant, torvis oculis eos aspiciendo et asperè loquendo, perindè ac si eos odio haberent, quamvis fortè eos interiùs diligant.

Eodem modo dicendum est pietatem obligare ad amorem omnium propinquorum, non tamen ita graviter.

ARTICULUS III.

De Præcepto obediendi parentibus.

PROPOSITIO.

Filii tenentur obedire parentibus in iis in quibus illis subditi sunt.

Prob. 1.° *ex Script.* multis in locis, ut Deuter. c. 21, Prov. c. 1, Rom. c. 1, Ephes. c. 6, Coloss. c. 3, et II Timoth. c. 3, etc.; textum Epist. Eph. c. 6, ℣. 1, referre sufficiat: *Filii, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est.*

Prob. 2.° *ex ipso Christi exemplo*, qui B. Virgini et S. Josepho subditus erat, ut dicitur Luc. c. 2.

Prob. 3.° Id patet etiam ex ipsâ lege et ratione naturali quæ ita docet.

Dixi, *filii tenentur obedire parentibus in iis*

in quibus subditi sunt, scilicet, in iis quæ ad bonos mores vel ad domûs gubernationem pertinent; ita ut peccent mortaliter contra pietatem, qui non obediunt parentibus præcipientibus ne tabernas, ludos prohibitos, aut personas pravæ conversationis frequentent, vel ut debito obsequio, aut famulatui, in domo paternâ vacent, inutilibus peregrinationibus abstineant, Catecheses, Conciones sacras, Ecclesiam et sacramenta frequentent, etc.; multò magìs, si ex contemptu aut pertinaciâ obedire recusent : hic tamen defectus obedientiæ sæpè potest esse venialis duntaxat, 1.° si parentes non præcipiant strictè, sed solùm admoneant; 2.° si res quæ præcipitur sit levis momenti; 3.° si, ob defectum ætatis, filii non advertant rei præceptæ gravitatem.

Contrà verò non tenentur filii obedire parentibus, 1.° in iis quæ mala sunt et illicita, quia Deo obedire magìs oportet quàm hominibus; 2.° in iis quæ pertinent ad electionem statûs, sive ecclesiastici, sive religiosi, sive cælibatûs, sive nuptiarum : in his enim quisque est sui juris, graviterque peccant parentes qui directè vel indirectè prolem cogunt aliquem ex his statibus amplecti, tum quia non hominis est, sed Dei hominem vocare, tum quia ex coactâ vocatione pessimi scaturiunt exitus. Attamen filii aliquandò teneri possunt manere in seculo, si aliud non occurrat remedium ad subveniendum extremæ vel etiam gravi parentum indigentiæ; prætereà filii matrimonium ordinariè inire non possunt, nisi petito et obtento parentum consensu : sed de hoc alibi.

SECTIO II.

De Præceptis pietatis parentum in filios, et conjugum erga se invicem.

Sectionem hanc in duos dividemus articulos : in 1.° de pietate parentum erga filios; in 2.° de conjugum erga se invicem pietate agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Præcepto pietatis parentum erga filios.

PROPOSITIO.

Pietas graviter obligat parentes ad habendam curam filiorum.

Prob. 1.° *ex Script.* I Timoth. c. 5, ℣. 8 : *Si quis autem suorum, et maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior.* Hinc Conc. Gangrense, anno 324, can. 15, statuit : *Ut, si quis liberos suos relinquit, nec eos alit, nec, quantùm in se est, ad convenientem pietatem religionemque adducit, sit anathema..*

Prob. 2.° Quia ita docet ratio naturalis, imò et ipse instinctus naturæ in brutis.

Hæc autem parentum cura in tribus consistit : 1.° in conservatione vitæ filiorum; 2.° in subministratione alimentorum; 3.° in piâ eorum educatione.

1.° Quidem, quoad conservationem vitæ filiorum, tenentur parentes, sub peccato mortali, sollicitè cavere ne perimatur aut lædatur fœtus in utero matris per abortum, aut post partum per suffocationem aliudve simile; imò occisio fœtûs animati, etiam in utero, est gravissimum pecca-

tum homicidii, non solùm contra justitiam, sed etiam contra pietatem; et sic parricidii genus committitur à parentibus, ut patet ex cap, *Si aliquis*, et cap. *Sicut*, 2 de Homic., item ex Bullâ Sixti V, quæ incipit, *Effrenatam*. Peccant etiam graviter parentes qui, tenellos filios secum in lecto ponendo, eos suffocant, ut patet ex cap. *Consuluisti*, causâ 2, quæst. 5. *Monendi sunt itaque, et protestandi parentes*, inquit Stephanus V, Papa, in hoc cap., *ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne, negligentiâ qualibet proveniente, suffocentur vel opprimantur; undè ipsi homicidii rei inveniantur.*

2.° Quoad alimentorum provisionem, ipso jure naturæ tenentur parentes filiis, etiam spuriis, eorumque conjugi ac liberis, dare alimenta aliaque necessaria ad vitæ sustentationem honestam, secundùm personæ statum et parentum, nisi fortè 1. aliundè, v. g., proprio labore vel arte non indecente, se alere possint filii, ideòque non indigeant; 2. nisi, propter commissum crimen ob quod filii possunt ut indigni haberi, parentibus licitum sit negare filiis ea alimenta quæ ad solam vitæ congruitatem ac decentiam sunt necessaria. Vid. Cod. civ. art. 727, usque ad 730.

Porrò hoc onus alendi prolem legitimam, ex dispositione Juris, spectat ad patrem et matrem in solidum. Mater verò proprio lacte debet natos parvulos nùtrire, nisi excusetur ob infirmitatem aliamve similem causam, quo in casu adhibenda erit alia nutrix sana et bonæ indolis, quantùm fieri potest: et, deficiente patre aut matre, succedunt avi primùm paterni, deindè etiam materni. Addunt quidam, iis deficientibus, succedere propinquiores consanguineos, quod intellige de

fratribus, sororibus, ac patruis; art. 203 et seqq. Cod. civ.

Dixi, *prolem legitimam;* illegitimam enim alendi cura, primo triennio, spectat ad matrem, nec nisi posteà ad patrem.

Ex his patet quàm graviter peccent parentes, 1.° qui filios in Xenodochio sive Hospitali domo alendos exponunt; imò tenentur ad restitutionem ipsi Xenodochio faciendam, si possint; 2.° qui, bona sua dissipando, impotentes fiunt ad alendos filios, vel educandos, vel honestè et juxta statum suum dotandos; item, qui, cùm facilè possunt, mediocrem saltem diligentiam ad acquirenda bona ad hoc necessaria non adhibent; quà in re frequenter peccant operarii qui operibus suis vacare negligunt, et uno die festo dissipant quidquid totâ lucrati sunt hebdomadâ.

3.° Deniquè, quoad piam filiorum educationem, jure naturæ et pietatis, sub peccato mortali tenentur parentes rectè ac piè filios educare, subministrantes iis omnia ad eorum culturam necessaria, v. g., Magistros, libros ad studia litterarum, vel ad alias instructiones, aut honestas artes, juxta communem usum parentum ejusdem conditionis ac statûs : præcipuè verò tenentur in spiritualibus et necessariis ad salutem filios erudire, vel procurare ut erudiantur, et addiscant Symbolum, Orationem dominicam, præcepta Dei et Ecclesiæ; item, ut ea servent, et bonis moribus instituantur, pravasque conversationes fugiant, et sacramenta præscripto tempore, præsertìm verò dùm ægrotant, cum debitis dispositionibus suscipiant, etc.

Hæc autem omnia ut præstent parentes, debent 1. verbis, et maximè exemplis, filios ad

benè agendum inducere : *Quid enim facturus adhuc infans*, ut loquitur S. Augustinus, *nisi quod eos agere viderit?* 2. Diligenter ab eis avertere debent omnes peccandi occasiones. 3. Eos delinquentes moderari, et ex charitate, non ex irâ vel indignatione, corripere et castigare, juxta illud Apostoli Ephes. c. 6, ℣. 4 : *Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplinâ et correptione Domini.* 4. Deniquè, tenentur parentes filiis relinquere libertatem eligendi vitæ statum ad quem vocantur à Deo : quocircà sine dubio peccant mortaliter qui vel ad aliquem statum invitos cogunt, vel ab aliquo statu amplectendo invitos retrahunt, ut jam diximus.

ARTICULUS II.

De Præcepto pietatis erga conjuges.

PROPOSITIO.

Tenentur conjuges virtute pietatis mutua sibi invicem exhibere officia reverentiæ, amoris, obedientiæ et curæ.

Prob. 1.° *ex Script.* Ephes. c. 5, ℣. 22 : *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino.* Et ℣. 25 : *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.*

Prob. 2.° *Ratione* : Quia ex strictissimâ unione viri et uxoris resultat mutua et strictissima obligatio erga se invicem, virtute pietatis, quoad ea quæ in propositione enumeravimus : atque id etiam natura docet.

Quod virum spectat, colliges eum graviter peccare contra pietatem, 1.° si uxorem spernat,

aut verbis contumeliosis afficiat, aut graviter lædat; 2.° si uxori alimenta non subministret, sicut tenetur, nisi fortè uxor propriâ culpâ à mariti consortio discesserit, aut si dos promissa non afferatur, quo in casu maritus non tenetur uxorem alere, nisi indigeat, et à se vel à parentibus sustentari nequeat; 3.° peccare virum, si cohabitationem et debitum conjugale uxori petenti neget, aut si diù absit sine causâ, vel domûs gubernationem et rem familiarem negligat; 4.° si uxorem à curâ salutis impediat, sive in rebus necessariis, v. g., in observatione præceptorum; sive in rebus quæ cadunt tantùm sub consilio, v. g., frequenti confessione et sacrâ communione. Quantùm ad ea quæ observare debent aut fugere conjuges circa usum matrimonii, consule *Tract. de Matrimonio*.

Quoad uxorem, colliges eam similiter contra pietatem marito debitam peccare, 1.° si eum spernat, contumeliis afficiat, aut rixis ad gravem iracundiam vel blasphemias provocet; 2.° si viro indigenti alimenta nolit præstare, cùm possit; 3.° si in iis, quæ ad bonos mores et familiæ gubernationem pertinent, non obediat viro, cui in iis subjecta est, v. g., si, contra viri voluntatem, sine justâ causâ, sibi arroget jus administrationis rei domesticæ, vel si quid notabile in ludis aut aliter, invito marito, expendat ex bonis mariti, aut etiam ex propriis bonis, quorum non habet usum liberum; 4.° si, absque debitâ causâ, cohabitationem neget aut debitum; 5.° si maritum revocet vel impediat à necessariâ curâ salutis; 6.° deniquè, si virum domicilium rationabili causâ mutantem sequi recuset, nisi obstet grave corporis vel animæ periculum, aut

præcesserit pactio specialis; electio quippe domicilii pertinet ad virum, ut potè caput mulieris.

SECTIO III.

De Præceptis observantiæ inferiorum erga Superiores, et vicissìm.

Præcepta illa, quæ ad observantiam pertinent, duobus articulis exponemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Præceptis observantiæ inferiorum erga Superiores.

PROPOSITIO PRIMA.

Inferiores tenentur ex præcepto observantiæ reverentiam exhibere Superioribus, tum ecclesiasticis, tum civilibus.

Prob. 1.° *ex Script.* Eccli. c. 7, ℣. 33: *Honora Deum ex totâ animâ tuâ, et honorifica Sacerdotes.* Item, I Tim. c. 5, ℣. 17: *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo et doctrinâ.* Per duplicem honorem intellige multiplicem, ex S. Hieron.; vel reverentiam et alimoniam, ex S. Ambros. De reverentiâ autem Superioribus secularibus debitâ, sic loquitur S. Paulus, Rom. c. 13, ℣. 7: *Reddite omnibus debita... cui honorem, honorem.*

Prob. 2.° *Ratione*: Quia, sicut parentibus carnalibus honorem debemus, eò quòd sint principium generationis carnalis et educationis nostræ, ita etiam honorem debemus Presbyteris et Pastoribus, qui sunt principium generationis spiritualis et educationis; item, Superiobus tem-

poralibus, qui vitam nostram carnalem et temporalia bona tuentur, nosque suà gubernatione dirigunt, et, sicut ait S. Thomas, particulariter participant rationem patris : undè patet injurias contra Superiores, sive spirituales, sive temporales, præcepto speciali observantiæ prohiberi, et esse gravia peccata, præsertim si ex contemptu procedant.

PROPOSITIO II.

Præcepto observantiæ tenentur inferiores speciali amore prosequi Superiores suos.

Prob. iisdem momentis quibus præcedens propositio : in quo autem hic amor consistat, colligi potest ex iis quæ diximus de amore filiorum erga parentes ; eadem enim est obligatio, servatà proportione, respectu Superiorum, quamvis non ita gravis.

PROPOSITIO III.

Tenentur subditi obedire justis legibus Superiorum, tum ecclesiasticorum, tum civilium.

Prob. 1.° *ex Script.* et 1. quidem pro Superioribus ecclesiasticis, scilicet, Summo Pontifice, Episcopo, Parochis : Hebr. c. 13, ℣. 17 : *Obedite præpositis vestris et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* 2. Pro Superioribus civilibus, v. g., Regibus, Principibus, Magistratibus : Rom. c. 13, ℣. 1, 2, 5 : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.... Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.... Subditi estote non solùm propter iram, sed*

etiam propter conscientiam. Item, pro dominis particularibus : I Petri, c. 2, ℣. 18 : *Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis et modestis, sed etiam dyscolis.* Item, Coloss. c. 3, Ephes. c. 6, I Timoth. c. 2.

Prob. 2.° *Ratione :* Quia alioqui nullus esset ordo, et omnia subverterentur ; adde quòd sæpè etiam sit ex justitiâ obligatio obediendi, v. g., in famulis, ob pactum cum dominis initum.

ARTICULUS II.

Quam subditorum curam Superiores habere debeant.

PROPOSITIO PRIMA.

Superiores tenentur curam gerere inferiorum, tam in temporalibus quàm in spiritualibus, prout cujusque officium exigit.

Prob. ex verbis Apost. I Tim. c. 5, ℣. 8 : *Si quis suorum et maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior.* Sic, in temporalibus, tutor ex justitiâ tenetur curam gerere pupilli ejusque bonorum ; sic heri et domini tenentur ex contractu famulis alimenta et justam mercedem debito tempore tribuere. In spiritualibus verò, Superiores omnes, tutores, domini, magistri, etc., eadem subministrare tenentur subditis, quæ parentes filiis. Hinc graviter peccant domini, 1.° si non curent famulos de rebus ad salutem necessariis erudiri, et observare præcepta, multò magis si impediant ; v. g., si absque justâ causâ, diebus festis, opera servilia injungant, aut alia quibus detinentur ne Missam audiant. 2.° Si pravo suo exemplo ad pec-

catum inducant: namque, ut ait S. Greg. in Pastorali, 3 part., cap. 4, *Tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.* Item, si, cùm possunt, occasiones peccandi non avertant, v. g., non expellant domo famulos malè morigeratos et aliorum corruptores. 3.° Peccant graviter, si eos delinquentes aut salutem negligentes non moneant, nec emendare conentur.

PROPOSITIO II.

Pastores strictè ex justitiâ tenentur specialem habere curam subditorum.

Prob. ex Script., præsertim Epist. ad Hebr. c. 13, jam citato, ubi dicitur quòd pervigilent, quasi rationem pro animabus reddituri. In quo autem consistat specialis hæc subditorum cura, exposuit Spiritus Sanctus in Conc. Trid. Sess. 23, cap. 1 de Reform., his verbis : *Cùm Præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, 1. oves suas agnoscere; 2. pro iis Sacrificium offerre; 3. pascere verb divini Prædicatione; 4. Sacramentorum administratione; 5. ac bonorum omnium operum exemplo; 6. pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere; 7. et in cætera munia pastoralia incumbere : quæ omnia nequaquàm ab his præstari et impleri possunt qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt.* Hæc omnia loco suo explicabuntur fusiùs.

CAPUT III.

De quinto Decalogi Præcepto.

Quintum Decalogi præceptum hoc verbo continetur, *Non occides*, quo non solùm homicidium prohibetur, sed etiam mutilatio et percussio; imò, ut explicuit ipse Christus, Matth. c. 5, omnis contra fratrem ira, non solùm externa, sed etiam merè interna.

Tota hujus præcepti materia reducenda videtur ad tria magis specialia præcepta; 1.um quidem non occidendi nec mutilandi seipsum; 2.um non occidendi, mutilandi, aut percutiendi proximum; 3.um non irascendi contra proximum: quæ tribus sectionibus prosequemur, postquàm observaverimus præceptum hoc, sicut et cætera quinque Decalogi, ad justitiam pertinere, quæ quemquam lædere vetat: potest autem homo lædi vel in bonis corporis, per homicidium et adulterium; vel in bonis externis, per furtum et rapinam; vel in bonis famæ et honoris, per detractionem et contumeliam: quæ omnia prohibentur eodem ordine reliquis Decalogi præceptis.

SECTIO PRIMA.

De Præcepto non occidendi nec mutilandi seipsum.

Duplici modo potest aliquis seipsum occidere: 1.° directè et ex intentione occidendi seipsum; 2.° indirectè et veluti per accidens, faciendo vel omittendo aliquid, quo posito vel omisso, mors aliundè sequitur, v. g., si quis in naufragio tabu-

lam amico tradat, vel occupandam relinquat, undè fiat ut ipse undis absorbeatur.

PROPOSITIO PRIMA.

Nunquàm licitum est seipsum directè occidere.

Prob. 1.° *ex præcepto*, Non occides; nàm ex illis verbis colligit S. Aug. nemini licere seipsum occidere, quod idem docuerunt alii Patres et Concilia, præsertìm contra Donatistas, Circumcelliones, qui suî ipsorum occisionem genus putabant esse martyrii.

Prob. 2.° *ex Conc. Bracarensi II*, cap. 16: *Placuit ut hi qui sibi ipsis aut per ferrum, aut per venenum, aut per suspendium, aut præcipitium, aut quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur.*

Prob. 3.° *triplici ratione* quàm offert S. Thomas. 1. Enim qui seipsum occidit, gravem facit injuriam sibi ipsi, contra legem naturalem et præceptum charitatis erga seipsum. 2. Injuriam infert communitati, ad quam pertinet tanquam pars ad totum. 3. Injuriam gravissimam facit Deo, cujus usurpat dominium, sicut qui alienum servum interfecit, peccat in dominum cujus est servus; homo enim in suam vitam non habet dominium et auctoritatem, sed Deus solus, juxta illud Sapientiæ c. 16, ℣. 13: *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem.*

Adde quòd ille, qui se occidit, vel est innocens vel nocens: si innocens, iniquè se occidit; si nocens, peccat contra seipsum, exponendo se damnationi.

Dices 1.° : Virgines aliquæ sibi mortem intulerunt, et tamen coluntur ut Martyres ; ergo, etc.

Resp. cum S. August. mulieres illas ex evidenti Dei instinctu id fecisse, ideòque à peccato excusari. *Quòd si hoc fecerunt, non humanitùs deceptæ, sed divinitùs jussæ; non errantes, sed obedientes; sicut de Samsone aliud nobis fas non est credere.*

Dices 2.° : Ex S. Hieron. in caput primum Jonæ : *In persecutionibus non licet propriâ perire manu, absque eo ubi castitas periclitatur ;* ergo saltem licet se occidere ad servandam castitatem.

1.° *Respondent* aliqui legendum non esse, *Absque eo*, sed, *Usque eò*, et hoc quidem inclusivè, non exclusivè intelligendum, ita ut sensus sit : etiam tunc quandò castitas periclitatur, non licet propriâ perire manu. Ita Joannes Major et Glossa Capituli, *Non est nostrùm, causâ* 23, quæst. 5.

2.° *Respondent* alii S. Hieron. non id dixisse universaliter, sed tantùm quandò quis invincibiliter putat sibi licitum esse seipsum occidere ad servandam castitatem, aut quandò divinitùs movetur ad id agendum. Dici etiam potest cum aliis, S. Hieronymum id dixisse ex aliorum sententiâ, non ex suâ. Sed, quidquid sit, non est à sententiâ S. August. recedendum, quam tota amplectitur Ecclesia.

Dixi in propositione, *non licere seipsum directè occidere;* potest enim aliquis licitè, ob justam causam, aliquid facere et omittere, ex quo mors prævidetur secutura per accidens. Ratio est, quia non semper obligamur ad cavenda ea quæ per accidens eveniunt, sed ex justâ causâ possumus ea permittere; neque semper prohibitum est

vitam suam periculo exponere, sed solùm quandò id fit ex intentione directâ se occidendi, vel absque causâ, quod patebit exemplis.

1.º Igitur, propter bonum commune, possunt milites se exponere evidenti periculo mortis; membrum enim debet pro toto corpore periclitari.

2.º Ad vitandam mortem certiorem, v. g., grassante incendio, persequente inimico, potest quis è sublimi seipsum præcipitem dare, sperans utcunquè hâc ratione posse salvari.

3.º Ad exercendam charitatem vel misericordiam, potest quis non se defendere contra invasorem, ne illum in peccato mortali occidat; item, exponere se periculo mortis ad conservandam vitam temporalem amici, et à fortiori Principis, conjugis, parentum, etc., vel pro iis injustè ad mortem damnatis seipsum tradere occidendum. Sic etiam ad mortem damnati, Fidei christianæ causâ, non solùm tenentur illam fortiter ferre, si inferatur, sed etiam possunt non fugere, tametsi via pateat ad fugiendum, ut de SS. Martyribus passìm legitur. Sic etiam licitum est seipsum carnis afflictationibus macerare, non quidem ex intentione vitam abbreviandi, sed Deo placendi vel subjiciendi carnem rationi; in quo tamen non licet imprudenter modum excedere cum notabili vitæ vel virium detrimento.

4.º Ex amore obedientiæ et justitiæ, ad publicum exemplum, licitum est malefactoribus seipsos offerre Judici interficiendos; item, ex carcere vel ex lictorum manibus non fugere, quamvis id possint sine ullâ vi contra ministros justitiæ : nunquàm tamen debet reus sibi ipsi mortem inferre, seipsum à scalâ dejiciendo, propriis manibus venenum hauriendo, secando venam, membrum

aliquod amputando, etc.; hæc enim naturæ repugnant, et injusta esset ac crudelis Judicis sententia hoc imponens.

5.° Nemo, nisi fortè sit persona Reipublicæ valdè necessaria, tenetur vitam suam conservare mediis valdè difficilibus aut extraordinariis, v. g., membrorum cum gravissimis cruciatibus amputatione, cibis exquisitissimis, medicinis valdè pretiosis, aliisque remediis à quibus natura vel pudicitia valdè abhorreat, et sæpè non minùs quàm ab ipsâ morte. Ratio est, quia præceptum conservandi vitam est affirmativum, neque omni modo et tempore, neque cum tanto rigore obligat.

Quæres an peccati rei sint funambuli, qui in fune excelsiùs protenso saltant, etc.

Resp. Censent aliqui eos, si longâ experientiâ moraliter certi sint de industriâ et agilitate suâ ad vitandos lapsus, non peccare, saltem graviter. Sentiunt alii eosdem peccati mortalis reos esse, 1.° quia, quæcunque sit eorum agilitas, semper obnoxii sunt proximo mortis aut gravis vulneris periculo; cùm ad id sufficiat vertigo, irrepens imaginationis debilitas, subitus adstantium clamor ex plausu vel tremore, undè non rarum est plurimos ex eo perire ludo. 2.° Quia ea est funambulorum conditio, ut scenis suis obscena plurima permisceant.

PROPOSITIO II.

Nemini unquàm licitum est seipsum mutilare, nisi ex gravi necessitate.

Ratio est, quia sicut vitæ, sic membrorum nostrorum dominus est Deus, cui proindè gravem injuriam facit, qui aliquod eorum amputat sine

ipsius concessione; quæ tamen si adsit, non erit illicitum seipsum mutilare. Hæc autem Dei concessio potest esse vel expressa, per evidentem Dei instinctum, quomodò legimus quosdam Sanctos linguam suam, pollicem, nasum amputasse, etc.; vel tacita et rationabiliter præsumpta, quoties nempè mutilatio est necessaria ad vitandum majus malum : sic enim licitum est, ad vitam conservandam, seipsum mutilare, aut ab aliis mutilari permittere : ad id tamen, secundùm quosdam Doctores, nemo obligatur, quandò id sine maximis doloribus fieri non potest.

Cæterùm, mutilatio nunquàm est medium necessarium ad vitandas tentationes, vel ad vitandum peccatum : quocircà à SS. PP. reprehenduntur, qui, verba Christi nimis litteraliter intelligentes, oculos suos eruerant, vel seipsos castraverant. Hinc, canone 21 Apostolorum, hujusmodi homines dicuntur suî homicidæ, et inimici creationis Dei, seu hujus opificii hostes ac destructores.

SECTIO II.

De Præcepto non occidendi nec mutilandi proximum.

Quadruplex hic potest distingui difficultas : prima circa malefactorem; secunda circa aggressorem injustum; tertia circa innocentem; quarta circa abortum.

PROPOSITIO PRIMA.

Non licet homini privato privatâ auctoritate quemcunque malefactorem occidere, mutilare, vel verberare, extra casum necessariæ defensionis.

Prob. 1.° *ex S. Aug.* lib. 1 de Civ. Dei, cap.

21 : *His*, inquit, *exceptis quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.* Et Epist. 204 aliàs 61 : *Qui sine ullâ legitimâ potestatis auctoritate hominem occidit, homicida est.*

Prob. 2.° *Ratione :* Quia homini privato non competit jus puniendi, maximè per mortis aut mutilationis pœnam : at occisio vel mutilatio aut læsio alterius, sine jure facta, injusta est, et consequenter generali præcepto non occidendi prohibita.

Dixi, *homini privato non licet privatâ auctoritate ;* quia certum est, in bonum Reipublicæ, licitum esse eis qui publicam illius regendæ potestatem habent, sicut et eorum ministris, punire malefactores, etiam pœnâ mortis, post justam damnationis sententiam, et modò serventur conditiones debitæ, scilicet, 1.° ut Judex habeat legitimam auctoritatem ; 2.° ut servet præscriptum Juris ordinem ; 3.° ut æquitatem in judicando custodiat : quæ conditiones explicabuntur alibi.

Hanc autem potestatem inesse Reipublicæ, patet ex verbis Apostoli, Rom. c. 13, ℣. 4, ubi loquens de eo qui Reipublicæ curam habet, sic pronuntiat : *Si malum feceris, time ; non enim sine causâ gladium portat ; Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Quod et confirmatur ratione S. Thomæ, 2.ª, 2.æ, quæst. 64, art. 2, in corp. : *Omnis pars*, inquit, *ordinatur ad totum, ut imperfectum ad perfectum, et ideò omnis pars naturaliter est propter totum ; et propter hoc videmus quòd, si saluti totius corporis humani expediat præcisio ali-*

cujus membri (putà cùm est putridum, vel corruptivum aliorum membrorum), laudabiliter et salubriter abscinditur; quælibet autem persona singularis comparatur ad totam communitatem, sicut pars ad totum; et ideò, si aliquis homo sit periculosus communitati, et corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter et salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur; « modicum enim fermentum totam massam corrumpit », ut dicitur I ad Cor. c. 5, ℣. 6.

Quamvis autem patribus-familiâs concessum non sit delicta subditorum punire atrocibus pœnis, v. g., mortis, mutilationis, aut alterius mali non reparabilis, imò nec veri carceris aut exilii, aliquam tamen habent potestatem puniendi subditos levioribus et consuetis pœnis, v. g., aliquâ verberatione, substractione cibi vel potùs ad tempus, imò interdùm inclusione et alligatione ad breve tempus.

Dices 1.° : Interdùm cuivis permittitur, etiam proposito præmio, occidere insignem malefactorem, qui aliter capi non potest.

Resp. si hoc legitimè et à publicâ potestate permittatur, quemlibet è populo tunc fieri ministrum Reipublicæ, ac proindè non occidere privatâ auctoritate; ad quod tamen licitè faciendum requiritur, 1.° ne id fiat ex privatâ vindictâ vel odio; 2.° ne id fiat à conjuge, patre, aut filio, quod est manifestè contra jus naturæ et pietatis; 3.° ne fiat, pendente appellatione, et extra territorium Reipublicæ id permittentis.

Dices 2.° : Quædam leges civiles marito aut patri permittunt ut occidat adulterum cum uxore aut filiâ deprehensum.

Resp.

Resp. ex communi Theologorum sensu, leges illas non esse intelligendas quasi id concedant, sed intelligi debere ita ut, qui hujusmodi adulteros occiderunt, excusentur à pœnâ temporali homicidii, ob maximum doloris sensum, qui sæpè efficit ut in his casibus non sint suî compotes. Prætereà, leges illæ in hoc Regno non vigent, et videntur improbatæ Jure canonico, causâ 33, quæst. 2, cap. *Inter hæc.* Et verò, ex regulâ 176.ª Dig., *Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publicè possit fieri.*

PROPOSITIO II.

Non licet occidere, mutilare aut lædere iniquum aggressorem, nisi necesse sit ad justam suî vel aliorum defensionem, idque exactè servatis conditionibus debitis.

Prob. propositio iisdem momentis quibus præcedens, quibus adde hanc rationem. Occisio vel mutilatio, sine jure facta, est sine dubio grave injustitiæ peccatum: at, quandò homo privatus iniquum aggressorem occidit vel mutilat, nisi ob justam defensionem, id facit sine jure, cùm non habeat dominium in corpus alterius; ergo, etc.

Dixi 1.º, *nisi id necessarium sit ad justam defensionem,* quia *vim vi reppellere leges omnes omniaque jura permittunt,* inquit Innocentius III, cap. *Significasti,* de Homicidio; et quia, ex ordine charitatis, quisque potest propriam vitam, aut etiam alterius qui invaditur, præferre vitæ nocentis et injustè invadentis, nisi fortè sit persona publica et Reipublicæ necessaria. Ita fert communior et probabilior sententia Doctorum.

Dixi 2.°, *idque servatis conditionibus debitis ;* quatuor autem requiruntur, 1. ut vis quæ infertur sit injusta ; 2. ut inferatur actualiter ; 3. cum periculo vitæ aut pudicitiæ personæ se defendentis ; 4. ut repelli non possit, nisi occidendo vel lædendo invasorem.

Prima igitur conditio est, ut aggressor vim injustam inferat : si enim justè invadat, v. g., si satellites reum capere conentur, ut secundùm ordinem justitiæ condemnatus plectatur, certum est eos vi repelli non posse ; quia non censentur vim inferre, cùm jus habeant invadendi ; ideòque vis ipsis illata esset injusta. Deindè bonum commune postulat ut Ministris justitiæ, bonâ fide officium publicum exercentibus, non inferatur injuria vel damnum.

Secunda conditio est, ut iniquus aggressor vim actu inferat, quia non licet alium occidere vel lædere, nisi ad vim vi repellendam ; si ergo non infertur actu, nulla est causa alteri vim inferendi.

Hinc 1.° non licet iniquum aggressorem repellere, antequàm incœperit actum invasionis ; quia scilicet vis nondùm infertur. Deindè, si liceret eum prævenire et occidere à quo quis timet sibi mortem parari, frequens daretur multarum cædium occasio, in magnam Reipublicæ perniciem : quocircà damnata est ab Alexandro VII hæc propositio : *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.* Hinc etiam ab Innoc. XI hæc altera propositio proscripta est : *Non solùm licitum est defendere defensione occisivâ, quæ actu possidemus, sed*

etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.

Hinc 2.° non licet occidere vel lædere invasorem post finitam invasionem, scilicet, si jam ab eâ destitit, et, v. g., fugit; qui enim læderet invasorem, postquàm desiit invadere, jam seipsum non defenderet, sed privatâ auctoritate vindictam sumeret, quod est illicitum.

Tertia conditio est, ut vis inferatur in re gravi, scilicet, cum periculo vitæ vel pudicitiæ personæ se defendentis: ratio est, quia non debemus alteri grave damnum inferre ad vitandum leve malum. Hinc ab Innoc. XI damnata est hæc propositio: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.*

1.° Igitur, quoad pudicitiam, licitum esse putant multi Doctores contra non paucos, stupratorem violenter irruentem ante illatum stuprum interimere, si non suppetat alia via ad evadendum, præsertim quia illa oppressio conjuncta est cum magno periculo peccandi, et sic perdendæ vitæ spiritualis.

2.° Quod spectat furem et raptorem bonorum temporalium, tunc licitum est illum occidere, quandò periculum est ne ipsum possessorem occidat. Sic 1. potest occidi fur nocturnus, quandò periculum est ne ad occidendum simul et furandum accesserit, nec putatur ejus vita posse conservari absque propriæ vitæ periculo: id probatur ex c. 22, ℣. 2, 3 Exodi, ubi sic legitur: *Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit; percussor non erit reus sanguinis: quòd si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur.* Idem quoque asserit Jus canoni-

cum, cap. *Si perfodiens*, de Homicidio, et Jus civile; vid. art. Cod. pœn. 328 et 329, § 3. Sic 2. licitum est domino res proprias à raptore cum moderamine defendere, quòd si raptor obsistat, et in hoc conflictu vita domini proximè periclitetur, tunc domino licitum erit seipsum defendere, etiam occidendo raptorem, si nulla prorsùs alia suppetat via ad vitæ propriæ conservationem. Vid. art. Cod. pœn. 329, § 3.

Contrà verò licitum non est, 1.° occidere præcisè ob bona quæ vocantur fortunæ, si nullum sit periculum vitæ conjunctum, v. g., quandò fur est diurnus et inermis.

Prob. 1. *verbis Exodi jam citatis*, quibus declaratur homicidii reus, ille qui furem occidit orto jam sole; cujus rationem reddit S. Aug. in Exodum, quæst. 84, dicens, quia *poterat discernere quòd ad furandum, non ad occidendum venisset; et ideò non deberet occidi.*

Prob. 2. *auctoritate ejusdem S. August.* lib. 1 de Libero Arbitrio, cap. 5: *Quomodò*, inquit, *sunt isti à peccato liberi, qui, pro iis rebus quas contemni oportet, humanâ cæde polluti sunt?*

Prob. 3. ex cap. *Suscepimus*, de Homicidio.

Prob. tandem 4. *Ratione:* Quia quisque tenetur res suas dare ad subveniendum periculo vitæ alterius in extremâ vel gravi necessitate, ut suprà probatum est; ergo tenetur etiam quisque res proprias dimittere, potiùs quàm pro iis defendendis alteri vitam adimere. Vide tamen art. Cod. pœn. 322.

2.° Licitum non est occidere ad calumniam repellendam, vel conservandam famam.

Prob. ex Bullâ Innoc. XI, in quâ damnatur hæc propositio: *Fas est viro honorato occidere*

invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.

Prob. etiam *Ratione* : Nam 1. vel honor injustè ablatus est coram testibus, vel non : si prius, potest læsus idoneo testimonio honorem recuperare, ope Judicis implorată, absque jacturâ vitæ infamantis; si testes non habet, ergo non est infamatus coram aliis, nec jacturam fecit gravem quæ æquiparari possit vitæ alterius. 2. Occisio infamatoris non reparat honorem læsum, siquidem non probat falsò aut injustè dicta fuisse quæ objecta sunt, sed solùm ea iniquo animo ab infamato accepta fuisse. 3. Honor ille est sæpè solummodò fictitius et honoris imago; plerumquè enim iis in rebus statuitur, quæ probro esse debent apud hominem Christianum. 4. In suî suorumque defensionem, licet tantùm vim vi repellere : sed fraus, calumnia, detractio, non sunt vis; ergo non sunt vi repellendæ, sed ope Judicis. 5. Deniquè, privatus homo debet honorem suum, imò et vitam exponere, quandò agitur de bono Reipublicæ : atqui hìc agitur de bono Reipublicæ; si enim calumniatores, maledicos, etc., unicuique liceret occidere, omnia cædibus et homicidiis plena essent.

Quarta deniquè conditio est, ut defensio aliter fieri non possit sine maximo detrimento : ratio est, quia, ut jam diximus, non debemus alteri grave damnum inferre ad vitandum leve damnum nostrum. Quapropter in defensione contra invasorem servari debet moderamen inculpatæ tutelæ; est autem moderamen illud observatio modi debiti,

ita ut non plus fiat quàm necesse est ad defensionem; si ergo invasus judicet se minis ac verbis vitam satis posse tueri, ne verberet; si verbera sufficiant, ne mutilet; si mutilatio sufficiat ut se tueatur, ne occidat.

Adverte autem 1.° quòd, quamvis interdùm liceat invasorem occidere ad defendendam propriam vel aliorum vitam, nemo tamen, generaliter loquendo, ad id obligatur, quia invasoris occisio est medium nimis horrendum, à quo abstinere et natura hominis et ipsa suadet charitas, præsertìm ne proximus, quamvis malitiâ suâ, pereat : quod confirmatur etiam exemplo Christi et Sanctorum.

Dixi, *generaliter loquendo;* quia, si vita invasi verè esset necessaria pro bono Reipublicæ, vel pro ipsius invasi æternâ salute, tunc esset obligatio tuendi vitam invasi.

Adverte 2.° teneri omnes, lege charitatis, vitam et bona proximorum tueri contra injustos invasores, si absque suo magno incommodo possint; lege autem justitiæ et ratione officii expressi aut taciti, ad id obligantur Principes et Magistratus erga subditos, tutores erga pupillos, famuli erga dominos, milites erga duces; item, lege pietatis, parentes, filii, conjuges, et alii consanguinei erga se invicem; tandem, lege observantiæ, ad id obligantur subditi erga Superiores, sive ecclesiasticos, sive civiles.

PROPOSITIO III.

Illicitum est directè occidere innocentem.

Prob. 1.° *ex Script.* Exodi c. 23, ℣. 7 : *sontem et justum non occides, quia aversor impium;* ergo impium est innocentem occidere.

Prob. 2.° *Ratione :* Quia nullus habet dominium in alterius vitam; ergo nemo potest eam auferre, nisi vel ratione juris naturalis ad necessariam defensionem, vel ratione auctoritatis à Deo acceptæ, v. g., ad justam criminum punitionem.

Dixi, *directè* et ex intentione illius mortis; quia licitum esse potest auctoritate publicâ ad mortem innocentis indirectè aliquo modo cooperari, v.g., aliquid faciendo ex se indifferens, undè mors innocentis secutura prævidetur, nempè quandò agitur de bono publico, quod innocens tenetur vitæ suæ præferre : sic licitum est in bello justo turrim evertere, in quâ innocentes prævidentur opprimendi.

PROPOSITIO IV.

Abortum directè *procurare sub mortali semper vetitum est;* indirectè *verò procurare aliquandò licitum.*

Nota 1.° Abortus est animati, vel inanimati, quem mulier in utero gestat, præmatura fœtûs ejectio. Undè ejectio seminis ante conceptionem, licèt grande scelus, non est propriè abortus, nec pœnis contra abortum latis subjacet.

Nota 2.° Abortus dupliciter intendi potest, 1. *directè,* quandò, v. g., mulier potionem sumit, eo fine ut uteri sui fructum disperdat et ejiciat; 2. *indirectè,* ut si quid faciat undè per accidens et contra intentionem sequatur abortus. His notatis,

Prob. 1.ª *pars propositionis :* 1.° *ex SS. PP.* Tertull. Apologet. cap. 9 : *Homicidii,* inquit, *festinatio est prohibere nasci : nec refert natam*

quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est et qui est futurus.

S. Basil., Ep. ad Amphiloch. can. 2, ait: *Quæ de industriâ fœtum corrupit, cædis pœnas luet. Formati autem vel informis subtilitas à nobis non attenditur.* Ita et S. August. lib. 1 de Nupt. cap. 15.

2.° *Ex damnatione* sequentis propositionis ab Innoc. XI factâ: *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.*

3.° *Ratione*: tum quia istud repugnat bono speciei humanæ, scilicet et naturali fini seminis humani, quod ex se ordinatur ad generationem, et speciei humanæ conservationi ac propagationi; tum quia, si fœtus sit animatus, veri nominis est homicidium, quod verè irregularitatem inducit, et excommunicationis pœnam.

Dixi, *semper vetitum est;* nullo quippe in casu, nullâ circumstantiâ, cohonestari potest directa abortûs intentio, sive fœtus sit animatus, sive dubium sit de illius animatione, sive certò nondùm sit animatus, etiamsi agatur de servandâ famâ matris aut vitâ.

1.° Si fœtus sit animatus, non licet, etiam ad conservationem famæ matris aut vitæ, abortum directè procurare, quamvis aliàs certa sit mors matris et fœtûs; quia hoc esset directè occidere innocentem, quod per se malum est, licitumque fieri non potest ex intentione alterum salvandi; nec infans est injustus vitæ matris aggressor, nihil enim injustum contra eam molitur; nec est membrum seu pars physica matris, sed homo ab eâ realiter distinctus.

2.° Idem dicendum, si dubium sit an fœtus

animâ donetur, quia nunquàm licet exponere se periculo occidendi innocentem.

3.° Ex communiori sententiâ, in iisdem etiam circumstantiis, illicitum est directè procurare abortum fœtui inanimato, quia istud est contra naturam et finem generationis. Enimverò non magìs licet mulieri abortum sibi procurare ad vitandam mortem quæ sibi, etiam ab intrinseco, imminet, quàm eidem liceat impedire conceptionem ad vitandum idem periculum, quod experta est sibi imminere ex partu, aut quàm cuilibet, ad vitæ conservationem, intendere vel procurare pollutionem, ope pharmaci vel ciborum ex quibus futura prævidetur : atqui non licet conceptionem impedire aut pollutionem procurare, in duplici illo casu; ergo, etc. Ita Sylvius, Comitolus, Cabassut, Pontas, etc., contra S. Antonin. et paucos alios, qui putant mulierem, ex morbo aliàs perituram, posse medicinam sumere quæ ex naturâ suâ tendat ad ejectionem fœtûs inanimati, quia, inquiunt, tunc verè non fit homicidium, fœtusque non animatus, in extremo matris periculo, est veluti humor infectus et inficiens, ex quo fructus sperari non potest.

Prob. 2.ª *pars : Aliquandò licitum est abortum* indirectè *procurare ;* scilicet, 1.° quandò constat fœtum non esse animatum, mater graviter decumbens licitè potest sumere medicamentum sibi salutiferum quod inducit periculum abortûs, modò ad abortum de se non tendat, nec alio sumatur intuitu quàm matris innocenter sublevandæ. Ita communiter Theologi : et ratio est, quia tunc abortus neque ex intentione operantis, neque ex intentione operis, sequitur ex medicinâ; undè potiùs permittitur et non impeditur,

quàm intenditur. 2.° Idem dicendum, etiamsi fœtus sit animatus, modò certò constet matrem alioqui morituram, et fœtum sine Baptismo extinguendum esse. Quia tunc, sine majori periculo et damno fœtùs, consulitur vitæ matris. Si verò spes esset, exstinctâ matre, proditurum esse infantem et baptizandum, non liceret curare matrem cum vero prolis periculo; quia temporali suæ vitæ vitam æternam proximi quisque debet præponere.

Colliges ex dictis mortaliter peccare, 1.° medicos vel alios qui potiones dant ad procurandum abortum, sive fœtus sit animatus, sive non, aut ad impediendam conceptionem; 2.° matres qui eas sumunt; 3.° qui obortui præbent occasionem, etiam præter intentionem, dando operam rei illicitæ, vel debitam omittendo cautionem, ut si quis percutiat mulierem gravidam, *vel si ipsa nimis saltavit, vel nimis inordinatè laboravit; vel propter inordinatas lascivias;* ait S. Antoninus.

Circa tempus verò animationis fœtûs non consentiunt Auctores; communior Theologorum sententia, post Glossam, est, corpus maris quoad omnes suas partes absolvi, et ideò animâ informari die à conceptu 40; feminæ autem die 80; hancque sententiam in praxi sequitur Ecclesia, dùm pœnas decernit, et sacra Pœnitentiaria.

Quæ spectant compensationem damni ex homicidio vel mutilatione secuti, remittimus ad *Tractatum de Justitiâ*, ubi de Restitutione in particulari.

SECTIO III.

De Præcepto non irascendi contra proximum.

Ira est appetitus vindictæ et ultionis pro acceptâ injuriâ; quæ ultio fit rependendo malum pro malo, scilicet malum alicujus pœnæ, pro malo culpæ seu culpabilis injuriæ, sive illud malum verum sit, sive imaginarium: cùm autem vindicta benè vel malè possit appeti, hinc fit ut ira de se sit indifferens, et possit esse bona vel mala. *Alia est ira,* inquit S. Gregorius, lib. 5 Mor., cap. 45, *quam impatientia excitat, alia quam zelus format: illa ex vitio, hæc ex virtute generatur.*

1.° Quidem ira bona est, si, vel ad emendationem rei, vel ad reparationem honoris divini læsi, vel ad servandum ordinem justitiæ, vel ad satisfactionem debitam, aliquis appetit commeritam pœnam reis infligi debito modo et auctoritate publicâ; et hoc genus iræ dicitur zelus vel charitatis proximi, vel Religionis, vel justitiæ.

Attamen, quandò aliquis ab alio læsus appetit vindictam etiam debito modo infligendam pro injuriâ propriâ, sollicitè cavendum est ne ex inordinato suî ipsius amore vel proximi odio id fiat, ut plerumquè contingit; ideòque laudabilius est propriam injuriam nullo modo, etiam legitimo, velle ulcisci, sed eam potiùs perfectè condonare; qui enim illatas injurias sic condonat, charitatem in Deum et proximum exercet, Patrem cœlestem et Christum imitatur, consilia evangelica observat, proximum ædificat, victoriam de se reportat, singularem habet fiduciam à Deo impetrandi remissionem peccatorum,

et deniquè malefactoris fratris animum sæpissimè lucratur, ut ait Christus.

2.° Ira est mala et inordinata, juxta S. Thomam, si quis appetat puniri eum qui non meruit, vel ultrà quàm meruit, vel sine legitimâ seu publicâ auctoritate, aut contra juris ordinem, et tunc est contra justitiam; vel ob finem non rectum, v. g., ex odio, et sic est contra charitatem. Deniquè, ira est etiam inordinata, si quis excedat in modo irascendi exteriùs, nimis excandescendo, et majorem quàm oportet iram exteriùs manifestando, quod est contra mansuetudinem.

PROPOSITIO.

Ira inordinata est mala, et quinto Decalogi præcepto prohibita.

Prob. ex verbis Christi, Matth. c. 5, ℣ 21, 22, præceptum illud interpretantis, et illud vindicantis à falsâ intelligentiâ Judæorum, qui, teste S. Aug., solum homicidium prohiberi putabant: *Audistis,* inquit, *quia dictum est antiquis, non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio: ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Item, ex verbis Apostoli Galat. c. 5, ℣. 19, 20, 21: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt... iræ, rixæ,* etc., *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Similiter Eccli. c. 27, ℣. 33, jam dictum olim fuerat: *Ira et furor, utraque exsecrabilia sunt.*

Ex his patet prohiberi omnem iram quæ ex se tendit ad injustum proximi homicidium vel no-

cumentum, seu quæ est inordinatus appetitus mortis, vel alterius nocumenti proximo inferendi propriâ et privatâ auctoritate, sive hæc prodatur exteriùs ac prorumpat in contumeliam gravem vel levem, sive merè interna sit et occulta.

Quæres an ira sit peccatum mortale ex genere suo.

Resp. 1.° iram quæ est contra justitiam, et quæ hoc præcepto directè prohibetur, esse peccatum ex genere suo mortale, ut patet ex textibus citatis: potest tamen fieri peccatum veniale, tum propter indeliberationem, tum propter materiæ levitatem, si vindicta quæ appetitur modica sit, ita ut, si inferretur, non esset peccatum mortale; ita S. Thomas.

Resp. 2.° iram ex odio et contra charitatem esse etiam ex genere suo peccatum mortale: hinc 1 Joan. c. 3, ℣. 15, dicitur: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.*

Resp. 3.° iram quæ est tantùm contra mansuetudinem, esse tantùm peccatum veniale; fieri tamen potest peccatum mortale ratione scandali vel blasphemiarum, conviciorum, etc.; ita pariter S. Thomas.

CAPUT IV.

De sexto Decalogi Præcepto.

Sextum Decalogi præceptum, Exodi c. 20, ℣. 14, relatum, hoc verbo continetur: *Non mœchaberis.* Non tantùm prohibet mœchiam seu adulterium, sed etiam, ex communi Doctorum, Patrum, et Ecclesiæ sensu, omne peccatum contra castitatem.

Castitas, ex S. Thomâ, est *virtus moralis moderans inordinatum appetitum et usum delectationum venerearum.* Perfecta dicitur, quandò quis ab omnibus carnis voluptatibus, tam licitis quàm illicitis, perpetuò abstinere proponit; quæ si insuper adjunctam habeat carnis integritatem nullo modo perditam, dicitur virginitas: nam, ut ait S. Ambr. lib. 1, de Virginibus, *Castitas virginalis est expers contagionis integritas.*

Parochos prudenter monet Catechismus Romanus, ut, in explicandis quæ ad castitatem pertinent, cauti sint et parci, tectisque verbis rem commemorent, quæ moderationem potiùs quàm orationis copiam desiderat. Huic consilio obsequentes, breviter, quantùm materia patietur, ea exponemus quæ à Confessariis sciri debent, ut lepram à leprâ discernere valeant, implorată priùs humiliter divinâ Christi Jesu gratiâ.

SECTIO PRIMA.

De Peccatis Luxuriæ consummatæ naturalis.

Luxuria consummata naturalis est illicita viri et feminæ conjunctio carnalis, modo naturali facta, extra matrimonium, ita ut proles ex eâ nasci queat. Hujus sex sunt species, ut docet S. Thomas, scilicet, fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, et sacrilegium.

ARTICULUS PRIMUS.

De Fornicatione.

Fornicatio simplex est *commercium carnale illicitum soluti cum solutâ*, id est, viri et feminæ qui nullo vinculo conjugii, vel Ordinis, vel cognationis aut affinitatis, sunt ligati.

Certum est fornicationem simplicem esse peccatum mortale contra castitatem.

Prob. 1.° *ex Script.* I Cor. c. 6, ℣. 9, 10: *Neque fornicarii... neque adulteri, neque molles... regnum Dei possidebunt;* Galat. c. 5, ℣. 19, 21: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia*, etc., *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur;* Ephes. c. 5, ℣. 5: *Hoc scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus... non habet hæreditatem in regno Christi et Dei;* Apoc. c. 21, ℣. 8: *Fornicatoribus... pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure.*

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Chrysost. Hom. 22, in II Cor.: *Quoties scortatus es*, inquit, *toties teipsum condemnasti.* Item S. Hieron. in c. 5 Ephes.; S Aug. lib. 4 quæst. in Exodum, quæst. 52; S. Fulgent. Epist. 1, cap. 4, relatus à Sylvio in 2.am 2.æ D. Th. quæst. 154, art. 2: sic iste loquitur: *Fornicatio nunquàm potest esse sine gravi crimine, in quâ, licèt non dubitemus damnabiliter peccare hominem ab uxore disjunctum, damnabiliùs tamen fornicari existimo conjugatum; utrumque autem Scriptura sancta judicandum, et à regno Dei pronuntiat alienum.*

Prob. 3.° insuper ex cap. *Prædicandum*, c. 22, quæst. 1; et tandem auctoritate S. Thomæ, qui asserit fornicationem non solùm jure divino positivo, sed etiam jure naturali esse prohibitam; quapropter damnata ab Innoc. XI hæc propositio: *Tam clarum videtur fornicationem, secundùm se, nullam involvere malitiam, et solùm esse malam quia interdictam, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.*

ARTICULUS II.

De Stupro, Raptu, et Adulterio.

Stuprum strictè dictum est *puellæ, præsertìm virginis, corruptio;* illudque peccatum est gravius simplici fornicatione, præsertìm propter maximum peccandi periculum, cui virgo sic corrupta exponitur. Stuprum est etiam contra justitiam, cùm puella invita corrumpitur, vel saltem invitis parentibus; tunc enim, ut ait S. Antoninus, committitur injuria contra parentes, sub quorum custodià est puella : quæ injuria etiam ex justitià reparanda est, si res detegatur, ut colligitur ex Deuteron. c. 22, et ex praxi Juris Canonici ac Civilis.

Addo insuper puellam non solùm virginem, sed etiam viduam, si in stuprum volens consentiat, sæpè peccaturam contra pietatem parentibus debitam, nempè ratione mœroris vel infamiæ aut inimicitiarum quæ exindè consequuntur.

Raptus est *violenta masculi vel feminæ abductio è loco in locum, libidinis explendæ causâ;* hoc autem peccatum castitatem violat et justitiam, quatenùs scilicet vis infertur, vel ipsi personæ abductæ, vel saltem iis quorum potestati subest, quandò, iis repugnantibus et contradicentibus, fit abductio.

Notandum autem quòd, ex Conc. Trid. Sess. 24, raptor et auxilium præbentes sunt ipso facto excommunicati, infames, et dignitatum incapaces : Jure autem civili raptus gravibus pœnis afficitur. Vide art. 354 usque ad 357 Cod. pœn.

Adulterium est *conjunctio carnalis cum alterius conjuge :* hoc autem peccatum gravissimum esse contra castitatem, patet ex locis Scripturæ

præcedenti articulo relatis, et ex Deuter. c. 22. Imò verò peccatum illud, primis Ecclesiæ seculis, plurimorum annorum pœnitentià expiabatur. Est etiam peccatum illud contra justitiam et fidem conjugalem, quia committi non potest absque gravissimà injurià contra alterum conjugem, aut saltem fidem conjugalem ipsi datam : quæ injuria quanta sit, patet ex Levitico, ubi pœna mortis in adulteros decernitur; et ex communi hominum æstimatione, qui injuriam illam tanti faciunt, ut vel perpetuo divortio, vel gravissimis pœnis eam ulcisci soleant : neque ejusmodi malitia tollitur, etiamsi alter conjux consentiat in adulterium conjugis; quia non potest ille cedere de jure suo, vel dare alteri potestatem non servandi fidem conjugalem quæ matrimonio est annexa, et cui fit injuria. Hinc damnata est ab Innoc. XI hæc propositio : *Copula cum conjugatâ, consentiente marito, non est adulterium; adeòque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.*

Cæterùm tribus modis adulterii crimen committi potest, 1.° si vir tantùm sit conjugatus; 2.° si mulier sola sit conjugata; 3.° si ambo sint conjugati. Primum est gravissimum peccatum contra castitatem et justitiam : secundum est multò gravius, propter mala ei annexa, scilicet periculum impediendi generationem, incertitudinem prolis, et propter damna quæ tum marito, tum legitimis filiis, ob suppositam prolem, possunt evenire : quapropter adulterium mulieris conjugatæ puniebatur morte, non tamen adulterium viri conjugati. Tertium deniquè est omnium gravissimum, quia duorum priorum malitiam continet, estque duplex adulterium quo duplex torus violatur : idcircò in confessione declarandum est

quòd conjugatus cum conjugatâ illud commiserit.

Circa restitutionem ob adulterium faciendam, consule *Tract. de Justitiâ.*

ARTICULUS III.
De Incestu et Sacrilegio.

Incestus est *commercium carnale consanguineorum vel affinium intra gradus prohibitos.* Hoc peccato utiquè gravissimo non solùm castitas violatur, sed etiam pietas quâ parentibus et consanguineis reverentiam exhibere tenemur. Hujus autem criminis gravitatem ipsa natura docet et Scriptura sacra, quæ mortis pœnam contra incestuosos decernit, hanc rationem addens, quia nefariam rem operati sunt.

Addo, ex S. Thomâ aliisque communiter Theologis, per sacramentum Pœnitentiæ contrahi veluti quoddam cognationis spiritualis vinculum, quo fit ut Confessarius, cum Pœnitente suâ peccans carnaliter, incestum gravissimum committat, ut patet ex cap. *Non debet,* causâ 30, quæst. 1, ubi sic loquitur Cœlestinus Papa : *Non debet Episcopus aut Presbyter commisceri cum mulieribus quæ sua ei peccata fuerint confessæ. Si fortè, quod absit, hoc contigerit, sic pœniteat, quomodò de filiâ spirituali, quindecim annos ; Presbyter duodecim, et deponatur,* Cap. *Omnes quos,* ibidem, Symmachus Papa ait : *Si quis hoc scelus perpetraverit, non solùm dignitatis honorem amittat, verùm etiam, usque ad exitum vitæ suæ, jugi pœnitentiæ se subdat.*

Sacrilegium in hâc materiâ dicitur violatio personæ sacræ vel loci sacri per luxuriam : locus verò sacer hìc intelligitur Ecclesia, sive consecrata, sive simpliciter benedicta : item, cœme-

teria, et capellæ Episcopi auctoritate ad Dei cultum deputatæ. Jam verò horrendum istud peccatum non solùm est contra castitatem, sed etiam contra religionem; maximam quippè irreverentiam contra res sacras includit, et maximam irrogat Deo injuriam. Quomodò autem committatur sacrilegium, jam dictum est; observandum duntaxat duplex committi sacrilegium, si utraque persona sit Deo consecrata; et triplex, si simul in loco sacro peccent.

Quæres an concubinatus sit peccatum speciale contra castitatem.

Resp. non esse peccatum speciale distinctum ab aliis quæ enumeravimus; quippè nihil est aliud quàm frequens et consuetum commercium carnale cum eâdem personâ (sive sit soluti cum solutâ, et tunc reducitur ad fornicationem, sive cum conjugatâ, et tunc ad adulterium revocatur); ita tamen, ut quis personam illam in domo suâ vel alienâ ad hunc pravum habeat usum, æquè ac si esset uxor. Attamen in confessione aperienda est talis circumstantia, ut prudens Confessarius ea quæ in hoc casu agenda sunt præcipiat. Concubinarius absolvi non debet, quin priùs abigatur concubina, nisi fortè mors tam proximè immineat, ut absolutio differri nequeat donec eam ejecerit.

Cæterùm observandum est 1.° adulterium, raptum, sacrilegium, et incestum cum simplici fornicatione convenire in ratione luxuriæ contra castitatem, cùm hæc omnia consistant in illicito commercio carnali : quapropter omnia quæ fornicationem prohibent, à fortiori hæc crimina vetant; differunt tamen à simplici fornicatione, ratione alterius malitiæ quam habent adjunctam.

Observandum 2.° feminam, quam opprimere tentat homo, teneri ad resistendum omnibus quibus potest modis, pedibus, manibus, dentibus, præsertimque vicinorum auxilium clamoribus implorando, etiamsi (modò clamor profuturus speretur) stuprator districto gladio mortem comminetur; consentit enim, quæ intùs solùm renuendo, exteriùs merè passivè se habet; contrariamque propositionem damnavit, anno 1700, Clerus Gallic.

Observ. 3.° Pœnitentem, qui in sacro tribunali copulam solam exprimit, interrogandum esse castè quidem et prudenter, et prout necesse videbitur, 1. de suo et compartis statu, an conjugatus sit et ea conjugata; an ambo affines aut consanguinei; an voto castitatis adstricti, etc. 2. An peccaverit ex habitu, an cum scandalo, an compartem ipse induxerit ad scelus. 3. An nuptias promiserit. 4. An nihil fecerit quod ad sodomiam tenderet. 5. An aliquid egerit ne proles sequeretur. 6. Quoties crimen iteraverit. 7. An, eo consummato, devenerit ad tactus novæ copulæ præambulos. 8. An prolem neglexerit, eamve exposuerit, etc.

SECTIO II.

De peccatis Luxuriæ consummatæ contra naturam.

Peccatum contra naturam, ex S. Thomâ, dicitur illud quod repugnat naturali ordini commercii naturalis quod convenit speciei humanæ, ut in eo conceptio prolis humanæ fieri possit.

Certissimum est gravissima et valdè horrenda esse hujusmodi peccata contra castitatem.

Prob. 1.° *ex Script.* Genes. c. 19, ubi quinque

urbes igne sulphureo incensæ referuntur, ob hæc nefandissima crimina. Item, Levitici c. 18, ubi ejusmodi peccata prohibentur sub pœnâ mortis. Similiter, Rom. c. 1, Galat. c. 5, et aliis in locis graviter reprehenduntur.

Prob. 2.° ex capite *Adulterii*, causâ 32, quæst. 7 : *Omnium horum pessimum*, inquit S. Aug., *quod contra naturam fit;* et cap. *Flagitia,* ibid. : *Flagitia quæ sunt contra naturam, ubìque et semper detestanda atque punienda sunt.*

Prob. 3.° *Ratione* : Quia eorum peccatorum inordinatio multò gravior est quàm fornicationis; repugnat enim generationi et conceptioni prolis.

Etsi autem optandum esset nefanda hæc flagitia *nec nominari in nobis, sicut decet Sanctos,* necesse tamen est ut paucis de quolibet eorum agamus, quantùm verecundè fieri poterit, et iterùm implorata Dei gratiâ.

ARTICULUS UNICUS.

Quænam sint peccata Luxuriæ contra naturam.

Primum et gravissimum inter nefanda illa crimina est bestialitas, id est, congressus hominis cum bestiâ, de quo in Levitico decernitur, c. 20, ℣. 15 : *Qui cum jumento et pecore coïerit, morte moriatur.* Quæcunque autem sit bestia, peccatum semper est ejusdem speciei.

Ad hoc peccatum reducitur concubitus cum dæmone, sive incubo, sive succubo. Aperiendum est in confessione an dæmon personam viri egerit, an feminæ; item, an sub formâ personæ conjugatæ, vel consanguineæ, etc.; quia tunc, præter bestialitatem, additur affectus ad talem personam, et consequenter malitia adulterii et incestûs.

Secundum est horrendum crimen Sodomiæ, sic dictum à Sodomæ incolis, qui hoc peccato se contaminaverunt : est autem concubitus cum personâ ejusdem sexûs, sive viri cum viro, sive feminæ cum feminâ. Nihil verò ad hanc Sodomiæ speciem interest, an mares inter se coeant in vase posteriori, an modo alio; utrùm feminæ anteriori aut posteriori vase utantur; enormitas enim hujus crimínis potissimùm petitur ex affectu ad sexum indebitum. De hoc nefando scelere, vide quæ Apostolus dicit Rom. c. 1, circa quæ loquens S. Chrysost., Hom. 4 in epist. ad Rom., ait : *Quodcunque delictum nominaveris, nullum huic peccato par dixeris*, etc.

Cæterùm in confessione aperire debet pœnitens an Sodomia fuerit cum personâ conjugatâ, sacrâ, vel consanguineâ; tunc enim superadditur adulterium, sacrilegium, vel incestus.

Tertium est crimen Sodomiæ quæ dicitur à quibusdam *imperfecta*; estque concubitus viri cum feminâ extra vas naturale : quod peccatum gravissimum est, etiam inter ipsos conjuges.

Quartum deniquè locum tenet pollutio seu mollities, quæ est voluntaria et libidinosa seminis effusio, facta sine ullo coïtu, sive illud foràs effundatur, ut semper in maribus, sive intùs diffluat in matricem, ut sæpiùs in feminis : quod peccatum gravissimum est; de mollibus enim pronuntiat Apostolus, I Cor. c. 6, *quoniam regnum Dei non possidebunt*. Imò nefanda illa actio est intrinsecè mala, et contra naturam; tum quia est contra finem ad quem institutum est semen humanum, tum quia in eâ ratio voluntariè et admodùm turpiter sensibus subditur, undè intellectus et voluntas insigniter debilitan-

tur et deordinantur, ut ait S. Thomas, et probat experientia. Hinc Innoc. XI contrariam propositionem damnavit. Undè colligitur in nullo casu licitum esse procurare aut etiam desiderare pollutionem, ne sanitatis quidem obtinendæ aut ipsius vitandæ mortis causâ.

Huic peccato aliquandò adjungitur malitia adulterii, sacrilegii, incestûs, si fiat ex affectu vel cum cogitatione personæ conjugatæ, sacræ, aut consanguineæ : à fortiori, si prædictas personas quis polluat, aut se ab illis pollui patiatur. Item adjungitur malitia stupri, si injustæ violentiæ accedat affectus.

Cæterùm pollutio voluntaria esse potest, vel in se et directè, et tunc certum est grave esse peccatum et mortale, nisi plena desit advertentia, ut in semidormiente ; vel indirectè in causâ ex quâ prævidetur secutura, etiamsi non intendatur ; et tunc, si causa necessaria sit vel utilis aut honesta, ut confessionum auditio, verendorum medicatio, nullum erit peccatum, dummodò absit periculum consensûs, quod periculum adesse censetur, quandò quis expertus est se in simili occasione consentire solitum esse : at verò, si causa nec necessaria sit, nec utilis, pollutio quæ secutura prævidetur, quamvis non intendatur, imputabitur tamen ad culpam mortalem, præsertìm si causa sit proxima, et per se notabiliter influens in pollutionem : hinc actus omnes contra castitatem, v. g., libidinosi aspectus, tactus, amplexus, oscula, etc., item turpes lectiones, sermones, cantilenæ, cogitationes, etc., censentur causa proxima pollutionis ; idemque dicendum de certo quodam in lecto recumbendi modo. Quod autem de pollu-

tionis causâ dicimus, ob paritatem rationis applicandum est causis quæ vehementes pariunt motus in partibus venereis.

Quandò autem alicui invito accidit pollutio, consulit *Gerson* ut, quietis manibus et immoto corpore, signo Crucis se muniat, Deumque cum humili fiduciâ precetur, ne permittat animam suam inquinari consensu in illam delectationem.

De pollutione quæ solet accidere in somno, certum est eam non esse peccatum, quandoquidem homo tunc non est liber, nisi causa ei data sit per crapulam aut ebrietatem, aut cogitationem culpabilem vitiorum carnalium.

Qui tamen expergefactus violentos sentit carnis impetus, eos tenetur, quantùm potest, coercere, non quidem tactu, sed ardenti ad Deum clamore, invocatione B. Virginis, Crucis signo; item, corporis libidini magìs oppositum quærendo situm, aut è cubili ad modicum tempus prosiliendo.

Deniquè advertendum est etiam à conjugatis peccari contra naturam, si, servato vase naturali, modo tamen indebito copulantur; qui modus est peccatum mortale, si periculum est ne semen extra vas effundatur, vel impediatur generatio prolis. Vide quæ dicta sunt in *Tract. de Matrimonio.*

SECTIO III.

De peccatis Luxuriæ non consummatæ.

Inter hujusmodi peccata recensentur tactus, aspectus, oscula, amplexus, lectiones, sermones, auditiones, prolationes verborum obscenorum, et similes actus impudici vel lascivi et turpes.

Actus illi sunt peccata, 1.° quandò includunt consensum

consensum in delectationem veneream, ut sæpè contingit, vel quandò fiunt ex intentione illius; 2.° quatenùs causa sunt delectationis carnalis, quia scilicet eam multùm provocant, et ut plurimùm afferunt.

Hujusmodi actus graviter prohibentur in Scripturæ locis suprà citatis, Galat. c. 6, et Ephes. c. 5, ubi dicitur impudicitiam et omnem immunditiam excludere à Regno cœlorum : gravia etiam esse peccata contra castitatem ratio naturalis docet; nam actus illi impudici, quamvis fortè non fiant ex intentione concubitùs vel pollutionis, ad hoc tamen ex se tendunt, et ex naturâ suâ disponunt : neque verò in iis reperiri potest materiæ parvitas quæ à mortali excuset; sunt enim quædam inchoationes et procurationes pollutionis. Hinc damnata est ab Alexand. VII hæc propositio : *Est probabilis opinio quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensùs ulterioris et pollutionis.*

Cæterùm actus illi participant malitiam ipsius commercii carnalis cum eâ personâ cum quâ exercentur : sic, v. g., tactus impudici inter personas consanguineas participant malitiam incestûs; si fiant cum personâ conjugatâ, participant malitiam adulterii : undè Christus, Matth. c. 5, ỳ. 28, dicit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Quapropter, illa peccata confitendo, aperiendæ sunt circumstantiæ personarum.

Colliges 1.° actus omnes impudicos suprà recensitos esse peccata mortalia extra matrimonium, si includant consensum liberum in de-

lectationem carnalem, aut fiant propter illam. Similiter sunt peccata mortalia, aspectus, tactus, etc., qui, quamvis non fiant propter delectationem veneream, tamen sunt ex se turpes et impudici, v. g., aspectus, et à fortiori tactus inhonestarum partium, præsertìm inter personas grandiores; hi enim, si fiant deliberatè absque justâ causâ, v. g., medendi necessitate, non possunt à mortali excusari, etiamsi solâ curiositate fiant, quia ex his quasi necessariò exsurgit delectatio venerea.

Dico, *inter personas grandiores;* nutrices enim et ancillæ, quæ infantes tangunt in secretiori parte, dùm eos lavant vel induunt, à peccato sunt immunes; si verò ex libidine agant, graviter utiquè delinquunt.

2.° Etiam ordinariè peccant mortaliter personæ solutæ quæ talia loquuntur, libenter audiunt, scribunt, legunt, pingunt, repræsentant, vel spectant, non solùm si hæc fiant ex motivo turpitudinis venereæ, sed etiam si ex solâ animi levitate aut curiositate, quia semper adest magnum delectationis carnalis periculum, vel labendi in peccatum mortale, vel deniquè scandalum: ex quo facile est intelligere quàm periculosæ sint turpes cantilenæ, litteræ amatoriæ, munuscula, tabellæ parùm honestæ, comœdiæ, choreæ cum personis diversi sexûs; ab iis enim omnibus raró abest actus aliquis impudicus, vel periculum propriæ ruinæ spiritualis, aut grave aliorum scandalum. Si quandò tamen vera occurrat necessitas loquendi de rebus inhonestis, tunc certè pudicis omninò verbis utendum est.

3.° Peccant mortaliter qui tactus impudicos, v. g., mamillarum in se permittunt, vel oscula

morosa, furtiva, et indecentia, quia multùm excĭtant propriam libidinem; si verò tactus sint honesti, ut oscula in adventu vel recessu ex more patriæ, non erunt fortè peccata inter laicos etiam diversi sexûs, si non fiant animo libidinoso, et absit periculum consensûs in delectationem veneream; quòd si in secreto fiant, profectò suspecti sunt ac regulariter repellendi.

Dico *inter laicos;* quòd enim Religiosi aut Clerici seculares per oscula amicitiam aut benevolentiam puellis mulieribusve, etiam consanguineis, testentur, neque decens est neque caret scandali periculo.

4.° Actus qui non sunt ex se turpes et impudici, ut tactus manuum et aspectus faciei mulieris, erunt nihilominùs peccata mortalia, 1. si fiant ex intentione delectationis venereæ; 2. erunt mortalia peccata, si fiant seriò, morosè, ac deliberatè à personâ ad delectationes venereas valdè propensâ, propter periculum evidens consensûs in hujusmodi delectationem; quamvis autem absit intentio delectationis carnalis, absit etiam periculum notabile peccandi et scandalum, erunt saltem peccata venialia, si nullâ necessitate vel utilitate honestentur.

Quoad tactus vel aspectus inhonestarum partium proprii corporis, si absque necessitate vel utilitate et sine magnâ honestate fiant, sæpè sunt peccata mortalia, v. g., 1. si fiant ex intentione delectationis sensibilis; 2. cum periculo consensûs in illam, ut esse solet. Undè S. Hieron. ait: *Anima christiana proprios veretur aspectus, quantò magìs tactus!* Idem cum proportione dicendum de tactu vel aspectu partium verendarum in animalibus.

Quæ in hâc sectione de impudicis tactibus, aspectibus, etc., diximus, intelligenda sunt de personis solutis. De personis autem conjugatis paulò aliter loquendum; cùm enim iis sit licitus actus conjugalis, liciti etiam esse possunt plurimi ex actibus suprà relatis, quia ad actum conjugalem ordinantur, fiuntque ex legitimo fine, v. g., quatenùs conducunt ad illum actum, et ut mutua sibi dent amoris signa: sicut autem actus conjugalis, ob solam voluptatem exercitus, est peccatum saltem veniale, ut declaravit Innoc. XI, hanc propositionem damnans: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni prorsùs caret culpâ ac defectu veniali;* sic etiam actus suprà dicti venialem saltem includunt malitiam, si ob solam fiant voluptatem; imò Doctores nonnulli existimant eos esse peccata mortalia, etiam inter conjugatos, si fiant sine ullo ordine ad actum conjugalem, et ex solo fine voluptatis; præsertìm verò, si sint tactus valdè turpes et inhonesti. Consule quæ dicta sunt in *Tract. de Matrimon.*

Porrò, secundùm sententiam communem, actus prædicti inter conjugatos erunt peccata mortalia, 1.° si cesset jus ad actum conjugalem, v. g., ob cognitam invaliditatem matrimonii, vel propter votum integræ castitatis; 2.° si fiant ex desiderio vel delectatione alieni conjugii; 3.° si in proprio corpore fiant, seclusâ intentione præparandi se ad actum conjugii; 4.° si adsit periculum pollutionis extra actum conjugalem: pollutio enim conjugatis est graviter illicita, non solùm si intendatur, sed etiam si prævideatur secutura ex causâ non necessariâ, quales sunt regulariter prædicti actus impudici, à quibus vix abesse potest periculum pollutionis.

Quæres quænam peccata contra sextum præceptum sint in hâc Diœcesi reservata.

Resp. reservari 1.° nefandum sodomiæ scelus; 2.° nefandum bestialitatis crimen; 3.° incestum in primo aut secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis; 4.° sollicitatio quælibet ad turpia, facta à Confessario, vel Parocho, vel Vicario (1); 5.° omne peccatum mortale opere commissum, contra sextum præceptum, inter Confessarium et pœnitentem, Parochum vel Vicarium et parochianam, pro utroque complice; 6.° raptus liberæ vel conjugatæ.

Cæterùm meminisse debent Confessarii cavendum ipsis esse diligentissimè ne, in interrogando circa peccata carnalia, sint nimis curiosi, sicque pœnitentibus vel sibi ipsis causam et occasionem præbeant ruinæ.

SECTIO IV.

De Remediis contra Luxuriam.

Præcipua castitatis adipiscendæ remedia sunt sequentia :

1.° Intima convictio possibilem esse castitatis praxim et custodiam; Deus etenim impossibilia non jubet, ut ait post S. Aug. Tridentina Synodus. 2.° Oratio frequens et fervida, piorum lectio librorum, et meditatio pia tum Christi, qui impudicitias hominum sævissimis expiavit doloribus, tum pœnarum quæ libidinosis in æternum

(1) Hæc sollicitatio ita specialiter reservatur D. D. Archiepiscopo vel Vicariis generalibus, ut facultas ab eâ absolvendi nemini Confessario competat, etiam approbato pro reservatis, nisi in casu expresso, n. 3 Declar. circa Casus reservatos, Ritual. p. 181.

constitutæ sunt. 3.° Custodia sensuum, maximè visûs : *Virginem ne conspicias, ne scandalizeris in decore illius, etc.*, Eccli. c. 9, ℣. 5. 4.° Sobrietas et præcipuè moderatus vini usus; est enim luxuriosa res vinum. 5.° Fuga otii. 6.° Sedula occasionum fuga : *Contra libidinis impetum apprehende fugam,* ait S. Aug. Serm. 250, de Tempore, *si vis habere victoriam.* 7.° Vera et profunda humilitas. 8.° Frequens confessio, et communio ad arbitrium prudentis Confessarii. 9.° Mortificatio carnis, quæ, ut cruciat semper, semper cruciari debet. 10.° Actus misericordiæ, eleemosyna, etc. 11.° Pia ad Dei præsentiam attentio. 12.° Gravis et vivax repulsa tentationis, statim ac ea sese obtulerit, mentem scilicet ad alia convertendo, ad orationem recurrendo, cogitando de morte, de pœnis inferni.

CAPUT V.

De septimo Decalogi Præcepto.

Septimum Decalogi præceptum his verbis refertur, Exodi c. 20, ℣. 15 : *Non furtum facies.* Quod quidem præceptum formaliter prohibet furtum et rapinam, consequenter verò injuriam omnem proximo illatam in bonis fortunæ.

SECTIO PRIMA.

De Furto in genere.

Sectionem hanc in duos dividemus articulos : in 1.° quæremus quid sit furtum; in 2.° quale sit peccatum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Furtum.

Furtum, si generaliter sumatur, significat 1.º læsionem proximi in bonis fortunæ. 2.º Magis propriè significat injustam rei alienæ acceptionem, invito domino, sive ob ignorantiam, sive propter vim, sive ob iniquum contractum. 3.º Strictè loquendo, furtum definitur, *Occulta rei alienæ acceptio, invito rationabiliter domino.*

Dicitur 1.º *acceptio* seu usurpatio, ut distinguatur tum ab injustâ damni illatione, tum ab injustâ morâ solvendi debitum. Si quis tamen rem alienam, bonâ fide acceptam tanquam suam, posteà agnoscat suam non esse, et eam injustè retineat, furtum facere censebitur, quia retentio illa est moraliter injusta acceptio.

Dicitur 2.º, *acceptio occulta;* ita ut fiat vel saltem intendatur fieri, nesciente domino; et per hoc furtum distinguitur, 1. à rapinâ, quâ aliquid per vim aufertur domino scienti; 2. ab aliis acceptionibus injustis, quæ fiunt per iniquos contractus, domino sciente et non omninò coacto, quatenùs mavult damnum pati, et usuram, v. g., solvere, quàm contractum usurarium amittere.

Dicitur 3.º, *rei alienæ,* sive ad alterum pertinentis, vel ipsi locatæ, commodatæ, oppigneratæ; non enim fur est solùm qui rem alterius aufert, sed ipse etiam rei dominus, si rem suam ab eo auferat qui jus habet fruendi vel utendi vel retinendi.

Porrò furtum, quatenùs est acceptio rei alienæ, multipliciter distinguitur: nam aliud est simplex, cui non datur aliud nomen quàm furti, aliud verò

est qualificatum, quod non dicitur simplex furtum, sed vel *sacrilegium*, si furtum sit in loco sacro aut rei sacræ; vel *peculatus*, si sit furtum rei pertinentis ad publicum; vel *plagiatus*, si mancipia à dominis, aut liberi à parentibus in quorum potestate sunt, abstrahantur et captiventur; vel *abigeatus*, cùm aliena animalia, v. g., jumenta, pecora, etc., abducuntur.

Dicitur 4.°, *invito domino*; si enim dominus contentus sit, certè volenti non fiet injuria. Hinc aliquandò à furto excusantur amici vel conjuges, cùm à se invicem aliquid, spectatis circumstantiis, parùm notabile auferunt, justam ac moraliter certam habentes causam credendi eos consensuros, si adessent aut rogarentur; quod tamen passìm præsumi non debet, cùm, ex communiter contingentibus, constet neminem velle sua bona dispergere.

Dicitur 5.° *invito rationabiliter domino*; quia furtum non facit, qui aliquid accipit à domino irrationabiliter invito. Hinc à furto excusantur qui rem alienam occultè accipiunt, 1. ad faciendam compensationem legitimam, cum conditionibus requisitis, ut dicemus in *Tract. de Justitiâ*; vel 2. ad subveniendum suæ vel aliorum extremæ necessitati : tunc enim bona sunt communia, saltem quoad usum, et dominus non est rationabiliter invitus, nisi ipse sit in æquali necessitate; nam in pari causà melior est conditio possidentis.

Cave tamen ne idem dicas de homine in gravi necessitate constituto; damnata quippe est ab Innocentio XI hæc propositio : *Permissum est furari non solùm in extremâ necessitate, sed etiam in gravi.*

Excusantur etiam à furto qui rem accipiunt ad vitandum majus damnum, v. g., quandò aliquis gladium cuidam surripit, ne alium injustè occidat, vel librum hæreticum, ne illum sine facultate legat; aut cùm pecuniam à marito uxor aufert, ne in ludos et compotationes insumat.

ARTICULUS II.

Quale peccatum sit Furtum.

PROPOSITIO.

Certum est furtum esse peccatum ex genere suo mortale, speciali justitiæ præcepto prohibitum.

Prob. 1.° *ex Script.* Zach. c. 5, ℣. 3: *Omnis fur... judicabitur,* id est, condemnabitur. I Cor. c. 6, ℣. 10: *Neque fures, neque avari, neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

Prob. 2.° *Ratione :* Quia furto violatur jus quod habet proximus ne lædatur in bonis; et ideò non solùm est contra charitatem, sed etiam contra justitiam. Præterea furtum expressè prohibetur in Decalogo : at certum est peccata contra justitiam et contra Decalogum esse mortalia ex genere suo ; quoniam tamen bona quæ vocantur fortunæ sunt infimi ordinis, idcircò furtum ex genere suo non est æquè grave ac alia peccata quæ contra proximum committuntur, quamvis per accidens, et ratione incommodorum quæ ex eo sequuntur, possit esse majus.

Dixi in propositione, *furtum esse peccatum mortale ex genere suo*, quia fieri potest veniale ex parvitate materiæ; furtum enim rei levis non lædit notabiliter proximum in bonis suis. Quan-

donàm autem in furtis res censenda sit levis aut gravis, seu sufficiens ad peccatum mortale, incertum est, nec ullo jure, sive naturali, sive divino, sive humano, apertè definitum; potest tamen tradi hæc regula moralis ad dirigendum viri prudentis judicium :

Gravitas materiæ furti prudenter dijudicanda est non solùm ex quantitate rei ablatæ, sed etiam ex circumstantiis personæ cui aufertur. Hæc regula videtur communiter recepta; et probatur, quia furti malitia pendet ex duobus, scilicet, ex damno proximi, et ejus rationabili repugnantiâ : at verò an nocumentum sit notabile, et an dominus sit rationabiliter invitus, non potest dijudicari ex solâ rei ablatæ quantitate, quia constat, ob eamdem pecuniæ ablatæ summam, majus damnum pati et meritò plus dolere magìsque invitum esse pauperem, quàm divitem; similiter constat plus invitum fore patrem-familiâs, si pecunia sit ablata ab extraneo, quàm à proprio filio; ergo ad dijudicandam furti gravitatem, non solùm rei ablatæ quantitas pensanda est, sed etiam circumstantia personæ cui aufertur: sed hæc fusiùs sequenti sectione explicanda sunt.

SECTIO II.

Quænam sit gravis Materia in Furtis.

Agemus 1.° de furtis extraneorum; 2.° de furtis domesticorum; 3.° de furtis continuatis; 4.° de rapinâ.

ARTICULUS PRIMUS.

Quænam sit gravis Materia in Furtis extraneorum.

Tribus modis materia hæc gravis dici potest; 1.° *absolutè*, respectu cujuslibet personæ; 2.° *respectivè* ad personas quæ damnum patiuntur; 3.° *per accidens*, ratione alicujus circumstantiæ aliundè adjunctæ.

1.° Itaque consentiunt omnes ferè Doctores, circa furtum extraneorum, materiam absolutè censeri gravem, quandò quis furatur circiter unum aureum vel argenteum nummum, assibus scilicet sexaginta constantem, quamvis homini ditissimo, etiam Regi, surripiat; ratio est, quia communis est hominum persuasio, valorem unius nummi non esse modicum quid, etiam respectu opulentissimi viri; quamvis enim non videatur valdè ipsi utilis, si sola ejus persona spectetur, notabilem tamen affert utilitatem, respectu totius familiæ, cùm nummus aureus vel argenteus possit esse pretium victûs familiæ per unum diem, vel salarium famuli, aut unius militis.

2. Certum est peccatum mortale committi eam summam furando quæ vel uno die sufficiat ad victum hominis cui aufertur, spectato ejus statu, vel quæ sufficiat ad mercedem diurnam operarii à quo eripitur: ratio est, quia qui hæc talibus furantur, grave ipsis inferunt nocumentum: undè et ipsi domini rationabiliter sunt inviti.

3.° Certum est materiam ex se levem fieri gravem, quandò ei adjungitur malitia mortalis: 1. ratione scandali, ut si quis alteri modicum quid surripiat, prævidens ideò ipsum pejeratu-

rum vel blasphematurum. 2. Ratione magnæ contristationis proximi, contra charitatem : v. g., si quis modicum quid alteri furetur, sciens illud ipsi valdè carum esse, et ex illius amissione magno dolore esse afficiendum. 3. Ratione dispositionis actualis, ut si quis aliquid furetur leve, cum intentione aliquid notabile surripiendi, vel summam notabilem modicis furtis acquirendi. Nam, ut ait S. Hieron. relatus causâ 14, quæst. 6, cap. *Fur autem : Fur non solùm in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur; non enim id quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur.* 4. Deniquè ratione injustæ damnificationis notabilis, ut si quis acum Sartoris, Pictoris penicillum furetur, aut alterius artificis instrumentum, quo fiat ut in uno die vel multis diebus operibus suis abstinere cogatur, cum gravi emergente damno, vel lucro exindè cessante.

ARTICULUS II.

Quænam sit Materia gravis in furtis domesticorum.

Domesticos hìc dicimus vel filios, vel uxorem, vel famulos.

Quoad filios-familiàs, certum est eos peccare mortaliter ex suo genere, si quid notabile furentur parentibus; Prov. enim c. 28, ℣. 24, dicitur : *Qui subtrahit aliquid à patre suo et à matre, et dicit : hoc non est peccatum, particeps homicidæ est.*

Major tamen requiritur quantitas ut filii mortaliter contra justitiam peccent, quàm ut extranei : ratio est, quia pater, qui dominus est illorum bonorum, ordinariè minùs est invitus res-

pectu filiorum, quàm respectu extraneorum, et sæpè non est invitus quoad substantiam rei acceptæ, sed solùm ex modo accipiendi furtivè et ex malo fine, v. g., ad ludendum, potandum, etc.

Quænam autem quantitas requiratur ut filii mortaliter peccent contra justitiam, prudenter definiendum est ex circumstantiis personæ quibus aufertur, quia magìs est invitus pater pauper quàm dives, tenax quàm liberalis, et parùm amans filium, quàm qui multùm diligit.

Colliges fieri posse aliquandò ut filii, occultè surripiendo patri, non peccent, quia pater non est rationabiliter invitus: 1.° scilicet, ratione legitimæ compensationis, si bona pertineant ad ipsum filium, non solùm quoad proprietatem, sed etiam quoad usumfructum; de quo vide *Tract. de Justitiâ et Jure.* 2.° Ratione debitæ sibi à patre sustentationis congruæ, poterit filius ex pecuniâ sibi à patre datâ, v. g., studiorum causâ ad emendos libros vel solvendum magistri stipendium, aliquid impendere ad congruum victum, vestitum, etc.; et, si quis occultè eâ de causâ surripuerit à patre, ad restitutionem non tenebitur. Verùm, si filii contra voluntatem patris, ex pecuniis ad honestos usus solummodò datis, aliquid expendant ad res vanas aut turpes, v. g., ludos, compotationes, etc., verum furtum committunt, annexam habens obligationem restituendi, præsertìm si res sit notabilis.

Porrò filius, qui summam notabilem patri rationabiliter invito furatur, tenetur eam restituere patri, si adhuc vivit; sin autem mortuus est pater, tenetur eam conferre in divisionem bonorum cum fratribus; ab hâc tamen restitutione

excusatur, 1.° si pater, salvâ parte hæreditariâ cæterorum liberorum, vel expressè eum ab hâc obligatione liberavit, vel verè præsumitur eum liberasse; 2.° si constet fratres et sorores æqualem summam surripuisse, nec restituisse.

Quoad uxorem, certum est eam censeri committere furtum mortale, quandò aliquid surripuit ex bonis quæ sunt sub ipsius mariti dominio, ipso rationabiliter et graviter invito; quia tunc graviter lædit jus mariti: quænam autem quantitas in his furtis gravis dici debeat, eodem modo cum proportione definiendum est, quomodò de furtis filiorum-familiâs diximus.

Colliges graviter peccare uxores quæ, insciis et rationabiliter invitis maritis, notabilem summam surripiunt ad habendas vestes superfluas, vel ad ludendum immoderatè. Cæterùm consule *Tract. de Justitiâ.*

Quoad famulos, constat ipsos mortaliter peccare, si quid notabile dominis suis surripuerint. Ut autem definiatur quænam sit quantitas notabilis, considerandum est an pecuniam, supellectilem, aut aliquid simile sint furati; et circa hæc furta eodem modo ratiocinandum, quomodò circa furta extraneorum, quia domini æquè imò sæpè magìs inviti sunt, si furentur famuli. Neque excusari possunt furta eò quòd salarium labori suo non esse proportionatum asserant; damnata enim est ab Innocent. XI hæc propositio : *Famuli et famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.* Si verò furentur tantùm cibaria, v. g., esculentorum reliquias, quas in proprios usus insumunt, non erit semper mortale, etiamsi ad talem quan-

titatem perveniat hujusmodi furtum, ut mortale esset respectu extraneorum. Ratio est, quia circa hujusmodi furta domini non sunt communiter maximè inviti, quia satis nôrunt domini res suas, quæ ad gulam pertinent, non ita administrari, ut nihil adhærere soleat manibus contrectantium. Excipe tamen nisi 1.° hæc caperent ad compotationes, ad vendendum, aliisque donandum; 2.° Nisi fortè talium rerum sint furta, quales dari non solent communiter famulis aut tantâ copiâ, v. g., vinum exquisitum, cibi pretiosi; tunc enim grave damnum inferri posset, et dominus meritò præsumendus esset graviter invitus.

Cæterùm, erga famulos furtis deditos, expedit ut rigidiores se præbeant Confessarii, ne illorum furta foveant; quarè optimum erit, si, quamvis res à furto excusari posse aliquandò videatur, iis tamen persuadeant ut ab his actionibus omninò abstineant, atque interdùm id pœnitentiæ loco injungant. Optimum etiam erit ut pro modicis furtis injungant ipsis restitutionem faciendam, vel ipsius rei, si exstet; vel ejus valoris, si possint; vel saltem extraordinarii et majoris obsequii, si nihil aliud valeant pro furto reddere.

ARTICULUS III.

Quænam sit gravis Materia in modicis furtis continuatis.

PROPOSITIO.

Mortaliter peccat qui vult furari, aut reipsâ furatur per modica furta, usque ad notabilem quantitatem.

Prob. 1.° *ex Script.* Deuter. c. 25, ℣. 13, 16:

Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus... : abominatur enim Dominus Deus tuus cum qui facit hæc, et aversatur omnem injustitiam. Prov. c. 11, ℣. 1 : *Statera dolosa abominatio est apud Dominum.* At ponderibus et mensuris dolosis modica furta ordinariè committuntur.

Prob. 2.° *Ratione :* Toties peccatur mortaliter, quoties infertur alicui grave damnum : sed per modica furta continuata infertur proximo, vel saltem communitati, grave nocumentum, æquè ac unum furtum notabile semel faceret; ergo, etc. Sicut ergo peccat mortaliter, qui multoties parùm quid comedit die jejunii; item, qui die festo sæpiùs laborat, quamvis exiguo tempore singulis vicibus : similiter, qui sine jure à transeuntibus per pontem vel minimum tributum exigit. Esto quòd iste singulis in particulari parùm noceat; at certè communitati grave infert nocumentum : sicut is, qui ex acervo ad communitatem pertinente magnum aliquid furaretur, multùm communitati noceret, quamvis parùm cuilibet in particulari. Undè peccat mortaliter, qui modicis furtis pervenit aut pervenire intendit ad notabilem quantitatem.

Confirmatur auctoritate Innoc. XI propositionem hanc damnantis : *Non tenetur quis sub peccati mortalis pœnâ restituere quod ablatum est per parva furta, quantumcunquè sit magna summa totalis.*

Dixi 1.°, *peccare mortaliter cum qui vult furari,* etc.; quoties enim aliquis furatur modicum quid, ex intentione sic ditescendi et acquirendi summam notabilem, toties lethaliter peccat; quamvis enim illud furtum, ex se spectatum, ve-

niale esset, attamen ratione hujus pravæ intentionis, cujus est continuata exsecutio, est peccatum mortale, seu peccati mortalis continuatio: quâ in re non rarò peccant, et quidem gravissimè, caupones, mercatores, sartores, aliique operarii; item, qui vinum modicâ aquâ diluunt, vel qui ex rebus commissis aliquid retinent, aut mensuras fraudant vel pondera.

Dixi 2.°, *mortale esse furari reipsâ per modica furta usque ad quantitatem notabilem;* quamvis enim qui modica furatur, non habeat intentionem continuandi et acquirendi summam notabilem, sed veluti ex occasione id faciat, peccabit tamen mortaliter, et ad restitutionem tenebitur, 1. si, advertens se hujusmodi furtis repetitis surripuisse quantitatem sufficientem ad peccatum mortale, nihilominùs velit eam retinere; 2. si, advertens modico furto compleri summam notabilem, tamen illud furtum faciat, peccabit mortaliter, dummodò anteà non restituerit quod surripuerat; hoc enim ultimum furtum, quamvis modicum sit, tamen, ut unitum moraliter cum præcedentibus, est grave, et notabile affert nocumentum proximo cum gravi obligatione restituendi.

Cæterùm, ut modicis illis furtis mortaliter quis peccet, Doctores communiter asserunt necesse esse ut sint moraliter inter se unita: hæc autem unio moralis fit, vel 1.° per intentionem continuandi furta, et sic acquirendi summam notabilem; vel 2.° advertendo modico furto compleri summam notabilem, ita ut ex circumstantiis temporis quod inter illa furta intercedit, et personæ quæ furtis illis læsa est, judicetur eam esse graviter ac rationabiliter invitam. Hoc autem vide-

tur variè definiendum, spectatis circumstantiis et damno proximi, ejusque repugnantiâ. Undè furta illius qui ex alienâ vite singulis annis aliquot racemos excerperet, non censerentur post plures annos in unum mortale peccatum coaluisse; ita Continuator Theol. Tournel. 3.° Intercedit etiam unio moralis, si quis furatus sit alicui modicum quid, et alter alio modico furto compleat summam notabilem; uterque enim mortaliter peccat, si communi consilio id factum sit.

Porrò, ex sententiâ satis communi, ut modica furta continuata peccatum mortale efficiant, cò major requiritur quantitas, quò fiunt temporibus magis remotis, vel pluribus personis; quia minùs invitus est dominus, et levius patitur damnum, si nummus ipsi auferatur diversis intervallis satis distantibus, quàm si fortè media pars nummi simul et eâdem actione surripiatur. Idem dicendum, si quis pluribus personis modicum quid furetur; cùm enim singulis leve tantùm inferat damnum, quisque minùs est invitus : attamen, si quantitas sublata, quamvis levis respectu singulorum, sit notabilis respectu communitatis, erit materia sufficiens ad peccatum mortale, quia ipsa communitas, imò et singuli censentur rationabiliter inviti; ratio enim naturalis dictat valdè iniquum esse et humanæ societati noxium, rem suam augere modicis hujusmodi furtis, atque id apud Deum abominationem esse.

ARTICULUS IV.

De Rapinâ.

Rapina est *violenta et aperta rei alienæ acceptio,* ita ut fiat vel saltem intendatur fieri, domino vidente et renitente.

PROPOSITIO.

Rapina est peccatum mortale gravius furto, et specialiter à justitiâ prohibitum.

Prob. Quia rapina, præter malitiam furti, aliam specie distinctam adjunctam habet, scilicet, violentiæ injuriosæ et contumeliosæ contra ipsam proximi personam et honorem : nam vim alicui inferre in bonis, est species quædam contumeliæ realis. Hinc fieri potest ut aliquis non peccet mortaliter in ratione furti, et mortaliter tamen peccet in ratione rapinæ et contumeliæ, v. g., si rem levioris momenti personæ illustri per vim auferat; contrà verò fieri potest ut, rem non modicam auferens domino videnti et renitenti, peccet tantùm venialiter in ratione rapinæ, licèt peccet mortaliter in ratione furti; ut si, vidente agricolâ, miles duas aut tres gallinas injustè rapiat : atque id contingit quoties violentia non est valdè notabilis, nec multùm repugnans dignitati personæ cui aliquid aufertur.

Cæterùm, non solùm infertur violentia manibus, armis, et instrumentis quæ corpori nocere possunt, sed etiam verbis, minis, incussione metûs. Huc quoque pertinet peccatum eorum qui consilio, jussione, auxilio, aliisque modis exponendis ubi de Restitutione, ad furtum vel rapinam aliorum cooperantur quod diligenter advertere debent Confessarii, ut pœnitentes eâ de re interrogent; rudes enim furti reos se ordinariè non existimant, nisi propriâ manu rem alienam abstulerint. Huc etiam referenda est voluntas interna auferendæ rei alienæ, quamvis opere non compleatur : *De corde* enim *exeunt,* inquit Christus, *cogitationes malæ, homicidia, furta* : Matth. c. 15, ℣. 19.

CAPUT VI.

De octavo Decalogi Præcepto.

Præceptum hoc, Exodi c. 20, ℣. 16, his verbis refertur : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*. Consentiunt autem Theologi eo non solùm prohiberi injurias quæ proximo inferuntur per falsum testimonium in judicio, sed etiam, indirectè saltem et consequenter, injurias omnes quæ proximo inferuntur, extra judicium, per judicia temeraria, detractiones, et similes injurias quæ verbis communiter fiunt, præsertim contra famam et honorem proximi.

Totum hoc argumentum triplici sectione prosequemur.

SECTIO PRIMA.

De falso Testimonio et Mendacio.

Agemus 1.° de peccato falsi testimonii, quod directè octavo præcepto prohibetur ; 2.° de mendacio.

ARTICULUS PRIMUS.

De Præcepto falsi testimonii vitandi.

Falsum testimonium est testis alicujus de re aliquâ asseveratio falsa.

PROPOSITIO.

Falsum testimonium est grave peccatum, tenenturque falsi testes ad restitutionem damnorum quæ falso testimonio efficaciter et culpabiliter intulerunt.

Prob. 1.° *ex verbis Exodi* suprà relatis, qui-

bus adde id quod dicitur Prov. c. 19, ℣. 5: *Testis falsus non erit impunitus*, id est, graviter punietur.

Prob. 2.° *auctoritate S. Thomæ*, 2.ª 2.æ, quæst. 70: *Dicendum quòd falsum testimonium habet triplicem deformitatem; uno modo ex perjurio, quia testes non admittuntur nisi jurati, et ex hoc semper est peccatum mortale; alio modo ex violatione justitiæ, et hoc modo est peccatum mortale ex suo genere, sicut et quælibet injustitia...; tertio ex ipsâ falsitate, secundùm quod omne mendacium est peccatum, et ex hôc non habet falsum testimonium quòd semper sit peccatum mortale.* Triplicem ergo malitiam includit falsum testimonium, primam perjurii, secundam injustitiæ, utramque ex genere suo mortalem; tertiam mendacii, quæ aliquandò venialis esse potest. Ob injustitiam illam, tenentur falsi testes non solùm restituere omnia damna quæ efficaciter et culpabiliter intulerunt, sed etiam dicta sua retractare, si spes sit liberandi innocentem, quamvis cum simili suo periculo; quia, in pari causâ, melior est conditio innocentis, et quisque tenetur alteri ex malitiâ suâ periclitanti potiùs consulere quàm sibi; propter eamdem rationem, testibus se retractare nolentibus, qui illos ad falsum testimonium efficaciter induxerunt, tenentur fraudem aperire Judici, etiam cum proprio vitæ periculo, si innocens in eodem discrimine versetur, nec aliter possit liberari.

Dixi 1.°, *falsos testes teneri ad restitutionem damnorum quæ efficaciter intulerunt*; quia, si falsum testimonium nihil contulit ad damna, eò quòd tota causa jam esset posita, et jam reus,

v. g., esset plenè convictus, tunc non est obligatio restituendi.

Dixi 2.°, *culpabiliter;* si enim falsum testimonium feratur ex ignorantiâ vel inadvertentiâ omninò inculpabili, quod vix unquàm potest evenire, falsum testimonium non erit peccatum; si tamen testis absque magno incommodo possit, et se profuturum speret, debet coram judice iterùm se sistere, et rem ut est ei declarare: quòd si jam prolata est sententia, neque speret se profuturum, debet saltem eum monere in cujus favorem testimonium tulit, ut ipse, veritate cognitâ, restituat.

ARTICULUS II.

De Mendacio.

Mendacium propriè describitur *dictum contra mentem:* mentiri enim est contra mentem ire. Hinc S. August., Enchiridii cap. 22, sic habet: *Omnis qui mentitur, contra id quod animo sentit loquitur, voluntate fallendi.* Et lib. de Mendacio, cap. 3: *Ille mentitur qui aliud habet in animo, et aliud verbis aut quibuslibet significationibus enuntiat.* Ex quo patet mendacium fieri non solùm verbis, sed etiam quibuscunque signis et actionibus: illud tamen quod fit dictis et locutionibus, vocari solet *mendacium;* quod factis verò et actionibus fit, vocatur *simulatio.* Hinc patet mendacium esse posse, licèt quis verum dicat, si nempè existimet falsum esse quod profert cum voluntate fallendi: contrà verò non erit formaliter mendacium, sed materialiter tantùm, si quis falsum dicat, verum esse existimans.

PROPOSITIO.

Omne mendacium ex se peccatum est.

Prob. 1.° *ex Script.* Exodi c. 23, ℣. 7 : *Mendacium fugies.* Levit. c. 19, ℣. 11 : *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum.* Psalm. 5, ℣. 7 : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Prov. c. 19, ℣. 5 : *Qui mendacia loquitur, non effugiet*, scilicet supplicium. Et ℣. 9 : *Qui loquitur mendacia, peribit.* Eccli. c. 7, ℣. 14 : *Noli velle mentiri omne mendacium.* I Joan. c. 2, ℣. 21 : *Omne mendacium ex veritate non est*, id est, non ex Deo, sed ex diabolo, qui juxta verbum Christi, Joan. c. 8, ℣. 44, *mendax est et pater ejus*, scilicet mendacii. Idem ait Script. multis aliis in locis.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* Ex S. Justino Martyre, in Apologiâ secundâ, ubi scribit Christianos mori malle quàm mentiri. Ex S. Hieron., qui, in Apologiâ contra Rufinum, Origenistas reprehendit quòd docerent mendacio interdùm velut medicamento utendum. Item patet ex SS. Cypriano, Ambros., Basil., etc., imprimis verò ex S. August., qui totis libris de Mendacio et contra Mendacium probat nunquàm licitum esse mendacium, etiam ad avertendum malum gravissimum; idem declaravit Alexand. III, cap. *Super eo*, de Usuris, ubi dicit divini præcepti verbo constanter vetari ne quis, etiam pro alterius vitâ servandâ, mentiatur; quod idem docent omnes omninò Theologi.

Prob. 3.° *Ratione :* Quia mendacium omne opponitur virtuti veritatis seu veracitatis, quæ

inclinat ad verum semper dicendum, seu ad loquendum juxta mentem, et ex hâc parte mendacium omne habet malitiam, quæ consistit in pravo usu locutionis contra finem ipsius essentialem : ad hoc enim à Deo instituta est, ut sit expressiva mentis, eique conformis.

Dices : Referuntur in Script. plura dicta et facta Sanctorum, quæ videntur esse mendacia; ergo, etc.

Respondet S. Augustinus, in libro contra Mendacium, cap. 12, *nonnulla, quæ ibi* (in divinis Scripturis) *putantur esse mendacia, non esse quod putantur, si rectè intelligantur. Deindè, si quæ ibi mendacia manifesta sunt, imitanda non esse.* Dico ergo plurima ex his posse excusari, vel 1.° quia sunt tantùm justæ occultationes veritatis, ut quandò Abraham Saram sororem suam esse verè dixit, uxorem tamen suam esse prudenter reticuit; vel 2.° si sunt vera mendacia, ex simplicitate et ignorantiâ proficiscebantur, et bonâ intentione excusabantur, ut mendacium obstetricum Ægyptiacarum, et Judith : ut enim ait S. Thomas, 2.ª 2.æ, quæst. 11, art. 3, ad 3.um, *Judith laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum quem habuit ad salutem populi;* similiter, obstetrices non sunt remuneratæ pro mendacio, sed pro timore Dei, et benevolentiâ ex quâ processit mendacium; idemque dicendum de mendacio Rahab. Adde quòd non opus sit illa mendacia excusare; quæ enim in Scripturâ narrantur, non ideò semper approbantur.

Cæterùm triplex distingui solet mendacium, *jocosum,* scilicet, *officiosum,* et *perniciosum :* mendacium *jocosum* est illud quod profertur voluptatis

voluptatis propriæ vel alienæ causâ, absque ullo nocumento alieno; *officiosum* est illud quod profertur causâ utilitatis propriæ vel alienæ, absque nocumento; *perniciosum* est illud quod profertur cum proximi nocumento. Mendacium *jocosum* et *officiosum* non est peccatum mortale per se et ex naturâ suâ, quia non lædit graviter Deum et proximum: possunt tamen hujusmodi mendacia fieri mortalia per accidens, ratione alicujus circumstantiæ, v. g., conscientiæ erroneæ aut perversi finis. At mendacium *perniciosum* est peccatum ex genere suo mortale contra justitiam, quia per illud proximus injustè decipitur: undè Sapientia, c. 1, ℣. 11, dicit: *Os autem quod mentitur, occidit animam;* poterit tamen esse veniale, si leve tantùm inferat damnum.

Colliges 1.° graviter peccare contra justitiam et charitatem erga proximum, eos omnes qui mentiendo grave damnum proximo inferunt vel ad inferendum se exponunt, sive in spiritualibus, sive in temporalibus, v. g., falsa remedia docendo in medicinâ, grave crimen alteri falsò imponendo. 2.° Peccare graviter contra veracitatem, et aliquandò etiam contra justitiam, hypocritas, qui suis actionibus vitæ sanctitatem simulant, vel ut assequantur statum, vel officium, vel beneficium quo sunt indigni, vel ut majores obtineant eleemosynas, quàm reipsà postulat eorum indigentia; quò etiam pertinet, si ad hoc fingant morbum, vulnera, majorem paupertatem, etc.; si tamen hypocrisis sit sine gravi damno proximi, et sine veræ sanctitatis ac Religionis contemptu (cui sæpè adjungitur), per se loquendo, erit peccatum veniale contra

veracitatem, sicut et quæcunque alia simulatio, quâ homines externis nutibus, actionibus, gestu, habitu, mentiuntur id quod non sunt, vel simulant affectiones amicitiæ, gaudii, doloris, compassionis, etc. 3.° Peccant mortaliter adulatores, qui sive desiderio placendi, sive ad utilitatem propriam, omnia mendaciter laudantes et approbantes, grave damnum proximo inferunt, vel ipsi, contra charitatem debitam, præbent scandalum et occasionem peccandi aut perseverandi in peccatis.

Porrò advertendum est non esse mendacium, si quis præcisè occultet seu celet veritatem; nihil enim contra mentem dixit: peccare tamen poterit, si silentio suo violet aliud præceptum, v. g., si Judici juridicè interroganti non respondeat.

Quæres an æquivocatio et restrictio mentalis sint mendacii species, et ideò prorsùs illicitæ.

Ad quæstionis elucidationem, *nota* 1.° Æquivocatio est locutio duplicem habens sensum, in iis circumstantiis prolata in quibus vulgò prævidetur aliter ab auditoribus intelligenda, quàm ab ipso loquente intelligitur.

Restrictio mentalis est propositio secundùm naturalem verborum sensum falsa, vera autem ratione partis orationis quæ in mente retinetur: ut si mutuum petenti respondeas, *Non habeo pecuniam*, subaudiendo interiùs, *quam tibi dare velim*.

Nota 2.° Duplicis generis distinguuntur æquivocationes et restrictiones mentales: aliæ sunt *latè dictæ*, quarum sensus verus à loquente intellectus facilè potest cognosci, ex circumstantiis et variis exterioribus indiciis, ut si interroganti,

an pœnitens tuus tale crimen admiserit, respondeas, *Nescio,* quamvis contrarium ex confessione noveris. Aliæ sunt *strictè dictæ,* quarum sensus nullà ratione manifestatur, nec potest ullatenùs ab audientibus deprehendi; talis est responsio servi, qui, interrogatus ab hero nùm fregerit vitrum, purè et simpliciter affirmat se non fregisse, interiùs subintelligendo, *mense præterito,* cùm ipsâ die præsenti fregerit.

Resp. 1.° æquivocationes et restrictiones mentales strictè dictas, esse veri nominis mendacia, et ideò semper et in quocunque casu illicitas. *Prob.* 1. ex S. August., lib. de Mend., cap. 3 : *Ille mentitur qui aliud habet in animo, et aliud verbis enuntiat :* sed qui restrictionibus et æquivocationibus strictè dictis utitur, aliud habet in mente, aliud verbis enuntiat; ergo, etc. Item, Epist. 125 aliàs 234 : *Perjuri sunt qui, servatis verbis, exspectationem eorum quibus jurandum est deceperint;* igitur ex S. Doctore perjuri sunt qui in juramento utuntur æquivocatione vel restrictione; ergo restrictio et æquivocatio sunt veri nominis mendacia. 2. Quia pars orationis quæ per restrictionem mentalem reticetur in mente, non corrigit sermonem externum, et æquè me fallit qui dicit, *Non habeo pecuniam,* subintelligens, *tibi dandam,* quàm qui rotundè et citra reticentiam dicit, *Non habeo pecuniam.* Hinc Eccli. c. 37, ℣. 23 : *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.*

Resp. 2.° æquivocationes et restrictiones latè dictas, juxta Theologos etiam strictiores, licitas esse posse: ratio est quia, cùm per eas loquens nihil habeat in mente quod, spectatis omnibus circumstantiis, non sit in ore, verè non mentitur; undè, si quis indè decipiatur, inscitiæ suæ

vel inadvertentiæ, non fraudi alterius, imputet. Enim verò aliud est mentiri, aliud verum occultare. Cavendum tamen est, 1. ne in praxi nimia hujusmodi restrictionibus detur extensio, eæque nonnisi legitimâ et gravi urgente causâ adhibeantur, et dùm aliter extricare te nequis; aliàs enim æquivocationes et restrictiones, etiam latè dictæ, tam opponerentur sinceritati, fidelitati, et bono societatis, quàm mendacium; simpliciter quippe accipiuntur verba illius qui quâ voluerit viâ elabi potest. 2. Ne restrictiones *latè dictas* putes, quæ *verè* et *strictè* tales sunt; adeòque necesse est ut qui interrogat possit reipsâ detegere ex circumstantiis, putà ex usu satis recepto, ex modo quo jocosè vel ironicè loqueris, aut ex personæ circumstantiâ, nolle te nudè quid sentias aperire. 3. Ne restrictionibus utaris, dùm interrogatus à Judice secundùm juris ordinem, respondes; cùm enim ille jus habeat interrogandi, ad mentem respondere teneris.

SECTIO II.

De Detractione et Contumeliâ.

ARTICULUS PRIMUS.

De Detractione.

Duo hic examinanda occurrunt, 1.° quid et quotuplex sit detractio; 2.° quale sit peccatum.

§ I.

Quid et quotuplex sit Detractio.

Detractio definitur à S. Thomâ, *alienæ famæ occulta et injusta denigratio*, seu diminutio;

ſama autem est bona opinio de aliquo, sive existimatio de alterius excellentià, v. g., virtute, ingenio, doctrinà, nobilitate, potentià, opibus, aliisque perfectionibus.

Detractio itaque dicitur 1.°, *denigratio famæ;* quia ad detractionem necesse est ut aliquid dicatur, ex quo exstinguatur vel minuatur alicujus fama et opinio bona quam alii habent de illo. Non ergo propriè detrahit, qui de alterius crimine cum iis loquitur qui jam illud noverunt, quamvis aliundè, v. g., ex pravo fine vel affectu, sæpè sit peccatum.

Dicitur 2.°, *occulta;* quia detractio fit vel fieri intenditur in occulto, ita ut ignoret is de quo detrahitur; et per hoc detractio differt à contumeliâ, sicut furtum à rapinâ.

Dicitur 3.°, *injusta;* quia detractio non fit, si ob justam causam imminuatur fama proximi, v. g., illius crimen deferendo ad Superiorem, quandò ad emendationem vel ad impediendum aliquod grave damnum id necesse est.

Detractio dividitur 1.°, ex parte intentionis, in *materialem* et *formalem.* Detractio *formalis* est ea quæ fit ex intentione expressè alicui nocendi, ejusque famam apud alios denigrandi. *Materialis* est ea quæ fit sine intentione expressâ alteri nocendi, ex animi levitate aut loquacitate; est tamen verum peccatum, si fiat cum advertentiâ diffamationis proximi.

Dividitur 2.°, ex parte materiæ, in *directam* et *indirectam. Directa* versatur circa defectus proximi, vel 1. falsum crimen aut defectum imponendo, et tunc est propriè calumnia; vel 2. verum amplificando; vel 3. occultum revelando; vel 4. factum alterius sinistrè interpretando. Qua-

tuor autem istos directè detrahendi modos sequens versiculus complectitur :

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens:

Indirecta detractio dicitur ea quæ versatur circa aliquod proximi bonum, fitque etiam quadrupliciter : 1. negando rectè factum alterius, aut egregias illius dotes; 2. bonum illud verbis extenuando; 3. malignè reticendo, præsertim eo tempore et loco quo sine famæ alterius injuriâ taceri non potest; 4. deniquè frigidè vel simulatè laudando, ita ut hoc cedat in laudati vituperium; ut si quis, alterius laudes proferre se velle simulans, nihil afferat laude dignum : quæ omnia sequenti versiculo comprehenduntur :

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remissè.

Dividitur 3.°, ratione modi, in *publicam* et *privatam*. *Privata* fit apud paucos seu privatim, voce, scripto, vel alio signo paucis manifestato; *publica*, fit in ordine ad totam communitatem, ut alterius infamia sit publica, scilicet per libellum famosum, seu scriptum, aut aliud signum publicum; quod detractionis genus est omnium gravissimum, quia per illud infamia ad plurimos dimanat, et difficillimè potest aboleri.

§ II.

Quale Peccatum sit Detractio.

PROPOSITIO.

Detractio est peccatum ex genere suo mortale, et communiter contra justitiam.

Prob. 1.° *Script.* Levit. c. 19, ℣. 16 : *Non eris criminator, nec susurro in populo.* Eccli. c. 28,

℣. 16 : *Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes.* Rom. c. 1, ℣. 32, inter eos, quos tradidit Deus in reprobum sensum, Apostolus enumerat susurrones, detractores Deo odibiles, contumeliosos, addens : *quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; et non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Prob. 2.° *ex SS. Patribus*, inter quos S. Cyprianus, Epist. 52, ad Antonianum, sic loquitur : *Scias hoc esse opus semper diaboli, ut servos Dei mendacio laceret, et opinionibus falsis gloriosum nomen infamet.* S. Hieron. in Psalm. 100 : *Ille qui detrahit, et se et illum qui audit, demergit.* S. Bernardus, tractatu de Interiori Domo, cap. 42 : *Grave peccatum est detractio; detrahentes et audientes pari reatu detinentur.* Et Sermone de triplici custodiâ : *Nunquid non est vipera lingua detractoris? Ferocissima planè, nimirùm quæ lethaliter tres inficiat flatu uno. Nunquid non lancea est ista lingua? Profectò, et acutissima, quæ tres penetrat ictu uno.*

Notissimum est S. August. hâc in parte studium, arcentis à suâ mensâ detractores, ut Possidius refert in ejus vitâ, dicens ita scriptum fuisse ad ejus mensam :

Quisquis amat dictis absentûm rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Prob. 3.° *Ratione :* Quia proximus non minùs habet juris ad famam quam possidet apud homines, quàm ad proprias pecunias; ergo detractio est peccatum contra justitiam, sicut furtum; imò tantò gravius, quantò melius est bonum nomen, quàm divitiæ multæ, ut dicitur Prov. c. 22.

Adde etiam in uno detractionis actu plures plerumquè concurrere peccatorum species, in confessione explicandas, v. g., 1.° quandò detractio damnum affert proximo in bonis corporis vel fortunæ; 2.° quandò seminantur odia, lites, rixæ, dissensiones inter amicos vel conjuges, quod dicitur susurrationis peccatum, et tantò gravius est detractione, quantò honesta amicitia, quam dissolvit, præstantior est famâ, juxta illud Eccli. c. 6, ℣. 15 : *Amico fideli nulla est comparatio.* Hinc Eccli. c. 28, ℣. 15, dicitur : *Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes.* 3.° Quandò quis de parentibus aut Superioribus detrahit; violat enim pietatem et observantiam; 4.° quandò id agit ex odio proximi, quod est contra charitatem.

Dixi 1.°, *detractionem esse peccatum mortale ex genere suo ;* quia veniale esse potest, tum ex indeliberatione, tum ex levitate materiæ ; nempè quoties, spectatis circumstantiis, leviter lædit alterius famam: levis autem vel gravis læsio famæ cognosci potest ex qualitate personæ detrahentis, et personæ de quâ detrahitur; nam detractio potest esse parùm infamans, respectu militis, quæ gravissimè lædet famam Prælati aut magnæ pietatis viri ; quapropter accuratè pensandæ sunt omnes circumstantiæ. Si quis tamen crimen aliquod revelet, non manifestatâ personâ, non erit peccatum mortale, si non sit periculum ne cognoscatur, modò tamen infamia non redundet in familiam, vel Ordinem, aut Monasterium, ut plerumquè contingit, quandò deteguntur crimina Religiosorum vel Sacerdotum, quamvis in particulari non nominentur.

Colliges 1.° peccare mortaliter eum qui ve-

rum, sed occultum proximi crimen manifestat uni vel alteri viro prudenti, si nulla planè sit causa illud manifestandi; quia ordinariè mallet proximus de gravi suo scelere infamari apud multos è plebe, quàm apud gravem virum.

Potest tamen manifestari crimen occultum proximi absque peccato, triplicem potissimùm ob causam: 1.° quandò id necessarium est ad emendationem delinquentis, ita ut aliâ viâ emendari non posse videatur, quàm revelando ipsius crimen duobus aut tribus testibus, vel Superiori, servato ordine correctionis fraternæ; 2.° ad petendum consilium vel auxilium à prudente Confessario, aut altero viro probo ac docto; 3.° ad vitandum damnum aliquod notabile spirituale vel temporale, proprium vel alienum, privatum vel publicum: proximus enim non habet jus ad famam conservandam cum damno alterius innocentis. Hinc licitum est detegere furem occultum, ignotum hæreticum, Confessarium imperitum aut scandalosum, ignarum medicum, auctorem homicidii quod imputatur innocenti, inhabilem ad aliquod Beneficium vel Ordines; imò, in prædictis casibus, non tantùm licet alterius crimen revelare, sed ordinariè stricta adest obligatio revelandi.

Cavendum tamen diligenter, quandò justa occurrit causa revelandi crimen proximi, 1.° ne quid falsum alicui imponatur ad vitandum quodcumque aliorum damnum; non enim facienda sunt mala ut eveniant bona, et hoc esset peccatum perniciosum et damnosum homini ex hâc parte innocenti, quod est intrinsecè malum, et ex naturâ suâ peccatum mortale: quocircà damnatæ sunt ab Innoc. XI hæ propositiones: 1.ª

Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem sibi noxiam falso crimine elidere? 2.ª Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat; et, si hoc non est probabile, vix erit ulla opinio probabilis in Theologiâ.

Cavendum est 2.° ne plus fiat quàm necesse est ad emendationem delinquentis, vel ad quærendum consilium, auxilium, aut ad vitandum damnum: hinc, si privata rei correptio sufficit, vel si satis est defectum uni tantùm personæ revelare, aut generaliter admonere, neminem nominando, non licet tunc revelare alteri, aut pluribus, vel nominare personam.

Cavendum 3.° ne revelatio ex vindictâ vel odio fiat, vel ex pravâ intentione nocendi, vel animo detrahendi; esset enim apertum peccatum.

Colliges 2.° ad detractionem etiam gravem satis esse, si de proximo ea dicantur quæ, licèt nullam ex ejus parte culpam supponant, eum tamen aliorum contemptui et ludibrio exponunt, v. g., si dicas patrem alicujus suspendio occubuisse, aut ad triremes fuisse damnatum, vel occultum natalium defectum manifestes; hæc enim quantùm mœroris excitent, et quàm molestè ferri soleant, nemo nescit.

Colliges 3.° de defunctis detrahere similiter illicitum esse, tum quia mortui, ut justè possunt honorari, sic et injustè diffamari, tum quia jus habent ut fama, quam habuerunt vivi, superstes maneat.

Dixi 2.° *detractionem esse communiter contra justitiam*, non tamen semper, quia contingere potest ut detractio solùm oppugnet charitatem, v. g., quandò proximus amisit jus ad famam,

præsertìm verò quandò crimen illius publicum est per sententiam Judicis.

Quæres 1.° an liceat hominem, in aliquo loco infamatum, in alio infamare.

Resp. 1.° eum qui alterius crimen in eo loco manifestat in quo ignoratur, ordinariè peccare mortaliter contra charitatem, 1. si id faciat ex odio gravi et intentione nocendi; 2. si cum gravi mœrore et contristatione proximi; 3. si id fiat in loco in quem fama non erat crimen perlatura, vel nonnisi post longum tempus; 4. grave est illud peccatum, si ex criminis publici divulgatione grave aliud damnum, præter infamiam, inferatur proximo, ut si ideò privetur officio vel honoribus debitis, quamvis sit emendatus.

Resp. 2.° quandò detegitur crimen publicum, et damnum ex eâ infamatione sequitur, ordinariè non esse obligationem tale damnum compensandi, quia talis infamatio est solùm contra charitatem, non autem contra justitiam, eò quòd proximus jus ad famam amiserit per notorietatem criminis sui, sive istud notorium sit notorietate juris, id est, per Judicis sententiam, ut cùm quis juridicè damnatus est; sive sit notorium notorietate facti, id est, coram multis commissum, vel eo tempore et loco ex quo judicetur facilè apud multos divulgandum; vel si jam multis innotuit, si major pars civitatis vel parochiæ illud noverit. Non censetur tamen publicum seu notorium, factum quod innotuit tantùm majori parti familiæ, Monasterii, Congregationis, quamvis publicum dici possit respectivè ad illam familiam, Congregationem, etc., et intra eam possit manifestari.

Quæres 2.° an liceat se infamare.

Resp. si justam ob causam crimen suum aliquis revelet, esse actum virtutis : id fecerunt S. Augustinus, in Confessionibus; S. Ephrem, et alii nonnulli inter Sanctos. Verùm, si id fiat sine justâ causâ, erit peccatum, quia, nisi adsit necessitas propria vel aliena, non licet prodigere famam suam. Hoc autem peccatum ex se veniale est, quia volenti non fit injuria : potest tamen per accidens esse mortale, 1.° si fama necessaria sit ad obeundum ritè munus suum, ut contingit in personis ecclesiasticis et Magistratibus secularibus; 2.° si in alios redundet propria infamia, v. g., in familiam, Religionem, etc.; 3.° si ex infamiâ sequatur grave damnum aut aliud nocumentum.

Quod spectat ad eos qui audiunt detrahentem, certum est eos contra charitatem peccare, et participes esse malitiæ detrahentis, si cum complacentiâ detractionem audiant. Ratio est, quia approbant damnum quod alteri infertur; quòd si insuper inducant detrahentem ad detrahendum, vel non impediant, cùm sint Superiores, peccabunt contra justitiam, et tenebuntur, sicut et detrahens, reparare damnum, si quod ex detractione sequatur : quapropter S. Bernardus, lib. 2 de Consideratione, cap. 13, ait : *Detrahere, aut detrahentem audire, utrum horum damnabilius sit, non facilè dixerim.*

Nullo modo tamen peccabit audiens, et non impediens detractionem, 1.° si prudenter existimet non profuturam monitionem suam vel correctionem; 2.° si sibi magnum metuat incommodum, v. g., contumelias, verbera, damnum; 3.° si rationabili verecundiâ impediatur, ob detrahentis auctoritatem, vel suam ineptitu-

dinem, maximè si sit scrupulosus : attamen qui legitimè impeditur à resistendo detractioni, debet, si commodè et cum fructu possit, discedere, vel sermonem aliò convertere, vel faciem tristiorem ostendere; sic enim saltem minuitur fervor detractionis, juxta illud Proverb. c. 25, ℣. 23: *Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem.*

Ex quibus patet ad detractoris correctionem non semper teneri sub peccato mortali æquales, et à fortiori inferiores; contrà verò ordinariè tenentur Superiores, qui etiam interdùm ex justitiâ obligantur ad tuendam famam illius de quo detrahitur; ideòque, si ejus infamiam non impediant, peccabunt contra justitiam, et ad restitutionem tenebuntur in defectum detrahentis.

Hujus peccati causæ ordinariè sunt invidia, superbia, ac societas detractorum; remedia verò, humilitas, quæ proprios ostendit defectus, non alienos; charitas, quâ accensus non gaudet de malo proximi, neque illud detegit; fuga detractorum, parcitas in loquendo.

De obligatione restituendi ob illud peccatum agemus in *Tract. de Justitiâ*, ubi de Restitutione.

ARTICULUS II.

De Contumeliâ.

Contumelia, à contemnendo dicta, definitur, *honoris injusta violatio, facta præsenti et scienti.*

Dicitur 1.°, *honoris violatio*, non verò famæ; et per hoc contumelia distinguitur à detractione, quia per detractionem lædimus famam, seu bonam æstimationem quam proximus apud alios

habet; per contumeliam verò lædimus honorem proximi, seu externam reverentiam et æstimationis significationem quam proximo debemus, propter ejus excellentiam, dignitatem, virtutem, etc.

Dicitur 2.°, *injusta;* si enim, justæ correptionis causâ, pater vel Superior filium aut subditum durioribus verbis increpet, non infert contumeliam : sic Christus, Lucæ c. 24, Discipulos euntes in Emmaüs stultos et tardos corde appellavit; et, Galat. c. 3, Apost. ipsos Galatas insensatos vocavit : monet tamen S. Thomas, 2.â 2.æ, quæst. 72, art. 2, ad 2.um, quòd, sicut dicit S. Aug. hic in lib. de Serm. Domini in monte, *rarò, et ex magnâ necessitate, objurgationes sint adhibendæ, in quibus non nobis, sed ut Domino serviatur, instemus;* ne hic objurgandi modus videatur subditis potiùs ex irâ inordinatâ, quàm ex charitate procedere, quo fit ut exacerbentur potiùs, quàm emendentur.

Dicitur 3.°, *facta præsenti et scienti;* et per hoc contumelia iterùm differt à detractione, quæ fit clanculùm et in absentiâ; at verò contumelia palàm fit, et præsente eo quem lædit; vel saltem eâ intentione ut ab illo sciatur; nam contumeliosus vult ei displicere, ac suum contemptum illi notum facere.

PROPOSITIO.

Contumelia est peccatum ex genere suo mortale contra justitiam.

Prob. 1.° *ex Script.*, ubi Christus ipse ait, Matth. c. 5, ℣. 22 : *Qui dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis;* et Apostolus, Rom. c. 1, con-

tumeliosos annumerat iis quos tradidit Deus in reprobum sensum.

Prob 2.° *Ratione :* Quia contumelia ex naturâ suâ graviter lædit honorem proximo debitum, ad quem ipse non minùs juris habet quàm ad famam; imò, quia per contumeliam honor aufertur, quasi vi illatâ, scienti et renitenti, ideò contumelia magìs lædit, et acerbiorem infert injuriam quàm detractio, ac proindè est grave peccatum.

Dixi 1.°, *esse peccatum mortale ex genere suo;* quia veniale fieri potest, tum defectu sufficientis deliberationis, tum levitate materiæ, si contumelia sit levis, vel in seipsâ, vel saltem spectatâ conditione personæ offensæ et offendentis : eadem contumelia, quæ respectu domini, patris, aut viri honesti, est peccatum mortale, sæpè est peccatum veniale, respectu filii, subditi, vel vilis personæ.

Dixi 2.°, *contra justitiam*, propter rationem allatam : sæpissimè tamen contumeliæ adjungitur alia malitia mortalis specie diversa, v. g., 1 blasphemiæ vel impietatis contra Deum aut Sanctos; 2. impietatis contra parentes; 3. inobservantiæ contra Superiores, si ipsi contumeliosè tractentur; 4. odii contra proximum, quandò quis imprecatur malum proximo vel rebus ipsius, v. g., infamiam, mortem, damna temporalia vel spiritualia, diaboli vexationem, damnationem æternam; hujusmodi enim maledictiones et imprecationes præsenti proximo factæ, præter contumeliæ malitiam, adjunctum habent odium contra charitatem, si seriò et ex animo malum optetur proximo; imò, quamvis aliquandò non proferantur ex animo, et cum desiderio ut malum eveniat, neque ullam afferant honoris imminutio-

nem, possunt tamen esse gravia peccata, maximè propter scandalum.

Ad contumeliam reduci debet irrisio injuriosa, quæ est illusio et subsannatio proximi, per quam in risum et jocum aliis exponitur, ut erubescat et confundatur, sive id fiat verbis jocosis, sive actionibus externis, sive ludibriis, qualia Christus Dominus ab impiis Judæis passus est, sive membrorum contorsione, v. g., labiorum diductione, torvo ac despiciente aspectu, etc. Hæc autem injuriosa irrisio ordinariè includit contumeliam, ut patet, estque ipsâ deterior, quia majorem affert contemptum quàm contumelia.

Dixi, *derisio injuriosa;* de illâ enim tantùm loquimur, non autem de eâ quæ fit correptionis causâ.

Circa irrisiones quæ fiunt joci causâ et ad honestam recreationem, notat S. Thomas, 2.â 2.æ, quæst. 72, leves aliquos defectus ridere et risui exponere, aliquandò urbanitatis esse, si tamen opportuno tempore fiant; in quibus magna desideratur prudentia, quia potest facilè peccari, etiam aliquandò mortaliter contra charitatem vel contra justitiam, v. g., si gravis erusbescentia vel tristitia vel ira causatur proximo; quapropter hujusmodi derisio cavenda est ut perniciosa : multò tamen pejor ac periculosior est justorum derisio propter exercitium virtutis, quia non solùm pudorem injicit, sed etiam homines retrahit à bonis operibus virtutisque studio, quod est peccatum grande nimis coram Domino.

Cæterùm, sicut irrisio, sic etiam contumelia fieri potest non solùm verbo et scripto, sed etiam facto, quandò nempè scienter fit actio quâ honori alterius derogatur, v. g, si quis virum nobilem

fuste vel alapâ percutiat, aut aliquid ipsi per vim auferat.

Quod spectat eos qui calumniis aut maledictis impetuntur, debent hi, secundùm Christi doctrinam et exemplum, hæc omnia patienter ferre; neque iis licet, vindictæ causâ, similes referre injurias, sicut non licet ex vindictâ percutientem repercutere: id præclarè ait S. Hieron. Epist. 77: *Inter Christianos, non qui patitur, sed qui facit contumeliam, miser est.* Similiter S. Greg. lib. 8 Moral., cap. 1: *Sancti viri nec sustinere falsa per infirmitatem metuunt, nec læsi unquàm à veritate conticescunt.*

Potest tamen is, qui injuriam patitur, licitè facere quod est necessarium ad justam defensionem et ad arcendam injuriam, v. g., dicendo calumniatorem non vera loqui, sed falsa imponere, quamvis certè laudabilius sit tacere, nisi improperanti et audientium saluti expediat calumniam repellere, non tamen alio convicio, sed responso prudenti, charitatemque et humilitatem redolente.

SECTIO III.

De Judicio temerario, et Violatione secreti.

Sectionis præsentis duplex erit articulus. Sit igitur

ARTICULUS PRIMUS.

De Judicio temerario.

Judicium temerarium est *actus internus intellectûs, quo quis sine sufficientibus indiciis malum aliquod de proximo cogitat, eique cogitationi voluntariè adhæret et assentitur*: v. g., si judicet proximum suum esse hypocritam, fu-

rem, etc., vel nullo ingenio aut doctrinâ præditum.

Judicii temerarii quatuor veluti gradus distinguuntur. Primus est *dubitationis*, quo quis temerè, ac sine sufficientibus indiciis, dubitat de alterius probitate vel perfectione, neque affirmans neque negans malum ipsi inesse, sed judicans duntaxat dubiam esse illius probitatem aut perfectionem.

Secundus gradus est *suspicionis*, quo quis, licèt nondùm determinatè judicet vitium aliquod inesse proximo, ad illud tamen judicandùm inclinatur et excitatur.

Tertius gradus est *opinionis*, quo non firmiter, sed cum errandi formidine, judicatur rem ita esse.

Quartus gradus est *perfecti judicii*, quo quis firmiter, ac sine oppositi formidine, judicat vitium proximo inesse, ita ut, si interrogatus esset, responderet sine dubitatione se ita credere.

PROPOSITIO.

Peccat mortaliter contra justitiam, qui de proximo malum judicat, si quædam conditiones reperiantur.

Prob. 1.° *ex Script.* Matth. c. 7, ℣. 1, et Lucæ c. 6, ℣. 37 : *Nolite judicare, et non judicabimini: nolite condemnare, et non condemnabimini.* Rom. c. 2, ℣. 1 : *Propter quod inexcusabilis es, ô homo omnis, qui judicas;* et c. 14, ℣. 4 : *Tu quis es, qui judicas alienum servum! domino suo stat aut cadit.* Jacobi c. 4, ℣. 11 : *Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi et judicat legem*, id est, deficit à præscripto

legis, quæ utrumque prohibet, eamque contemnit.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* Imprimis S. Ambr., lib. 5 Commentariorum in Evang. Luc., cap. 7: *Non temerè judicandum*, inquit, *ne, cùm sis tui conscius ipse delicti, dùm alterum judicas, in teipsum cogaris ferre sententiam.*

Prob. 3.° *Ratione:* Quia quisque jus habet ut de ipso non malè sentiamus sine causâ sufficienti, sicut jus habet ut ipsum apud alios non infamemus; sicut ergo peccat mortaliter qui vel apud unum hominem infamat proximum, saltem si falsum crimen ei imponat, sic graviter peccat qui temerè de proximo in re gravi judicat; is enim falsum crimen proximo in mente suâ affingit.

Dixi, *si quædam reperiantur conditiones;* quia quatuor debent concurrere, ut judicium temerarium sit peccatum mortale.

1.ª Conditio requisita est, *ut verè sit judicium:* si autem judicium illud sit firmum, gravius est peccatum, quàm si merè opinativum esset; si quis verò suspicetur tantùm, vel dubitet de malo alterius etiam gravi, ex communiori sententiâ, non peccat ordinariè mortaliter, quia judicium illud parùm lædit alterius famam; sicut illius fama non multùm augetur, si præclara de eo leviter suspicemur. Adde hujusmodi suspiciones facilè corrigi ac deponi posse et debere, atque ex humanâ fragilitate oriri, sine quâ vita ista non ducitur, ut ait S. Aug. tract. 90 in Joan., ubi subjungit: *Si suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, judicia tamen continere debemus.*

Potest tamen suspicio esse peccatum mortale, 1.° si sit de gravissimo scelere, ex levissimis indiciis, ac magnâ animi temeritate scienter concepta, de personâ valdè sanctâ, et cujus fama est

integerrima. Hujusmodi enim suspicio et magnam injuriam continet, quam proximus maximâ pecuniæ summâ sæpè vellet redimere, nec est sine gravi contemptu proximi. Adde quòd vir gravis, si de se istam dubitationem et suspicionem haberi sciret, id ægrè admodùm ferret; deniquè, si quis interrogaretur an aliquis, v. g. Sacerdos, integerrimæ vitæ esset, castus, sobrius, etc., et ex levibus indiciis responderet se id nescire, vel se opinari eum talem non esse, profectò ejusmodi detractio esset mortalis; ergo etiam peccat mortaliter qui sciens et volens talem suspicionem de proximo concipit; is enim famam ejus violat in mente suâ, sine causâ. 2.° Suspicio interdùm adjunctam habet aliam malitiam mortalem, v. g., si ex gravi odio procedat, vel si ob suspicionem graviter contemnatur proximus, perindè ac si reipsâ malus esset, vel si addatur detractio aut suspicionis manifestatio apud alios; constat enim experientiâ homines, cùm de aliquo dubitant, facilè inclinari ad eum contemnendum ac de illo detrahendum, et ad ei deneganda officia, honores, etc. 3.° Deniquè erit peccatum mortale, si propter levem suspicionem Superior graviter puniat, Judex condemnet, inferior suffragium neget. Ita S. Thomas.

2.ª Conditio requisita est, *ut judicium temerarium sit*, id est, sine sufficientibus indiciis; quia, si talia adsint indicia ut, spectatis circumstantiis loci, temporis, ac personæ, juxta regulas prudentiæ, sufficiant ad ferendum judicium, v. g., si hujusmodi indicia, ut plurimùm ac ferè semper, sint cum effectu conjuncta, tunc ordinariè non peccat qui judicat rem ita se habere, sicut indicia significant; quocircà diligen-

ter expendenda sunt, ut ultra charitatis vel justitiæ metas non fiat suspicio vel judicium.

Dixi, *juxta prudentiæ regulas;* inter quas diligenter observandæ sunt tres quæ sequuntur: 1.° quidem postulat prudentia ut majora et clariora habeantur indicia ad judicandum quàm ad suspicandum; et ideò quædam sufficiunt ad suspicionem, quæ ad judicium non sufficiunt. 2.° Dictat prudentia quædam indicia sufficere ut quis judicet crimen de homine vitioso et huic crimini assueto, vel de eo infamato, quæ levissima et prorsùs insufficientia forent ad idem judicandum vel suspicandum de viro probo: similiter, quædam nocte vel in uno loco facta sufficiunt ad prudenter judicandum, quæ die vel alio loco facta non sufficerent. 3.° Cùm sæpè contingat nos errare de aliis judicando, tum quia indicia quæ sufficientia putabantur, reipsà talia non erant, tum quia ex opere externo pravam intentionem conjicimus; idcircò et prudentia postulat, et charitas exigit ut ab hujusmodi suspicionibus ac judiciis abstineamus, nisi aliud exigat necessitas aut utilitas propria vel aliena. Possunt quidem ac debent Superiores aliis invigilare, et de iis inquirere, veritatis indagandæ causà; non debent tamen ex levibus indiciis judicare inferiores. Omnes enim dictum sibi existimare debent illud S. Bern. Serm. 4 in Cantica: *Cave alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius judex, etiam si perperàm actum quid deprehendas; nec sic judices proximum, magìs autem excusa intentionem, si opus non potes; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quòd si omnem omninò dissimulationem rei certitudo re-*

cusat, suade nihilominùs ipsi tibi, et dicito apud temetipsum : vehemens fuit nimis tentatio; quid de me illa fecisset, si in me accepisset similiter potestatem.

3.ª Conditio est, *ut judicium sit plenè deliberatum;* si enim quis ex proposito sibi objecto statìm concipiat vel etiam judicet grave malum de proximo, non ideò statìm peccat mortaliter; oportet enim ut voluntas consentiat, postquàm intellectus advertit malitiam ac temeritatem judicii; ad hoc tamen non requiritur mora temporis, cùm hæc deliberatio haberi possit in instanti. Cæterùm, quandò quis timoratam conscientiam habet, signum est voluntatem deliberatè non consensisse, si hujusmodi judicia temeraria oderit, ac procul abesse exoptet.

4.ª Deniquè conditio est, *ut judicium sit de malo gravi proximi;* quia, si sit duntaxat de levi, levis etiam erit injuria : grave autem dicitur quodcunque malum, sive culpæ, sive pœnæ, sive naturæ, quod, spectatis circumstantiis, affert notabile famæ detrimentum, v. g., si quis sanctissimum virum judicet esse mendacio deditum; item, nobilem virum esse spurium; vel doctrinâ spectatissimum esse ignarum : contrà verò, leve illud malum esse hic dicitur, quod non magnam affert famæ jacturam, ut si quis hominem infimæ conditionis judicet fuisse ebrium, militem esse duellatorem, etc.; hæc enim, ex communi hominum sensu, parùm aut nullatenùs hujusmodi homines infamant, qui ea de se credi parùm vel nihil curant, imò interdùm de iis miseri gloriantur.

Quæres an actiones proximi, quæ in bonam vel malam partem accipi possunt, sint semper in meliorem partem interpretandæ.

Resp. 1.° in illis non teneri quemlibet judicare, sed posse suspendere judicium, totumque Deo committere; non enim tenemur actu positivo judicare aliquem esse probum, de cujus probitate datur sufficiens causa dubitandi.

Resp. 2.° ex hypothesi quòd quis velit judicare, in dubiis circa personas, judicium fieri debere in meliorem partem.

Prob. 1.° Extrav. de Regul. Juris, et S. Aug. qui ait super verba illa Christi, Matth. c. 7, ℣. 1, «*Nolite judicare:*» *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Adde S. Bern., et S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 60, art. 4.

Prob. 2.° *ex quibusdam Juris regulis*, quæ, quamvis forum externum præcipuè spectent, possunt tamen hìc applicari, ubi etiam de judicio agitur. 1.ª Est regula 11.ª Juris, in Sexto: *Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs quàm actori.* Item, regula 65.ª: *In pari delicto vel causâ, melior est conditio possidentis:* atqui proximus possidet famam et honorem; ergo in illius favorem judicandum est. Favet etiam regula 30.ª: *In obscuris minimum est sequendum;* et 47.ª: *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.*

Prob. 3.° *Ratione:* Quia, si quis in illo casu judicaret in deteriorem partem, temerè judicaret proximum, condemnans sine sufficientibus indiciis. Deindè juris naturæ est illud: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* atqui nullus vult rationabiliter actiones suas in deteriorem sensum accipi; ergo, etc.

Resp. 3.°, quandò agitur de damno vitando,

malo præcavendo, vel adhibendo remedio, prudentiam postulare, non quidem ut dubia de proximo positivè in pejorem partem explicemus, sed ut perindè nos geramus, nobis cavendo et illi vel aliis consulendo, ac si dubia esset ejus probitas. Hinc qui recipit ignotum hominem in domum suam, quamvis judicare non possit eum esse furem, potest tamen rebus suis prudenter providere, perindè ac si fur esset; quia, sic agendo, dici non potest malè sentire de proximo, sed prudenter rerum suarum damnum præcavere: at verò, quandò agitur tantùm de internâ æstimatione, reverentiâ erga proximum, quamvis, ut diximus, non teneamur actu positivo judicare eum esse probum, id tamen supponendum est, ac pro tali haberi debet. Undè et perindè nos exteriùs gerere debemus erga eum, ac si probus esset.

ARTICULUS II.

De peccato Violationis secreti proximi.

Secretum in genere dicitur quod paucis notum est: illius tres assignantur species.

1.° Enim aliud est secretum quod ex lege naturali, absque ullâ promissione, scientem obligat ad celandum, quale est omne occultum cujus detectio noceret animæ, corpori, famæ vel bonis alicujus.

2.° Aliud est secretum quòd, ex præcedente pacto seu promissione expressâ vel tacitâ, scientem obligat ad celandum: tunc autem censetur tacita promissio, quandò aliquid occultum ita manifestatur, ut ex circumstantiis facilè appareat illud committi tanquam secretum, v. g., cùm quis, consilii,

consilii, auxilii, vel solatii causâ, aperit arcana sua Advocatis, Obstetricibus, vel amicis, aut propinquis, maximè verò Confessariis, quamvis extra confessionem.

3.° Deniquè aliud est secretum, quod ex lege divinâ confessionis sacramentalis prorsùs inviolabili, scientem obligat ad celandum, ita ut nulla dari possit causa ob quam licitè possit violari, ut diximus in *Tractatu de Pœnitentiâ*: quapropter, hoc ultimo omisso, de duobus primis hìc breviter agendum est.

Revelatio secreti facta sine justâ causâ, cum nocumento proximi, vel contra fidem expressè aut tacitè datam de eo reticendo, est ex genere suo peccatum mortale contra justitiam.

Ratio est evidens. Justitia enim prohibet ne quis proximo noceat, vel violet pactum et fidem datam : undè patet revelantem secretum absque justâ causâ, teneri ad compensationem omnium damnorum quæ ex tali revelatione proveniunt.

Dixi, *sine justâ causâ;* quia, si adsit justa revelandi causa, licitum est secretum revelare; triplex autem potest esse hujusmodi causa : 1.ª est damnum Reipublicæ vel tertiæ personæ, pendens in futurum; quandò enim revelatio secreti necessaria est ad avertendum illud damnum, ordinariè est obligatio illius revelandi : ratio est, quia secretum non potest obligare contra charitatem debitam alteri; quòd si damnum jam illatum sit, nihilque pro futuro timeatur, secretum non poterit revelari.

2.ª Causa est, quandò secretum, nisi detegatur, cessurum est in grave damnum spirituale vel temporale illius qui illud commisit, v. g., si quis cum occulto impedimento matrimonium sit

contracturus, nisi is, qui sub secreto novit, id denuntiet : tunc enim licita, imò ex charitate præcepta est secreti revelatio, scilicet ad vitandam irreverentiam erga sacramentum, ad impediendum grave peccatum ac multa incommoda.

3.ª Deniquè causa est, si quis non possit absque magno suo incommodo secretum celare, v. g., absque vitæ periculo, aut gravium tormentorum, vel famæ, aut honoris, aut bonorum : tunc enim non tenetur illud celare, quia non censetur voluisse, secretum promittendo, tam rigorosè se obligare. Attamen, si secreti revelatio cedat in magnam Reipublicæ perniciem, tunc, ob quævis tormenta vel mortis etiam periculum, revelari non potest : contrà verò, si sola privatæ alicujus personæ, vel illius qui secretum commisit, vita periclitaretur; proprium enim bonum quisque potest alieno privato præferre. Excipiunt Doctores, nisi secretum injustè seu per vim aut fraudem sit cognitum; quia in illo casu revelatio secreti esset injuriæ continuatio.

CAPUT VII.

De nono et decimo Decalogi Præcepto.

Duo hæc præcepta his verbis referuntur, Exodi c. 20, ℣. 17 : *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.* Quoniam autem quæ his præceptis prohibentur, patent ex explicatione sexti et septimi præcepti, et ex iis quæ de delectatione morosà tractantur alibi, pauca duntaxat addemus notatu digna.

ARTICULUS UNICUS.

Quid his Præceptis prohibeatur.

Duplici hoc præcepto non prohibet Deus ipsam concupiscendi vim, quâ tum ad bonum, tum ad malum uti liberum est, sed pravæ cupiditatis usum, quæ carnis concupiscentia et peccati fomes dicitur, ac vitiis annumeranda est, si adjunctum habeat consensum voluntatis. Prava autem est ac inordinata cupiditas, cùm fines à rectâ ratione constitutos transgreditur, sive res malas appetendo, ut adulteria, furta, etc., sive res bonas inordinatè et præpostero affectu desiderando.

Nono itaque præcepto prohibetur tum illa libido quâ adulter alterius uxorem appetit, tum etiam libido quâ quis alterius uxorem in matrimonium ducere concupiscit, quia hinc facilè induceretur ad optandam ejus viro mortem vel ad desiderandum adulterium. Prohibetur etiam inordinatus ejusmodi affectus erga mulieres aliis desponsatas, et à fortiori erga virgines Deo consecratas, quàcunque factâ suppositione. Neque licet hæc aut similia animo revolvere : *Si talis virgo non esset consecrata, eam in matrimonium ducerem ;* sicut non licet homini, qui voto castitatis obstrictus est, voluntariè apud se cogitare : *Si votum non emisissem, talem personam in matrimonium ducerem ;* hæc enim omnia inordinata sunt, ut patet.

Eodem præcepto, quatenùs affirmativum est, præcipitur ut castitatem summoperè amemus, et diligentissimè custodiamus, ut obscenis cogitationibus summâ cum diligentiâ resistamus.

Decimo præcepto prohibetur ne divitias avidè

exspectemus, neve alienis opibus, potentiæ, nobilitati invideamus, sed statu nostro, qualiscunque sit, contenti simus. Contra hoc præceptum peccant mercatores, qui rerum penuriam et annonæ raritatem expetunt ut cariùs vendant; milites, qui bellum exoptant ut possint furari; Medici, qui morborum frequentiam, Jurisconsulti qui litium copiam concupiscunt.

Hoc etiam præcepto, quatenùs affirmativum est, Deus præcipere videtur ut, si divitiæ affluant, cor non apponamus; si desint, æquo animo feramus.

Cæterùm, quia rudes homines solos actus externos illicitos putant, frequenter in concionibus et catechismis monendi sunt fideles, peccata, quæ in hæc duo ultima præcepta committuntur, nonnunquàm graviùs sauciare, et periculosiora esse iis quæ in manifesto committuntur, ut notat Conc. Trident. Quapropter omnem sollicitudinem adhibere debent in devitandis illis peccatis, quæ solâ cogitatione et desiderio committuntur. De iis enim sic loquitur Christus, Matth. c. 5, ℣. 27, 28: *Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

APPENDIX PRIMA,

AD PRIMUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

De Oratione in genere.

In hâc primâ Appendice agemus tantùm de Oratione in genere, prout omnes obligat fideles; et

discutiemus, 1.° quid et quotuplex sit oratio; 2.° an sit necessaria; 3.° quanta ejus utilitas et efficacia; 4.° quæ conditiones ad orationem sint requisitæ; 5.° quid orandum; 6.° quis orandus; 7.° pro quibus sit orandum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid et quotuplex sit Oratio.

Observandum orationem dupliciter sumi posse, *latè* et *strictè* : ac 1.° quidem, generali quâdam significatione, orationis nomine significari solet omnis interior animi motus in Deum, sive per mentis cogitationem, sive per cordis affectum : sic à S. Joanne Damasceno, de Fide orthodoxâ, definitur oratio, *Ascensio mentis in Deum;* et eodem modo ait S. Aug., vel quivis alius auctor libri de Spiritu et Animâ, rejecti nunc in Appendice tomi 6 Operum S. Aug., cap. 50 : *Oratio est spontanea quædam et dulcis ipsius animi ad Deum inclinatio.* Simili sensu, Christus in Evangelio dicitur pernoctasse in oratione Dei; neque enim verisimile est eum totum illud tempus in solâ petitione consumpsisse, sed etiam in contemplatione et consideratione rerum divinarum, ac piis in Deum Patrem affectibus. 2.° Orationis nomen propriè et *strictè* significat *petitionem,* quomodò etiam definitur à S. Damasceno, *Petitio decentium à Deo.* Hæc significatio frequens est in Script., ut Matth. c. 5, ℣. 44 : *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos,* id est, petite. His prænotatis, sit

PROPOSITIO.

Oratio est actus rationis practicæ, desiderium animæ coram Deo explicantis, ut aliquid ab ipso impetretur.

Quæ definitio ut intelligatur, notandum est in oratione posse spectari duos actus: alter est desiderium quo bonum aliquod nobis aut aliis optamus conferri, vel aliquod malum averti; alter actus est explicatio quædam practica hujus desiderii, quâ Deum conamur inducere et promovere ad id præstandum quod desideramus: quæ desiderii nostri explicatio nihil est aliud quàm petitio quædam, in quâ propriè consistit orationis essentia.

Dicitur itaque 1.°, *actus rationis*, id est, mentis; quia oratio elicitur ab intellectu, et à voluntate tantùm imperatur, quatenùs voluntas intellectui præcipit ut desiderium suum Deo explicet.

Dicitur 2.°, *rationis practicæ;* quia animæ desiderium non ostendimus Deo ut illud tantùm cognoscat, sed ut rem desideratam præstet.

Dividitur oratio in *mentalem* et *vocalem*: *oratio mentalis* est illa quæ solo actu mentis fit; oratio verò *vocalis* seu *externa* dicitur, cùm internus animi actus voce seu verbo explicatur.

Dividitur etiam in *privatam* et *publicam;* sed de posteriori agemus in *Tract. de obligationibus Statuum*, ubi de *Horis Canonicis.*

ARTICULUS II.

De necessitate Orationis.

PROPOSITIO.

Oratio necessaria est adultis ad salutem.

Prob. 1.° *ex verbis Christi,* Lucæ c. 18, ℣. 1:

Oportet semper orare; Matth. c. 7, ℣. 7 : *Petite et dabitur vobis;* c. 26, ℣. 41 : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Ratio hujus præcepti divini sumitur ex voluntate Dei justè ac salubriter disponentis, ut in necessitatibus nostris auxilium atque medelam consequi non possimus, nisi humili subjectione ab ipso petamus; oratio ergo necessaria est *necessitate præcepti divini.*

Est etiam necessaria *necessitate medii,* ut unanimiter fatentur Theologi, necessitatem hanc colligentes ex modo ordinario à Deo instituto ad salvandos homines adultos; voluit enim Deus ut medium esset oratio, sine quo salus obtineri non posset; quia salus obtineri non potest sine gratiâ : oratio autem est medium quoddam sine quo statuit Deus nobis non concedere gratiam; undè illud Matth. c. 7, ℣. 7 : *Petite et dabitur vobis,* quasi dicat Christus : Si non petitis, non dabitur vobis. Hic autem modus à Deo institutus ad salvandos homines adultos pertinet ad suavem illius providentiam; voluit enim ut ad salutem nostram, saltem petendo, cooperaremur, et ideò decrevit gratias, ad observationem mandatorum necessarias, adultis ordinariè non impertiri, nisi eas petierint, juxta illud : *Petite et dabitur vobis; quærite et invenietis; pulsate et aperietur vobis :* Matth. c. 7, ℣. 7.

Prob. insuper *ex SS. Hieron.* et *August.*, qui, Pelagium impugnantes, necessitatem gratiæ seu auxilii divini ad salutem petunt ex necessitate orationis : at certum est de fide auxilium Dei esse necessarium necessitate medii ad salutem; ergo eodem modo necessaria est oratio. S. Aug., lib. de Dono Perseverantiæ, cap. 16,

sic loquitur : *Cùm constet alia Deum danda etiam non orantibus, sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam.* Et, lib. de Naturâ et Gratiâ, cap. 43, n. 50, ait : *Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis :* quam sententiam amplectitur Conc. Trid. Sess. 6.

Hæc autem verba, *petere quod non possis*, significant mandata Dei sine oratione fore aliquandò impossibilia adultis : undè, sicut ad salutem assequendam necessaria est adultis observatio mandatorum Dei, ita oratio est medium necessarium ut illa observentur; ergo oratio est medium necessarium adultis ad salutem.

Quæres quandonàm urgeat præceptum orandi, sub pœnâ peccati.

Resp. difficile esse tempus illud præcisè determinare, quo præceptum orandi obligat per se fideles, sub pœnâ peccati; certum tamen est 1.° non posse diutiùs differri orationem sine peccato, juxta illud Christi Domini, Lucæ c. 18, ℣. 1 : *Oportet semper orare et non deficere;* et illud Apost. I Thess. c. 5, ℣. 17 : *Sine intermissione orate;* et Rom. c. 12, ℣. 12 : *Orationi instantes.* Istorum enim textuum, ex communi Interpretum sententiâ, sensus est, orandum esse, non quidem omnibus et singulis momentis, quod est impossibile, sed assiduè et omni tempore opportuno, statis precationum temporibus nunquàm prætermissis. Ratio autem est, quia non possumus diù vivere sine tentationibus, ad quas repellendas opus est oratione.

Certum est 2.° præceptum orandi obligare per accidens, 1. quandò quis sentit gravem tentatio-

nem : undè Christus Apostolis dicebat, Matth. c. 26, ℣. 41 : *Orate ut non intretis in tentationem.* 2. Quandò quis est in evidenti periculo mortis, præsertìm si sit in statu peccati, tunc enim maximè, si unquàm aliàs, petenda est remissio peccatorum. 3. Quandò peccator tenetur ad gratiam se disponere, v. g., quandò debet sacramenta suscipere vel administrare. 4. Quandò eximium beneficium ad salutem necessarium à Deo exspectatur. 5. Si Communitas, v. g.; Urbs, Provincia, Regnum, in magno periculo constituta sit; constat enim Deum nolle sæpè liberare populum à periculo aliquo sive malo, nisi rogatus fuerit, juxta illud Psalm. 105, ℣. 23 : *Et dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione, in conspectu ejus ;* fideles ergo in hoc casu tenentur, ex charitate, orationi incumbere. 6. Si proximus in extremâ spirituali necessitate actualiter sit constitutus.

Colliges Parochos et Confessarios debere plebem sibi commissam frequenter docere quàm necessaria sit oratio, et divinum orandi præceptum sæpiùs inculcare, fidelesque hortari ut matutino ac serotino tempore oratio in christianis familiis fiat, nihilque nisi præmissâ brevi aliquâ oratione aggrediantur.

ARTICULUS III.

De utilitate et efficaciâ Orationis.

Plurimos orationis fructus refert Catechismus Concilii Tridentini, quos omnes hìc recensere necessarium non duximus ; sed in ipso Catechismo attentè legendi sunt à Pastoribus, et fide-

libus explicandi; præcipuos tamen hic attingemus: sit igitur

PROPOSITIO PRIMA.

Oratio, præter consolationem spiritualem quam affert menti, vim habet merendi, impetrandi, et satisfaciendi.

Prob. Quia tria in oratione spectari possunt: 1.° quidem quòd ab homine procedat in statu gratiæ existente, et sic est *meritoria*, sicut alia omnia bona opera; 2.° quòd sit aliquo modo naturæ molesta et pœnalis, sicque est *satisfactoria;* 3.° quòd essentialiter sit petitio quædam, et eo modo est *impetratoria.*

Observandum tamen utilitates illas in omni oratione, etiam bonâ, non semper reperiri; nam fieri potest, 1.° ut oratio sit impetratoria, non tamen meritoria, v. g., si peccator petat remissionem peccatorum, vel si beatus in cœlo postulet aliquid pro nobis viatoribus. 2.° Interdùm contingit ut oratio sit meritoria tantùm, non autem impetratoria, v. g., si vir justus petat aliquid quod non expediat ad ejus salutem, quomodò Apostolus petivit sibi auferri stimulum carnis et non impetravit, licèt ejusmodi oratio fuerit meritoria.

PROPOSITIO II.

Certum est orationem habere vim et efficaciam impetrandi à Deo quidquid ab eo petitur, dummodò adsint conditiones requisitæ.

Prob. ex promissione Christi, Marci c. 11, ℣. 24: *Dico vobis, omnia quæcunque orantes*

petitis, credite quia accipietis et evenient vobis. Lucæ item c. 11, ℣. 10: *Omnis qui petit, accipit*, etc. In veteri Testamento leguntur etiam similes promissiones, Psal. 49, ℣. 15: *Invoca me in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me*; et alibi passim.

Dixi orationem habere vim infallibilem obtinendi quidquid petitur à Deo, *modò adsint conditiones requisitæ*; de quibus articulo sequenti dicendum est.

ARTICULUS IV.

De Conditionibus ad Orationem.

Quatuor conditiones ex SS. Augustino et Thomâ requiruntur, ut oratio sit infallibiliter impetratoria: 1.ª est ut quis petat necessaria vel utilia ad salutem; 2.ª ut piè petat; 3.ª ut perseveranter; 4.ª ut pro seipso.

1.ª Itaque conditio est, ut oratio sit de rebus ad salutem necessariis aut utilibus, ut constat ex allatâ definitione S. Joan. Damasc., ubi dicit quòd oratio est petitio *decentium* à Deo; undè Christus Discipulis suis dicebat: *Quærite primùm regnum Dei*; et Apostolos quosdam reprehendit quòd aliquid à regno Dei diversum peterent: *Nescitis*, inquit, *quid petatis*. Undè et I Joan. c. 5, ℣. 14: *Quodcunque petierimus secundùm voluntatem ejus, audit nos*: atqui, ex S. Paulo, I Thess. c. 4, ℣. 3: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra*; ergo, etc.

2.ª Conditio est, ut oratio piè fiat: tunc piè fit, cùm procedit ex fide, spe, et affectu charitatis; hinc Christus dixit: *Omnia quæcunque petieritis in oratione, credentes, accipietis*; hinc

etiam Jacobi c. 1, ℣. 6, dicitur: *Postulet in fide, nihil hæsitans.* Quòd autem ex affectu charitatis procedere debeat, id est, cum pio motu et auxilio gratiæ, patebit ex dicendis infrà, de oratione peccatoris. Debet etiam fieri cum requisitâ attentione, devotione, et reverentiâ; hujus enim conditionis defectus in causâ est cur plurimorum fidelium orationes non sint impetratoriæ, juxta illud Jacobi c. 4, ℣. 3: *Petitis et non accipitis, eò quòd malè petatis.*

3.ª Conditio est perseverantia in oratione: quæ conditio valdè commendatur in Scripturis, et duabus parabolis à Christo explicatur; alterâ, Lucæ c. 11, ℣. 5, hominis illius qui tres panes petiit ab amico; alterâ, c. 18, ℣. 3, 4 et 5, de Viduâ, quæ à Judice vindictam per importunas preces et perseverantiam impetravit: quapropter Christus, ejusdem cap. ℣. 1, dixerat: *Oportet semper orare, et non deficere*, id est, non desistere à petitione, etiamsi non statìm concedatur, sed instanter petere.

Ratio hujus conditionis sumi potest ex ordine divinæ Providentiæ; nam sæpè expedit ut non statìm concedatur id quod petitur; et res diù desiderata majori in pretio habetur: undè S. Aug., Serm. 5 de Verbis Domini, dicit: *Cùm aliquandò tardiùs dat, commendat dona, non negat. Diù desiderata, dulciùs obtinentur; citò autem data, vilescunt. Pete, quære, insta. Petendo et quærendo crescis, ut capias. Servat tibi Deus, quod non vult citò dare, ut tu discas magna magnè desiderare.*

4.ª Conditio, quam tamen nonnulli rejiciunt, est, ut quis oret pro seipso, quia alter pro quo oramus non est sæpè dispositus ut accipiat; et

hæc est doctrina S. Aug. quam sequitur S. Thomas. Quandò tamen alii, pro quibus oramus, sunt sufficienter dispositi, tunc Doctores communiter docent orationem esse impetratoriam. Ratio est, quia promissio Christi videtur universalis; nam Joan. c. 15, ℣. 16, dicit: *Ut quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Actuum c. 27, ℣. 24, dicit Angelus Paulo: *Ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum.* Et Jacobi c. 5, ℣. 16: *Orate pro invicem, ut salvemini; multùm enim valet deprecatio justi assidua.*

Quæres 1.° utrùm peccatores utiliter orare possint.

Resp. 1.° orationem peccatorum non esse meritoriam, saltem de condigno, quia meritum de condigno supponit statum gratiæ.

Resp. 2.° peccatores utiliter et efficaciter Deum orare, præsertìm quandò servantur quatuor conditiones assignatæ; et hoc modo petivit et impetravit David, Zachæus, Latro, Magdalene, Publicanus, et alii multi. Undè S. August., tractatu 44 in Joan., dicit: *si peccatores Deus non exaudiret, frustrà ille Publicanus oculos in terram demittens, et pectus suum percutiens, diceret: « Domine, propitius esto mihi peccatori. »*

Dices: Joan. c. 9, ℣. 31, dicitur: *Quia peccatores Deus non audit.*

Resp. 1.° cum S. Aug. hæc verba prolata esse à cæco nondùm perfectè illuminato in fide; 2.° duplex esse peccatorum genus: alii enim bono affectu et voluntate, cum Dei auxilio orant, et sic exaudiuntur; alii autem malè orant et cum affectu malo ad peccatum, de quibus dicitur Pro-

verb. c. 28, ℣. 9 : *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis.*

Quæres 2.° utrùm in omni oratione, etiamsi non fiat ex speciali obligatione, requiratur attentio.

Resp. fideles teneri attentionem adhibere in quâcunque oratione.

Prob. 1.° *auctoritate S. Thomæ,* 2.ª 2.æ, quæst. 83, ad 3.um dicentis : *Quòd si quis in oratione ex proposito mente evagetur, hoc peccatum est, et impedit orationis fructum.*

Prob. 2.° *Ratione :* Voluntaria enim distractio peccatum est, quia valdè irreverenter cum Deo agit, qui, aliquid ab eo postulans, voluntariè animo vagatur; quapropter sollicitè docendi sunt fideles, quàm necessaria sit attentio in oratione; siquidem, defectu istius conditionis, plerumquè contingit quod in Psalmo dicitur, quòd *oratio ejus fiat in peccatum.*

ARTICULUS V.

De iis quæ à Deo petenda sunt.

Notandum 1.° Orationem dominicam compendium esse et exemplar eorum omnium quæ à Deo petere debemus : nam, ut dicit S. August., Epist. 130 aliàs 121, ad Probam, cap. 11, n. 22 : *Si per omnia precationum sanctarum verba discurras, quantùm existimo, nihil invenies quod in istâ dominicâ non contineatur et concludatur Oratione.*

Notandum 2.° alia esse bona quibus malè uti non potest homo, qualia sunt vita æterna, auxilia divina, virtutes supernaturales; alia verò esse bona quibus malè uti potest homo, qualia sunt vita, corporis sanitas, scientia, etc.

PROPOSITIO PRIMA.

Vita æterna, et omnia media ad illam necessaria, absolutè, id est, sine ullâ conditione petenda sunt; et quæ ipsis opposita sunt, detestanda et fugienda.

Ratio est, quia, cùm homines ad vitam æternam consequendam sint creati, ideò illam incessanter petere debent, sicut media ad illam conducentia : undè, postquàm in Oratione dominicâ constitutus est finis quem imprimis desiderare ac petere debemus, videlicet Dei gloria ac nostra beatitudo, petimus deindè ut nobis concedantur ea quæ ad hunc finem possunt conducere, et avertantur ea quæ possunt impedire hujus finis consecutionem, ut egregiè notat S. Aug. Bona autem illa petenda sunt absolutè, quia iis malè uti nemo potest.

PROPOSITIO II.

Bona illa quibus malè uti potest homo, v. g., scientia, sanitas, etc., non simpliciter et absolutè petenda sunt, sed cum aliquâ conditione expressâ vel tacitâ, nempè, si utilia sint ad salutem.

Ratio est, quia non debemus absolutè petere, nisi id quod semper ad salutem conducit : at hujusmodi bona interdùm à vitâ æternâ avertunt; ergo non debent peti, nisi supposito quòd sint ad salutem necessaria vel utilia.

Quæres 1.° utrùm bona temporalia à Deo petenda sint, v. g., ea quæ ad victum sunt necessaria.

Resp. cum S. Thomâ bona temporalia, non qui-

dem ut præcipua et suprema bona, à Deo petenda esse; posse tamen peti ut minùs principalia bona, et adminicula quibus ad beatitudinem tendamus, in quantùm, scilicet, per ea bona vita corporalis sustentatur. Hinc Salomon, Deum alloquens, dicit: *Tribue victui meo necessaria.*

Quæres 2.° utrùm divitiæ, honores, dignitates, à Deo licitè peti possint.

Resp. res hujusmodi non esse absolutè petendas, sed conditionatè, nempè, si ad salutem sint utiles : imò ordinariè petendæ non sunt, ne conditionatè quidem, quia sæpiùs ad spiritualem perniciem conducunt, quàm ad salutem; undè rursùm Sapiens : *Divitias*, inquit, *ne dederis mihi.*

Colliges 1.° illum peccare mortaliter, qui à Deo rem malam petit, v. g., favorem et auxilium ad peccatum aliquod committendum, quia hoc est omninò Deo injuriosum.

Colliges 2.°, qui rem indifferentem petit, v. g., victoriam seu in ludo lucrum, etiam peccare, si lucrum hujusmodi non referat ad finem honestum; est enim aliqua in Deum irreverentia : non tamen semper mortaliter peccat.

ARTICULUS VI.

Ad quem dirigi debeat Oratio.

PROPOSITIO PRIMA.

Solus Deus invocandus est tanquam primarius auctor salutis, et causa principalis omnium donorum ac bonorum naturæ et gratiæ.

Ratio est, quia Deus solus auctoritate suâ et potestate remittit peccata, virtutes infundit, dat vitam æternam; ergo, etc.

PROPOSITIO II.

Solus Christus invocandus est tanquam principalis intercessor et mediator noster apud Deum.

Ratio est, quia Christus solus per sua merita nos reconciliavit Deo, et pro nobis satisfecit.

PROPOSITIO III.

Bonum ac utile est invocare Sanctos cum Christo regnantes; imò impiè sentiunt, qui dicunt eos invocandos non esse.

Propositio certa est, et composita ex verbis Concilii Tridentini, Sess. 25.

Prob. 1.° contra Hæreticos : Quia, si, ex illorum consensu, possumus invocare Sanctos in terris degentes, cur non et Sanctos in cœlo regnantes, cùm ratio pro utrisque sit æqualis?

Prob. 2.° ex praxi universali Ecclesiæ, quæ errare non potest, cùm sit columna et firmamentum veritatis: praxis autem illa, tum ex Conciliis, tum ex SS. PP. colligi potest : de quâ consule Bellarm., lib. 1 de Sanctorum Beatitudine, cap. 19.

Prob. 3.° Quia certum est de fide, Sanctos in cœlis viventes pro nobis orare; ergo bonum ac utile est ipsos invocare.

Prob. antecedens ex pluribus Scripturæ locis : v. g., Zachar. c. 1, ℣. 12, Angelus pro Judæis sic Deum deprecatur : *Domine exercituum, usquequò tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda quibus iratus es?* Tobiæ c. 12, ℣. 12, Angelus ad Tobiam dicit : *Quandò orabas,... ego obtuli orationem tuam Domino.* II Machab. c. 15,

℣. 14, de Jeremiâ dicitur : *Hic est qui multùm orat pro populo.* Si autem Jeremias in Limbo pro Judæis orabat, quantò magis in Cœlo. II Petri c. 1, ℣. 15 : *Dabo*, inquit iste Apostolus, *operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Idem probatur ex Psal. 90, Daniel. c. 10, Matth. c. 18, Apoc. c. 8, etc. Vide Bellarminum, loco mox citato, cap. 18.

Hæreticorum cavillationes hic referre per tempus non licet; consulantur quæ de eo argumento prosecuti sumus in *Tract. de Incarnatione ;* sat erit adnotasse, argumenta eorum æquè militare contra invocationem justorum in terris viventium, quæ tamen in Scripturis sæpissimè commendatur, consentientibus ipsis Hæreticis : sic Rom. c. 15, ℣. 30, dicit Apostolus : *Obsecro ergo vos, fratres,... ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Idem repetit Ephes. c. 5, ℣. 20. Et Colos. c. 4, ℣. 2 et 3, dicit : *Orationi instate... orantes simul et pro nobis.* Item I Thessal. c. 5, ℣. 25, et II Thessal. c. 3, ℣. 1 : *De cætero, fratres, orate pro nobis.* Item, Hebr. c. 13, ℣. 18. Deniquè, Jacobi c. 5, ℣. 16 : *Orate pro invicem, ut salvemini; multùm enim valet deprecatio justi assidua.*

At, *inquiunt,* quomodò Sancti in cœlo cognoscere possunt orationes nostras et interna cordis desideria? Verùm ab iis vicissìm quærendum est, quomodò Sancti in hâc vitâ cognoscant animi consilia et desideria. Refertur quòd Samuel cognoverit omnia quæ erant in corde Saülis, IV Reg. c. 5. Eliseus cognovit quid famulus Giezi secretò egerit. Daniel etiam cognovit occultum Nabuchodonosoris somnium. Petro etiam cognita fuit fraus

Ananiæ et uxoris ejus. Deniquè consentiunt ipsimet Hæretici, Prophetas multa cognovisse quæ hominibus erant abscondita : si hæc in terrâ fieri possunt, quidni etiam fieri poterunt in cœlis? Deindè, Lucæ c. 15, Christus dicit Angelos gaudere de internâ peccatoris conversione : non gauderent autem, nisi novissent; nòrunt ergo et orationes nostras, quia Deus eas ipsis revelat; et hæc cognitio pertinet ad eorum beatitudinem accidentalem.

Quæres utrùm orationes dirigi possint ad animas in Purgatorio existentes.

Resp. variè varios Theologos eâ de re sentire, aliis affirmantibus, negantibus aliis. S. Thomas, 2.^{â} 2.^{æ}, quæst. 83, art. 11, ad 3.um, id negat: Quoniam, inquit, licèt sint nobis superiores, quantùm ad impeccabilitatem, sunt tamen inferiores, quantùm ad pœnas quas patiuntur, et secundùm hoc non sunt in statu orandi, sed magìs ut oretur pro eis ; ergo non debent in hoc statu à nobis orari. Sed tamen Deum orare possumus, ut nobis, pro animabus illis deprecantibus, faciliùs postulata concedat.

Quæres iterùm utrùm invocari possint infantes post Baptismum decedentes, ante usum rationis.

Resp., quamvis non debeant invocari publicè, nihil tamen impedire quominùs privatìm invocari possint, cùm fruantur gloriâ æternâ, et unà cum Christo in æternum regnent.

ARTICULUS VII.

Pro quibus orandum sit.

PROPOSITIO.

Orandum est pro omnibus hominibus in hâc vitâ degentibus, sive justis, sive peccatoribus; sive fidelibus, sive infidelibus.

Prob. ex Apost., I Timoth. c. 2, ℣. 1, 3 et 4: *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus...; hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* S. Petrus addit, *Deum nolle aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Cùm ergo Deus velit omnes homines salvos fieri, si velint et non impediant, certè divinæ voluntati nostram conformare debemus, optando et petendo ut ita fiat.

Quæres 1.° an teneamur pro inimicis nostris orare.

Resp. 1.° nos teneri, sub pœnâ peccati, eos non excludere à communibus orationibus, ut diximus alibi.

Resp. 2.° teneri nos aliquandò etiam specialiter pro inimicis nostris orare, quandò, v. g, sunt in extremâ vel gravi necessitate, sive spirituali, sive corporali, juxta illud Christi præceptum, Matth. c. 5, ℣. 44: *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos.*

Quæres 2.° utrùm orandum sit pro mortuis.

Resp. 1.° pro Beatis in cœlo existentibus non esse orandum, quia orationibus nostris non indigent, sed illorum orationes nobis potiùs ne-

cessariæ sunt. Hinc tritum illud S. Augustini. *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.*

Resp. 2.° pro damnatis non esse orandum, quia orationes nostræ sunt illis omninò inutiles, cùm non sint capaces gratiæ ullius aut veniæ obtinendæ; in inferno quippe nulla est redemptio, ut fides docet.

Resp. 3.° orandum esse pro iis defunctis qui sunt in Purgatorio, ut à pœnis liberentur. Responsio est *de fide*, et probatur à nobis fusiùs in *Tractatu de Sacrificio Missæ*, disertissimè verò à Bellarm. in Tract. de Purgatorio.

Colliges aliquandò nos teneri sub peccato, ex lege charitatis, pro defunctis orare, maximè pro benefactoribus et parentibus, quia fidelium animæ quæ à Dei visione retardantur, maximis doloribus in igne Purgatorii torquentur, et per orationes ac Sacrificia possunt à nobis adjuvari.

APPENDIX II,

AD PRIMUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

De Simoniâ in genere.

QUÆ de Simoniâ in genere dicturi sumus quatuor articulis complectemur: quæremus in 1.° quid sit simonia; in 2.° quotuplex sit; in 3.° quænam ejus malitia; in 4.° deniquè, quibus modis committatur circa res sacras in genere, ubi de causis à simoniâ excusantibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Simonia.

Simoniæ vox peccatum illud significat quod

committitur emendo vel vendendo rem sacram et spiritualem, sumpto nomine à Simone Mago, qui in hoc sacrilegii genere, ab Ecclesiæ nascentis initio, primus omnium gravissimè deliquisse legitur in Actibus Apostolorum, cùm, oblatâ pecuniâ, emere voluit ab Apostolis potestatem conferendi Spiritum Sanctum, ut deindè, sicut SS. PP. notant, Spiritûs Sancti dona aliis pecuniâ divenderet.

Simonia definitur, *Sacrilegium quo aliquid spirituale, vel spirituali annexum, pretio temporali commutatur;* vel, ex communi ac receptâ S. Thomæ et Antiquorum doctrinâ, quæ in idem recidit, est *studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, aut spirituali annexum.*

Dicitur 1.°, *studiosa seu deliberata voluntas*, id est, volitio libera.

Dicitur 2.° *emendi vel vendendi*, id est, non gratìs dandi aut accipiendi, sed interveniente pretio temporali, et cum pacto oneroso: emptionis autem et venditionis nomine comprehenduntur alii contractus onerosi, v. g., locatio, permutatio, mutuum, aliique omnes contractus qui vulgò vocantur innominati, *Do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias;* Do, v. g., titulum Parochi, ut des aliquid pretio æstimabile; Do Canonicatum, ut in domo meâ officio Capellani fungaris; Efficio apud Principem ut te ad episcopatum nominet, ut tu vicissim pensionem quam solvere teneor condones; deniquè, Facio ut meo suffragio, Sede vacante, Vicarius generalis eligaris, ut mihi pecuniam mutuo præbeas. Ratio est, quia illi omnes contractus, quoad indignam rei sacræ tractationem,

æquivalent emptioni aut venditioni, quatenùs, scilicet, in his omnibus datur res spiritualis pro pretio temporali : neque tamen requiritur ut quis rem temporalem cum spirituali æquare velit, aut existimet rem temporalem posse esse pretium commensuratum et æquale rei spirituali; sed sufficit, si ipsa aliqua res temporalis detur pro re spirituali, vel obtineatur res spiritualis propter æstimationem rei temporalis.

Usitatum verò est apud Scriptores ecclesiasticos, ut pretium, quo res spiritualis vendi potest vel emi, *munus* appelletur; illudque triplex est, scilicet, vel *à manu*, vel *à linguâ*, vel *ab obsequio*.

Nomine muneris *à manu* intelligi debet utilitas quæcunque aut temporale commodum, pro quo, tanquam pro pretio, res spiritualis confertur, sive sit pecunia, sive aliud quidpiam pecuniâ æstimabile, v. g., domus, ager, supellex, sive etiam debiti alicujus remissio, solutionis dilatio, imò et mutui dilatio; est enim temporale commodum, quod sine sacrilegio et simoniâ dari, aut promitti, vel accipi non potest pro re spirituali, et in ejus commutationem.

Nomine muneris *à linguâ* intelliguntur preces, laudes, adulationes, non quidem simpliciter, sed quatenùs favorem hominum conciliare possunt conferenti Officium spiritale, v. g., Canonicatum, ipsique commodum procurare. Undè simoniacus est, qui alteri tale officium promittit, ex pacto expresso vel tacito ut de se benè loquatur, sibique quovis modo famam conciliet.

Deniquè, nomine muneris *ab obsequio* intelligi debent alia quæcunque obsequia seu servitia temporalia, alicui præstita vel præstanda

sub pacto expresso vel implicito, aut cum intentione acquirendæ in eorum compensationem alicujus rei spiritualis, cap. *Cùm essent*, de Simoniâ.

Dicitur 3.° *aliquid spirituale;* quo nomine hic intelligitur id quod est aliquo modo supernaturale, et ad animæ salutem à Deo specialiter institutum, sive quod à Deo provenit, et ad Deum ordinatur, quatenùs est gratiæ auctor et salutis: potest autem aliquid esse spirituale et surpernaturale, vel 1. per essentiam, ut gratia, sive habitualis, sive actualis, virtutes infusæ, dona Spiritûs Sancti, etc., quæ non possunt esse propriè materia emptionis et venditionis, nec cadunt in contractum onerosum; vel 2. ratione effectûs, quia, scilicet, spiritualem effectum producit, cujusmodi sunt sacramenta, sacræ conciones, orationes, tum publicæ, tum privatæ, Sacramentalia, etc.; vel 3. deniquè ratione causæ, quia, scilicet, provenit à causâ spirituali: tales sunt effectus gratiarum gratìs datarum, prædictiones, prophetiæ, benedictiones, usus jurisdictionis ecclesiasticæ, dispensationes, concessiones absolutionis, facultas absolvendi à peccatis et censuris, excommunicationes, suspensiones, etc.; hæc enim omnia spiritualia sunt, et sine gravissimo sacrilegio emi, vendi, aut in pactum deduci non possunt.

Dicitur 4.°, *vel spirituali annexum;* quo nomine intelliguntur ea quæ, licèt temporalia sint et naturalia, aliquatenùs tamen fiunt sacra per connexionem quam habent cum rebus sacris et supernaturalibus; idque triplici modo fieri potest:

1. Quidem, quandò rerum illarum materia supponitur, et præcedere debet consecrationem, ac

ac res seu functiones sacras ad quas ex Ecclesiæ institutione ordinatur : hujusmodi sunt templa, altaria, vasa, vestimenta consecrata vel benedicta, quæ, ex Ecclesiæ instituto, prærequiruntur ad sacram Missæ oblationem, vel ad sacramenta ministranda; hæc autem omnia dicuntur à quibusdam Theologis annexa *antecedenter* rei spirituali.

2. Quandò res illæ requiruntur tanquam aliquid rei sacræ necessariò annexum, et veluti intrinsecum, qualis est actio celebrandi Missam, baptizandi, absolvendi, concionandi, et quilibet alius hujusmodi labor intrinsecus actioni sacræ : illa autem dicuntur annexa *concomitanter* rei spirituali.

3. Quandò rem sacram præsupponunt tanquam aliquid ab eà dependens, ut jus percipiendi reditus Beneficiorum, quod supponit aliquod officium spirituale propter quod datur : et illa dicuntur annexa *consequenter* rei sacræ.

1.° Si agitur de illis rebus temporalibus quæ spiritualibus annexæ sunt *antecedenter*, vendi possunt absque simonià, quia spiritualitas seu consecratio rei temporali quasi accidentaliter advenit, ipsa verò manet semper, secundùm se, æstimabilis pretio temporali; simoniacum tamen esset rem illam, v. g., Calicem, majori pretio vendere ob consecrationem. 2.° Quoad temporale *concomitanter* annexum spirituali, notandum est nihil posse accipi tanquam pretium laboris sacro ministerio intrinseci, quia, scilicet, vendi non potest labor iste, quin vendita censeatur res sacra, cui per se necessariò ac inseparabiliter conjunctus est; atque hìc locum habet sententia Paschalis, Papæ, cap. *Si quis objecerit*, causâ 1, quæst. 3 :

Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. 3.° Propter eamdem rationem et auctoritatem, nunquàm emi aut vendi possunt ea quæ rei spirituali annexa sunt *consequenter.*

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Simonia.

Primò quidem simonia alia est contra *jus divinum et naturale*, alia solummodò contra jus *positivum et ecclesiasticum.*

Simonia contra *jus divinum* est illa quam præcedenti articulo definivimus, et consistit in commutatione rei temporalis pro spirituali : undè illa simonia est intrinsecè mala, exclusâ etiam Ecclesiæ prohibitione.

Simonia contra *jus ecclesiasticum* est pactio seu conventio quæ, ob aliquam simoniæ speciem vel suspicionem, ab Ecclesiâ prohibetur sub pœnis simoniæ, quamvis ex se intrinsecè mala non sit.

Ex hâc autem Ecclesiæ prohibitione, factâ ex motivo Religionis, hujusmodi pactio verum sacrilegium est contra Religionem et simonia contra jus ecclesiasticum, cujus exempla patebunt evidentiùs expositione trium conditionum quæ in simoniâ contra jus naturale requiruntur, scilicet, 1.° ut sit commutatio; 2.° rei sacræ; 3.° pro re temporali.

Nam 1.° alicujus rei etiam oblatæ sponte receptio pro examine ad Beneficia vel Ordines, non est propriè commutatio aut venditio, nec proindè simonia jure naturali prohibita; prohibetur tamen à Concilio Trid. Sess. 24, cap. 18, et Sess. 21, capite 1, tanquam simoniaca.

2.° Venditio officiorum quorumdam temporalium, v. g., OEconomi, Thesaurarii, Advocati ecclesiastici, et similium, quæ ad temporalem solùm Ecclesiæ administrationem ordinata sunt, non est venditio rei spiritualis, et tamen cap. *Salvator*, causâ 1, quæst. 3, prohibetur ut simoniaca.

3.° Solo jure ecclesiastico prohibitum est ne pro oleo sacro aut chrismate aliquid exigatur, cap. *Non satis*, cap. *Ad nostram*, de Simoniâ; quamvis alioqui, spectatâ rei naturâ, simoniacum non sit materiam rei spiritualis pretio, secundùm se, æstimabilem vendere, ut patet de Calice consecrato.

Deniquè permutationes Beneficiorum, sine Superioris auctoritate factæ, reprobantur tanquam simoniacæ, cap. *Quæsitum*, et cap. *Cùm olìm*, de rerum Permutatione, quamvis in iis non detur res spiritualis pro temporali, ut in simoniâ contra jus naturale.

Secundò simonia dividitur in *mentalem*, *conventionalem*, et *realem*.

Simonia *mentalis* est ea quæ fit sine ullo pacto externo, sive implicito, sive explicito, sed ex solâ intentione accipiendi, aut dandi pro re spirituali temporalem, vel pro temporali spiritualem; potestque duplici modo committi, 1. quidem si vi illius intentionis nihil fiat exteriùs : v. g., si quis, desiderans offerre munus alteri ut Officium aliquod spirituale, Parochi, v. g., ab illo obtineat, suam tamen illam voluntatem exsecutioni non mandet. 2. Committitur simonia mentalis, quandò quis ex intentione aliquid exteriùs operatur, v. g., servit, aut munus aliquod offert ad consequendum spiritale Officium, licèt nullum intercesserit

pactum, nec explicitum, nec implicitum: mentalis dicitur, quia est occulta, nec significatur exteriùs, licèt non sistat in solà mente aut voluntate; sæpiùs autem ex parte unius tantùm, v. g., dantis aliquid, committitur, quamvis contingere possit ut ex parte dantis et accipientis committatur; sed casu id accidit et sine conventione. In priori casu simonia dicitur *purè mentalis;* in posteriori, *non purè mentalis.*

Simonia *conventionalis* dicitur, quandò aliquod pactum externum seu conventio intervenit dandi rem spiritualem pro temporali; atque illa est etiam duplex: si enim pactum ex nullà parte sit exsecutioni mandatum, dicitur simonia *purè conventionalis;* si verò ex alterutrà tantùm parte completum sit pactum, v. g., si traditum sit pretium temporale, sed nondùm tradita res spiritualis; aut contrà, si res spiritualis sit tradita, nondùm tradito pretio temporali, dicitur simonia *conventionalis mixta.*

Simonia est *realis,* quandò pactum utrinquè realiter completur, v. g., si, post pactum de vendendo spiritali Officio, traditum sit reipsâ Officium ex unâ parte, et pretium ex alterâ, aut saltem illius pars, aut instrumentum debiti.

ARTICULUS III.

De malitiâ Simoniæ.

PROPOSITIO.

Simonia est gravissimum sacrilegii peccatum contra religionem.

Prob. 1.° *ex Script.:* ex acerrimâ S. Petri objurgatione adversùs Simonem Magum, Act. c. 8, ℣. 20, 22 et 23: *Pecunia tua tecum sit in per-*

ditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri... Pœnitentiam itaque age ab hâc nequitiâ tuâ... In felle enim amaritudinis, inquit, *et obligatione iniquitatis video te esse.* Item, ex gravi increpatione Giezi factâ ab Eliseo Prophetâ, IV Reg.

Prob. 2.° *ex horrendis anathematibus*, quibus, in Jure canonico, à Conc. et à SS. PP. simonia percellitur : modò enim dicitur *exsecrabile flagitium*, aliquandò prima et *præcipua hæresis*, alibi *turpissimum lucrum* et *pestis* alios morbos longè superans. Hinc Innoc. III, cap. *Per tuas*, de Simoniâ, sic ait : *Cæteras exceptiones ut furti, adulterii, propter immanitatem hæresis simoniacæ* (*ad cujus comparationem cætera crimina quasi pro nihilo reputantur*), *duximus repellendas.* Legenda autem sedulò in Jure canonico tota quæstio prima causæ 1 ; legendus item titulus tertius lib. 5 Decretalium, ubi de Simoniâ.

Prob. 3.° *ex gravissimis pœnis*, quæ simoniacis infliguntur, de quibus consule *Tractatum de statuum Obligationibus.*

In eo autem sita est malitia simoniæ, quòd 1.° res sacra aut spiritualis indignè ac irreligiosè tractetur; tunc enim cum re temporali quodammodò adæquatur, quasi tam vilis foret, ut instar rerum temporalium vendi posset : *Quis enim non vile putat esse, quod venditur?* ut ait Hormisdas Papa, Epist. ad Episcopos Hispaniæ. 2.° Quia perindè agitur ac si res spiritualis hominum dominio ac potestati subjecta esset, sicuti res temporalis, cùm tamen ex solius Dei gratuitâ voluntate pendeat, ut ex Act. c. 8, et I Cor. c 4 colligitur.

Dixi 1.°, *simoniam esse sacrilegium*; quia est

indigna tractatio rei sacræ contra religionem, cujus officium est res sacras dignè et reverenter tractare.

Dixi 2.°, *gravissimum;* quia est peccatum ex naturâ suâ mortale, et quod nullatenùs ex parvitate materiæ veniale fieri potest.

ARTICULUS IV.

De Modis quibus committitur Simonia circa res sacras in genere, ubi de Causis à Simoniâ excusantibus.

Quinque sunt tituli vi quorum Ministri Ecclesiæ possunt à fidelibus temporalia bona accipere, sub quibus tamen sæpè occultatur simonia : videlicet, gratuita donatio, stipendium, necessaria sustentatio, labor, et redemptio vexationis injustæ.

I. Excusat à Simoniâ titulus gratuitæ donationis : etenim certum est licere fidelibus bona temporalia largiri Ministris Ecclesiæ in modum eleemosynæ; itemque licitum est viris ecclesiasticis sponte à fidelibus oblata accipere; id enim et Christus ipse fecit, et ab ipso Ecclesiæ exordio usitatum fuisse legitur, Act. c. 4. Neque verò deterioris conditionis sunt Ministri Ecclesiæ quàm reliqui pauperes, quibus licet oblata accipere.

Verùm sub hoc titulo multimodè occultari solet simonia : quapropter ab Innoc. XI damnatæ fuerunt hæ propositiones : 1.ª *Dare temporale pro spirituali, non est simonia, quandò temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quandò temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali,*

aut è contrà. 2.ª Id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale ; imò, etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quàm res spiritualis.

Ex quo sequitur, 1.° veram committi simoniam, sive res temporalis conferatur ut pretium, sive ut motivum ad obtinendam rem spiritualem.

Sequitur 2.° ex motivo gratitudinis non posse rem spiritualem alicui conferri, quia aliquid temporale receptum est vel speratur ; nam sub hoc prætextu subesse ac palliari potest simonia conventionalis, scilicet, si interveniat aliquod pactum; omne autem pactum ex naturâ suâ onus seu obligationem justitiæ ac fidelitatis infert, ac proindè repugnat cum donatione gratuitâ, illamque destruit. Simoniacæ ergo sunt hæ conventiones : Dono tibi gratìs pecuniam eâ lege, ut tu ex gratitudine mihi conferas Officium spirituale ; aut contrà : Dono tibi gratìs Officium spirituale, ut tu ex gratitudine des mihi pecuniam ; neque verò ad hoc requiritur pactum expressum, sed tacitum sufficit vel incompletum, quale videtur et ferè semper præsumi debet significari, quandò dans pecuniam et sperans officium, vel aliam rem spiritualem, exigit promissionem grati animi, vel etiam ad gratitudinem verbis, signis, petitionibus, aliisve similibus modis hortatur, et multò magìs, si hanc determinatè gratificationem petat : hinc enim facile est intelligere, collatorem rei spiritualis illam non conferre ex merâ liberalitate vel gratitudine, sed tanquam compensationem, vel mercedem rei aut obsequii temporalis ; neque in his casibus res temporalis verè gratìs datur. Si tamen, verè et sincerè loquendo, munus esset gratuitum, sine ullâ intentione vel

pacto, sive implicito, sive explicito, recipiendi rem aliquam spiritualem, tunc nulla esset simonia, ut declarat Sum. Pont. Alex. III, cap. *Etsi*, de Simoniâ.

II. Excusat titulus stipendii : certum est enim Ministros Ecclesiæ, spiritualia fidelibus ministrantes, posse ab illis sine ullâ simoniâ recipere temporalia, in modum justi stipendii ac debitæ sustentationis; id enim evidenter ait Apostolus, I Cor. c. 9, ℣. 7: *Quis militat*, inquit, *suis stipendiis unquàm?... Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* et ℣. 13, 14, *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, et qui Altari deserviunt, cum Altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Alludit Apostolus ad id quod Christus ipse dixerat, operarium dignum esse mercede suâ et cibo suo, sic docens Prædicatores Evangelii impensis eorum quibus Evangelium prædicant, posse vivere. Latè tamen et impropriè mercedis nomen hìc sumitur; nam jura exsequiarum, et quæcumque pro sacrarum functionum exercitio tribui solent, sive lege divinâ et naturali, sive ecclesiasticâ, sive solâ consuetudine Ministris Ecclesiæ sint assignata, rationem non habent pretii, quod spectatur per respectum ad valorem et æstimationem operis, sed stipendii, quod consideratur in ordine ad personam quæ sustentatione indiget, quamque acquirere potest, dùm aliis deservit.

Sub prætextu tamen stipendii latere potest simonia :

1.° Si quis debitum stipendium exigat modo indebito et reprobato (cap. *Suam nobis*, cap.

Ad Apostolicam, cap. *Cùm in Ecclesiæ*, de Simoniâ) molestâ ac violentâ exactione: v. g., denegando spiritualia, donec numerata sit pecunia, quod S. Thom. hic, art. 3, in corp., meritò dicit habere venditionis speciem; vel, quod idem est, donec de numerandâ pecuniâ data sit cautio.

2.° Si quis, in administratione spiritualium, plus exigat pro stipendio, quàm verè debitum sit: in quo non solùm committitur injustitia, sed etiam simonia, quia, cùm absit justus titulus exigendi, pro spirituali ministerio id exigi convincitur.

3.° Licèt ex cap. *Ad Apostolicam*, de Simoniâ, Clerici ob consuetudinem censeantur jus habere ad certa quædam stipendia, et laici ea ipsis denegare non debeant, ibi tamen prohibetur, tanquam imago simoniæ, ne ea ipsi Clerici exigant, sed solùm auctoritate Episcopi.

4.° Simonia est, et ex Jure reprobata, omnis consuetudo exigendi pecuniam, prandium, aut quid simile, pro receptione novi Canonici, sive cujuscunque Clerici in Ecclesiam, ut patet ex cap. *Si quis objecerit*, cap. *Si quis præbendas*, causâ 1, quæst. 3, et cap. *Jacobus*, de Simoniâ: idem prohibuit Conc. Trid., canones citatos innovando, Sess. 24. Si tamen hujusmodi solutiones auctoritate Episcopi imponantur, et in usus pios ac toti Capitulo, non privatis, utiles convertantur, nulla tunc erit simonia, ut ait idem Conc. ibid., cap. 14.

5.° Simoniacum est aliquid dare vel accipere pro Ordinum collatione, atque id in Jure prohibetur et in Conc. Trid.

Ex dictis colligere debent ecclesiastici viri,

ita ab ipsis esse accipienda debita stipendia, ut ab omni specie avaritiæ abstineant, nihilque, nisi juxta modum ab Ecclesiâ præscriptum et approbatas consuetudines, recipiant: quapropter exactissimè servent laudabilem piorum Sacerdotum consuetudinem, qui etiam sponte à fidelibus oblata, post Eucharistiæ et Pœnitentiæ aliorumque Sacramentorum administrationem, non recipiunt, semper præ oculis habentes illud Christi dictum: *Gratìs accepistis, gratìs date.*

III. Excusat titulus necessariæ sustentationis, qui præsertìm spectat ingressum monasterii. Hæc pauca observanda sunt:

Simoniacum est dare vel accipere aliquid, præcisè propter ingressum Religionis, vel susceptionem ad statum religiosum: ita definitum est à Conciliis, præsertìm Lateran. IV, et probatur etiam ex cap. *Non satis*, cap. *Veniens*, cap. *Dilectus*, cap. *Quoniam*, de Simoniâ, et Extrav. primâ, eodem titulo.

Licitum tamen est dare aliquid propter sustentationem personæ ad statum religiosum admittendæ, dummodò monasterium dives non sit, nec sufficiens ad sustentandam personam quæ recipitur; tunc enim nihil datur propter ingressum monasterii: at, si monasterium dives sit, nihil omninò dare licet pro ingressu in illud, ut docent omnes Theologi post S. Thomam, 2.ª 2.æ, quæst. 100, art. 3, ad 4.um, et in 4 Sententiarum, dist. 25. An autem paupertas monasterii vera sit an ficta, Superiorum est et Episcopi judicare.

IV. A simoniâ excusat labor; labor autem duplex distingui debet: alius est actioni spirituali intrinsecus, ut fatigatio necessaria ad concio-

nem, ad celebrationem Missæ, etc.; alius extrinsecus, sine quo opus fieri potest, ut celebratio Missæ facienda in loco admodùm remoto, vel horâ graviter incommodâ. Porrò labor intrinsecus nunquàm vendi potest sine simoniâ, quia cum actione spiritali indivisibiliter in unum et idem opus coalescit, et ideò ejusdem est cum eâ conditionis; at verò labor extrinsecus, cùm sit ab actione spiritali separabilis, absque simoniâ vendi potest. Similiter, excusat damnum emergens, quod quis patitur dùm laborat et tempus insumit in scribendo, iter agendo, etc., ut alteri Officium spiritale procuret. In hoc tamen casu, solius laboris, non ipsius Officii habenda est ratio; fatenturque Doctores simoniacum esse, qui munera vel pecuniam dat aut promittit alteri, præcisè ut pro se officium spiritale postulet, quia tunc dat temporale immediatè, et sine interventu alterius motivi, ad obtinendum spiritale.

V. Excusat redemptio injustæ vexationis; nullam quippe simoniam committit ille qui pretio redimit vexationem evidenter injustam, quæ infertur ad tollendum jus omninò acquisitum in officio spiritali, Parochi, v. g., vel ad impediendum illius justam possessionem : ita S. Thomas. Ratio est quia, hoc in casu, nihil spiritale emitur, sed repellitur injuria illata, quæ est quid temporale.

Ex dictis concludendum, temporalia dare, promittere, vel accipere, occasione collationis spiritualium, aliquandò simoniacum esse, aliquandò non esse simoniacum. Utriusque discretio hâc generali regulâ fieri potest : simonia est, si detur, promittatur, vel accipiatur temporale immediatè, et sine interventu alterius motivi, ad

obtinendum aut conferendum spiritale; id est, si detur vel accipiatur temporale, non alio titulo quàm ad spiritale consequendum vel conferendum; et quidem sive temporale spectetur formaliter ut pretium, sive duntaxat ut motivum rei spiritalis conferendæ. Si verò interveniat aliqua causa dandi vel accipiendi temporalia, occasione rei spiritalis, quales sunt prædictæ rationes stipendii, sustentationis, laboris extraordinarii, vexationis redimendæ, tunc temporalia dare vel exigere, non est simonia. Ita Suarez, lib. 4 de Simoniâ.

Duo superessent inquirenda de simoniâ *in specie:* 1.um de modis quibus committitur simonia circa Beneficia, seu Officia spiritualia; 2.um de pœnis à Jure canonico latis, ob simoniam quæ in ingressu Religionis, aut in Ordine vel Beneficio seu Officio spiritali commissa est: (nulla quippe pœna, pro aliâ quâcunque simoniâ, Jure canonico incurritur, ut docent communiter Doctores.) Verùm hæc consultò hìc omittimus, in *Tractatu de Statuum Obligationibus* expendenda.

APPENDIX III,

AD DECALOGUM.

De quibusdam Peccatis Capitalibus.

Diximus, hujus tractatûs initio, omnia Legis divinæ præcepta non contineri in Decalogo: quapropter, explicatis decem Decalogi præceptis quæ ad justitiam quodammodò pertinent, ut potè quæ ordinem habent in alterum, sive Deum,

sive parentes et Superiores, sive alios quoslibet proximos, restat ut quædam addamus de præceptis temperantiæ, quorum observatione homo rectus efficitur in ordine ad seipsum.

Temperantia, ex S. Thomâ, 2.â 2.æ, quæst. 141, est *virtus moralis, quæ ad refrenandam bonorum sensibilium concupiscentiam, et moderandas corporis voluptates propter Deum inclinat.* Hujus variæ sunt species: præcipuæ sunt abstinentia, sobrietas, castitas, modestia, humilitas, etc.; harum præcepta omnia sigillatim exponere non vacat: quocircà agemus tantùm breviter de quibusdam peccatis capitalibus temperantiæ oppositis, quò faciliùs Confessarii, postquàm pœnitentes interrogaverint circa præcepta divinæ Legis, juxta ordinem Decalogi, eos etiam examinent circa peccata capitalia.

Capitalia dicuntur, quia sunt aliorum ferè omnium peccatorum veluti fontes et capita, vimque maximam habent eorum objecta ad excitandas in nobis vehementissimas passiones. *Mortalia* etiam dicuntur, quia sæpissimè mortem animæ afferunt, quamvis mortalia semper non sint. Septem vulgò numerantur: verùm de quatuor satis abundè egimus, scilicet de Acediâ, Invidiâ, Irâ et Luxuriâ; superest ut de Avaritiâ, Superbiâ, et Gulâ triplici articulo disseramus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Superbiâ.

Superbia est *inordinatus appetitus propriæ excellentiæ;* namque, ut ait S. Aug. lib. 14 de Civitate Dei, cap. 13, *Quid est superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus?* Quandò, præ

isto appetitu se extollendi, aliquis non vult subjici Deo aut Superioribus in his in quibus subjici debet, tunc superbia dicitur *consummata* et *perfecta;* si verò, nonobstante appetitu se extollendi, Deo tamen et Superioribus se subdat in iis in quibus debet, dicitur superbia *imperfecta.*

Superbiæ tres imprimis filiæ seu species vulgò assignantur, *præsumptio, ambitio* et *vana gloria.*

Præsumptio est appetitus inordinatus se extollendi de suis viribus, sive temerè existimando se posse aliquid quod est supra vires, sive illud aggrediendo, v. g., si quis officium Confessarii accipiat, quamvis ad illud non sit idoneus.

Ambitio est appetitus inordinatus dominandi, seu extollendi se per dignitatem, vel honorem, præsertìm indebitum, v. g., si quis ambiat dignitatem absque vocatione, quamvis sit indignus.

Vana Gloria est appetitus inordinatus se extollendi per vanam existimationem et gloriam apud homines.

PROPOSITIO.

Superbia consummata, quâ quis renuit subjici Deo vel Superioribus, in quibus debet ex necessitate salutis, est peccatum mortale. Idem dicendum de tribus speciebus superbiæ.

Prob. 1.° *innumeris Scripturæ locis* : Prov. c. 6, ℣. 16, 17 : *Sex sunt quæ odit Dominus,... oculos sublimes*, etc. Prov. c. 8, ℣. 13 : *Arrogantiam et superbiam detestor*. Prov. c. 16, ℣. 5 : *Abominatio Domini est omnis arrogans*. Eccli. c. 10, ℣. 7 : *Odibilis coram Deo est et hominibus superbia*. Rom. c. 1, ℣. 32, Superbi et elati recensentur inter eos qui *digni sunt morte*.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Amb. Epist. 84 : *Inter omnes lapsus hominum*, inquit, *inter omnia commissa peccantium, nulla est gravior quàm superborum ruina, maximè cùm ipsa elatio in Dei tendit injuriam.* S. Chrysost. Hom. 43 ad Popul. Antioch. : *Nullum malum par elationi, hominem reddit dæmonem, contumeliatorem, blasphemum,* etc. S. Greg. cap. 41 in Job : *Evidentissimum reproborum signum superbia est; at contrà humilitas electorum.*

Prob. 3.° *Ratione :* Gravissima enim inordinatio est, cùm quis Deo et Superioribus non subjicitur in iis quæ necessaria sunt ad salutem : atqui superbia consummata id includit; ergo, etc.

Colliges 1.°, quoad superbiam, toties peccari mortaliter, per se loquendo, quoties 1. affectatur æqualitas cum aliquâ perfectione divinâ, v. g., independentiâ, scientiâ, etc., ut de primis parentibus innuit Scriptura, Gen. c. 3; vel quoad honores divinos aut nomina soli Deo debita, sicut de Herode legimus. 2. Quoties aliquis ita est affectus, ut, ad obtinendam vel retinendam aliquam excellentiam, actualiter paratus sit unum aut plura transgredi præcepta in materiâ gravi. 3. Quoties, ad obtinendam propriam excellentiam vel celsitudinem, aliquis aliorum ruinam notabilem aut procurat aut desiderat, aut de aliorum excellentiâ et bono notabili tristatur. 4. Quoties, ex persuasione propriæ excellentiæ, graviter alios despicit vel in eorum abjectione sibi complacet, sicut de Pharisæo legitur, Lucæ, c. 18, ℣. 11.

Colliges 2.°, quoad præsumptionem, peccare mortaliter, per se loquendo, eum qui præsumit, vel se posse beatitudinem æternam viribus naturalibus adipisci, vel opus aliquod supernaturale

ac meritorium æternæ vitæ facere sine gratiæ adjutorio; item, qui munus pastorale, aut aliquid simile accipit, quamvis obligationibus ei annexis satisfacere non valeat.

Colliges 3.°, quoad ambitionem, toties peccari mortaliter, per se loquendo, 1. quoties aliquis, aliis dominandi studio, conatur eos subtrahere, vel ab obedientiâ Deo debitâ, sicut fecit primus Angelus, vel etiam ab obedientiâ legitimis Superioribus debitâ, ut fit sæpissimè ab hominibus superbis et ambitiosis. 2. Quoties aliquis, animo dominandi, officium accipit quo se novit indignum. 3. Quoties aliquis ita affectus actualiter est erga suam dignitatem, ut paratus sit ad violandum potiùs præceptum aliquod sub mortali obligans, quàm ad dimittendam dignitatem.

Colliges 4.° deniquè, quoad vanam gloriam, peccare mortaliter, per se loquendo, eum qui, ad aucupandam inanem gloriam, falsò mentitur, v. g., se à Deo specialiter missum esse; vel qui ita fingit magnam sanctitatem, ut suâ hypocrisi causa sit contemptûs veræ sanctitatis aut religionis, vel veri damni proximi; item, qui se jactat de peccato mortali, vel favorem humanum divinæ dilectioni præponit in materiâ gravi, ut de multis Principibus Judæorum refertur, qui, quamvis in Christum crederent, illum tamen non sunt confessi; quia, ut ait Evangelista, *Dilexerunt gloriam hominum, magìs quàm gloriam Dei.* Peccant etiam peccato vanæ gloriæ, qui aliquod opus bonum exercent, v. g., ecclesiastici viri qui functiones suas obeunt, verbum Dei prædicant, eleemosynam erogant, ad aucupandam gloriam, favorem, laudesque hominum.

Dixi, *superbiam consummatam esse peccatum*

mortale; quia, si sit solùm imperfecta superbia, quâ quis se subjiciat quidem in his in quibus subditus esse debet, sed in suo tamen affectu se magnificet, erit solùm peccatum veniale, ut communiter docent Theologi; quia hæc inordinatio, cùm sit sine Dei et aliorum despectu, non videtur ita gravis ut ad peccatum mortale sufficiat. Attamen omnis superbia summo studio præcavenda est, præsertìm à viris Deo specialiter consecratis, tum quia causa est cur Deus gratias speciales nobis subtrahat; namque, ut dicitur Jacobi c. 4, ℣. 6, Petri c. 5, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam;* tum quia non raró Deus permittit, ad humiliandos superbos, ut in gravissima, præsertìm luxuriæ, peccata labantur, ut notârunt SS. PP., maximè verò S. Aug., Serm. 354 ad Continentes, aliàs Serm. 53 de Verbis Domini: *Audeo dicere,* inquit, *superbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipso in quo se extollunt, humilientur. Quid enim prodest cui inest continentia, si dominatur superbia?* Atque hinc colligit S. Thomas superbiam esse gravissimum peccatum: sicut enim medicus sapiens, in remedium majoris mali, patitur infirmum etiam in leviorem morbum incidere; ita etiam peccatum superbiæ gravius esse ostenditur, ex hoc ipso quòd, pro ejus remedio, Deus permittit homines ruere in alia peccata.

ARTICULUS II.

De Avaritiâ.

Avaritia à S. Aug. definitur, *libido habendi pecuniam;* à S. Thomâ, *immoderatus amor habendi,* supple, bona temporalia; est ergo immo-

deratus amor acquirendi et retinendi pecunias, seu quæcunque bona, sive mobilia, sive immobilia, quæ pecuniâ comparantur.

Tripliciter spectari potest avaritia, vel 1.° prout amori Dei appretiativo opponitur, quandò scilicet amor divitiarum amori Dei præponitur, et quasi ultimus finis in divitiis constituitur, ut ait S. Thomas; vel 2.° prout opponitur justitiæ aut charitati erga proximum, quarum virtutum præcepta infringit avarus, quoties, ob inordinatum amorem divitiarum, voluntatem habet subripiendi aut retinendi aliena, vel proximo eleemosynam non largiendi, quamvis ex præcepto teneatur; vel 3.° prout opponitur liberalitati, quandò, scilicet, avarus inordinatè amat divitias, nec eas pauperibus liberaliter distribuit, paratus tamen eas potiùs perdere, quàm vel à Dei amicitià excidere, vel injustè nocere proximo, vel ei non subvenire, quoties præceptum urgebit.

PROPOSITIO.

Avaritia est peccatum ex genere suo mortale, quandò opponitur amori appretiativo erga Deum, vel præceptis justitiæ et eleemosynæ erga proximum.

Prob. 1.° *ex Script.*, Eccli. c. 10, ℣. 9, 10: *Avaro nihil est scelestius... Nihil est iniquius quàm amare pecuniam: hic enim et animam suam venalem habet.* I Cor. c. 6, ℣. 9, 10: *Nolite errare.... neque fures, neque avari.... regnum Dei possidebunt.* Item, Ephes. c. 5, ℣. 5, et Coloss. c. 3, avaritia vocatur idolorum ac simulacrorum servitus.

Patrum testimonia hîc non referimus, quia passìm obvia sunt.

Prob. 2.° *Ratione :* Quia certum est præcepta, tum amoris appretiativi erga Deum, tum justitiæ et eleemosynæ erga proximum, obligare sub mortali, per se loquendo; ergo avaritia per se est peccatum mortale, quandò præceptis illis opponitur. At verò, quandò avaritia opponitur solùm liberalitati, non est ordinariè peccatum mortale, ex S. Thomâ et aliis communiter Theologis; est tamen valdè periculosa, namque ex Apost., I Tim. c. 6, ℣. 9, 10, *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.*

ARTICULUS III.

De Gulâ.

Gula, generatim sumpta, est *inordinatus appetitus et usus cibi vel potûs,* opponiturque abstinentiæ et sobrietati.

Sobrietas est virtus moderans affectum et usum potûs inebriativi. Abstinentia verò, strictè sumpta, est virtus moderans affectum et usum cibi, atque etiam potûs non inebriativi. Hinc duplex gulæ distinguitur species, alia quæ sistit in immoderatâ cibi vel potûs non inebriantis sumptione, et dicitur *comessatio,* vel etiam simpliciter et strictè *gula;* alia quæ in excessivâ potûs inebriantis acceptione posita est, et dicitur *ebrietas.* Item duplex est ebrietas, alia *perfecta,* quæ est excessus in potu usque ad violentam usûs rationis privationem, alia *imperfecta,* quæ non tollit rationis usum, et quâ stante discerni potest bonum inter et malum, quamvis phantasia non

nihil turbata sit, atque idcircò lingua titubet, vel pedes vacillent, vel oculi duplicatò aspiciant.

PROPOSITIO PRIMA.

Gula strictè dicta, prout distinguitur ab ebrietate, aliquandò mortalis est, aliquandò venialis.

Prob. 1.ª *pars*, 1.º *ex Script.*: Galat. c. 5, ℣. 21, comessationes annumerantur inter opera carnis quæ excludunt à regno cœlorum.

Prob. 2.º *auctoritate et ratione S. Thomæ*, 2.ª 2.æ, quæst. 148, art. 2; undè constat sæpè gulam avertere ab ultimo fine, ideòque gravem continere deformitatem; et 1. quidem ratione affectûs graviter inordinati, quo fit ut plurimi ad ventrem suum omnia referant, *quorum*, ut legitur Philipp. c. 3, ℣. 18, *Deus venter est*, dùm cibi et potûs delicias plus quàm cætera quærunt, sive ad id omnes curas et cogitationes explicitè referendo, sive istud interpretativè solùm intendendo, cùm parati sunt mortaliter peccare, v. g., varias admittere injurias, debita quibus solvendis sunt impares contrahere, potiùs quàm uti victu moderato. 2. Ratione gravis nocumenti, quod quis ob gulam sibi, aut familiæ suæ, vel creditoribus infert, sanitatem corporis graviter lædendo, filios aut filias juxta convenientem statum non collocando, debita non solvendo, vel etiam non opitulando gravem patientibus necessitatem, etc. 3. Ratione præcepti, vel scandali, aut peccandi periculi; ut si quis vetitis ab Ecclesiâ cibis utatur, vel licitis, cum aliorum scandalo, contra istud Apost. I Cor. c. 8, ℣. 13: *Si esca scandalizet fratrem meum,*

non manducabo carnem in æternum; aut si prævideat ciborum usum notabiliter immoderatum sibi pollutionis causam fore. 4. Si quis, ob solam voluptatem, cibo vel potu usque ad vomitum se ingurgitet, vel si, postquàm multùm comedit, ad vomitum se excitet, ut iterùm ad voluptatem edat; istud enim, seclusis etiam scandalo et ebrietate, gravem continet inordinationem, graviter dedecet naturam rationalem, et plus est quàm bestiale. 5. Si quis, citra necessitatem extremam, humanâ carne aut sanguine vescatur, quia istud et honori defunctis debito, et recto naturæ ordini opponitur. Uti tamen licitum est humanâ carne in medicamentis; hæc enim sic alterata est, ut jam non censeatur humanæ carnis sumptio.

Prob. 2.ª *pars.* Ut enim ait S. Thom. ibidem: *Si quis solùm nimis concupiscat delectationes ciborum, non tamen ita quòd propter hoc faceret aliquid contra legem Dei, est peccatum veniale.*

Addit, art. 4, S. Doctor, post S. Greg. Magnum, quinque modis committi gulæ peccatum: 1.° si edas ante tempus, quod erit lethale peccatum, si in die jejunii, absque rationabili causâ, multùm præveniatur tempus refectionis ordinarium; 2.° si nimis exquisita, id est, pretiosiora, quàm conveniat statui vel necessitati; 3.° si plus justo; 4.° si voraciter; 5.° si nimis exquisitè præparata, juxta hunc versum:

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

In his tamen vulgò nonnisi venialiter, exceptis casibus modò memoratis, peccatur.

PROPOSITIO II.

Ebrietas voluntaria et perfecta est certò peccatum mortale ; imò probabile est ipsammet imperfectam , qualem suprà descripsimus , esse lethalem.

1.ª *Pars patet,* 1.° Ex cit. c. 5 , ℣. 21 Epist. ad Galat. , ubi de ebrietate , ut de pluribus aliis operibus carnis , dicitur : *Quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.*

2.° *Ex SS. Patribus* passìm : *Ubi ebrietas ,* inquit S. Chrys. , Hom. 57 ad Populum Antiochenum , *ibi diabolus.*

3.° *Multiplici ratione :* 1.ª Quia per ebrietatem homo violenter se privat usu rationis , et eâ utendi proximâ potestate , quæ præstantissimum est in homine bonum , jusque naturale , de quo nemo cedere potest , nisi gravem injuriam naturæ suæ inferendo. 2.ª Quia ebrietas hominem brutis animantibus inferiorem reddit , impellit ad turpia , et ex eâ plerumquè sequitur deformitas actionum , gestuum , et motuum corporis, cum summo humanæ dignitatis dedecore.

Hinc 1.° ebrietas , omnibus graviter prohibita , majori adhuc vituperio digna est , 1. in feminis , quia majori periculo se exponunt ; 2. in Clericis , in Religiosis , et in iis omnibus quibus aliorum cura incumbit , ratione sequentis indè scandali.

Hinc 2.° lethaliter peccant , qui quocunque motivo amicos ad bibendum incitant , præscii eos ad ebrietatem esse perducendos ; etenim *digni sunt morte non solùm qui faciunt , sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Dixi in propositione, *voluntaria;* quia inculpabilis est ebrietas, respectu illius *qui nescit potum esse immoderatum*, inquit S. Thomas, quæst. 150, art. 2, *aut inebriare potentem*, ut contigit justo Noe; aut venialis esse potest in eo qui advertit quidem potum esse paulò immoderatum, sed rationabiliter existimat eum non esse inebriativum. Ad hoc tamen ut sit lethale peccatum, non requiritur quòd expressè et directè intendatur, sed satis est quòd interpretativè sit volita, ut fit in iis qui bibunt quantùm possunt aut rogantur, non curantes an ebrietas sequatur, necne.

Prob. 2.ª *pars*, 1.° *ex Script.* Isaiæ c. 5, ℣ 22: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem*, id est, fortes ad infundendum quemvis inebriativum liquorem. Porrò imprecatio, *Væ*, peccatum denotat mortale; at discrimen videtur esse inter ebrios et potentes ad bibendum, in eo scilicet positum quòd illi rationis usu destituantur, hi verò nequaquàm, propter firmatam bibendi consuetudinem.

Prob. 2.° ratione nocumenti et scandali quæ indè sequi nata sunt.

Dixi, *probabile;* quia plurimi graves auctores cum Sylvio, in 2.ª 2.æ, quæst. 150, art. 2, dissentiunt, mitiùsque opinantes, pronuntiant solùm ebrietatem imperfectam esse *ad minimum peccatum veniale*, nec fieri mortale, nisi quandò per eam *notabiliter lædunt* potatores *suam naturam, cogentes eam ferre potum immoderatum.*

Quoniam autem maximè committitur lethale peccatum gulæ, quandò ex desiderio cibi et potûs frangit quis jejunium ecclesiasticâ lege imposi-

tum, ideò pauca quædam de jejuniorum observatione dicenda videntur triplici paragrapho.

§ I.

De Obligatione jejunandi.

Jejunium, propriè dictum, est abstinentia à cibo et potu, major eâ quam communis temperantiæ regula postulat. Dividitur in *naturale* et *ecclesiasticum*.

Jejunium *naturale* est omnimoda cibi potûsque abstinentia à mediâ nocte præcedente; quale jejunium regulariter requiritur ad licitam SS. Eucharistiæ susceptionem. Dico, *regulariter*, ut excipiam casum quo à non jejunis licitè recipitur Eucharistia, in modum viatici.

Jejunium *ecclesiasticum*, de quo solo hìc loquimur, est certa quædam victûs abstinentia, juxta præscriptum et consuetudinem Ecclesiæ, ad carnem mortificandam.

Dicitur 1.°, *certa quædam abstinentia victûs;* non enim requiritur omnimoda, ut in jejunio naturali.

Dicitur 2.°, *juxta præscriptum et consuetudinem Ecclesiæ;* quia, cùm jejunium illud sit tantùm juris ecclesiastici, saltem quoad modum, Ecclesiæ est modum illum præscribere.

Dicitur 3.°, *ad carnem mortificandam*, ut indicetur qualis esse debeat finis jejunii ecclesiastici, et sic distinguatur tum à jejunio quod solùm necessitate fit, v. g., à pauperibus qui paupertatem suam in voluntarium virtutis actum non convertunt; tum à jejunio quod fit solùm ex motivo naturali, v. g., ad conservandam sanitatem corporis, vel ad habendas functiones animi benè dispositas.

PROPOSITIO.

PROPOSITIO.

Fideles tenentur, sub peccato mortali, certis quibusdam diebus jejunare, juxta præscriptum et consuetudinem Ecclesiæ, nisi justa causa eos excuset.

Prob. 1.° *innumeris Conciliorum Canonibus,* quibus jejunium præcipitur sub interminatione anathematis aut alterius gravissimæ pœnæ.

Prob. 2.° *ex SS. PP. Non leve*, inquit S. Ambr., Serm. 25, *peccatum est fidelibus, indictam à Domino Quadragesimam violare, et jejunia consecrata ventris voracitate dissolvere.* Et S. Aug., Serm. 62, de tempore : *Aliis diebus,* inquit, *jejunare remedium est aut præmium, in quadragesimâ non jejunare peccatum est.*

Prob. 3.° *ex Bullâ Alexand. VII,* in quâ damnata est hæc propositio : *Frangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu et inobedientiâ fiat, putà, quia non vult se subjicere præcepto.*

Prob. 4.° *Ratione :* Quia fideles tenentur sub mortali obedire præcepto legitimi Superioris in re gravi : atqui, etc.; ergo, etc.

Dixi 1.°, *fideles teneri jejunare certis quibusdam diebus;* scilicet, 1. singulis diebus Quadragesimæ, exceptis Dominicis; 2. feriis Quatuor Temporum; 3. quarumdam festivitatum Vigiliis, ut patet ex cap. *Consilium,* de Observatione jejuniorum.

Dixi 2.°, *juxta præscriptum et consuetudinem Ecclesiæ;* cùm enim præceptum illud sit ecclesiasticum, Ecclesiæ est determinare in quo consistat jejunium, et quid requiratur ut satisfiat præcepto.

§ II.

De Modo jejunandi.

Tria nunc ad jejunandum requirit Ecclesiæ præceptum : 1.° quidem ut abstineatur à carnibus illis quæ à piscibus distinguuntur ; 2.° ut fiat unica refectio; 3.° ut illa fiat certâ horâ.

Et 1.° quidem ad jejunandum requiritur abstinentia à carnibus, quod probatur ex universali et perpetuâ Ecclesiæ traditione, cujus testes eximii sunt SS. PP. Græci et Latini. S. Basil., Hom. 1 de jejunio, n. 10 : *Carnes*, inquit, *non comedis... exspectas vesperam ut cibum sumas.* S Chrysost., Hom. 2 in c. 7 Gen. : *Nusquàm hodiè... carnium concisiones vel coquorum discursus, sed illa omnia abierunt.* S. Hieron. : *Docemur tempore jejunii à cibis delicatioribus abstinere, nec carnem comedere.* S. August. contra Faustum, lib. 30 : *Catholici, edomandi corporis causâ,... non solùm à carnibus, verùm à quibusdam aliis terræ fructibus abstinent.* Neque verò diebus jejunii prohibentur solùm carnes strictè dictæ eorum animalium quæ à piscibus distinguuntur, sed etiam omnes partes animalis constitutivæ, ut cartilagines, nervi, sanguis, etc. Item jus ex carnibus, medulla, laridum, adeps, etc. Non prohibentur tamen æqualiter omni die jejunii ova et lacticinia, et ea omnia quæ à carne procedunt, modò non sint partes animalis constitutivæ. Verùm in Quadragesimâ non possunt licitè manducari ova et lacticinia, nisi approbante et permittente Episcopo; quapropter damnata est ab Alexand. VII hæc propositio : *Non est evidens quòd consuetudo non co-*

medendi ova et lacticinia in Quadragesimâ obliget. Multis tamen in locis lacticiniorum usus, etiam Quadragesimæ tempore, permittitur; quocircà debet unusquisque consulere et servare, hâc in parte, loci in quo versatur consuetudinem, quæ est optima legum interpres.

Colliges comedentem carnes aut alium cibum vetitum, die jejunii, graviter peccare, quia violat Ecclesiæ præceptum in re gravi.

Dices : Deus, Genes. c. 9, ℣. 3, permisit hominibus ut ex omni carne ederent; et Apostolus, I Timoth. c. 4, ℣. 3, vetat abstinere à cibis quos Deus creavit. Item, I Cor. c. 8, ℣. 3; Coloss. c. 2, et Actuum c. 10. Idem SS. PP. dixerunt; ergo, etc.

Resp. in illis locis damnari solùm eos qui carnes aut alios quosdam cibos tanquam ex naturâ suâ immundos et illicitos respuebant, ut Tatiani et Manichæi : *Omnis enim creatura Dei bona est,* inquit Apostolus, istos Hæreticos propheticè confutans. At non reprehendit Apostolus eos qui carnium usum licitum putant, verùm, corporis domandi causâ, ab iis abstinent, juxta præscriptum Ecclesiæ : ut enim ait S. Fulgentius, *Servi Dei in eo quòd à carnibus et vino abstineant, non tanquam res immundas fugiunt, sed mundioris vitæ instituta sectantur.*

Quæres an ille, qui legitimam dispensationem obtinuit ad carnes comedendas, liber sit ab obligatione jejunii.

Resp. 1.° Si dispensationem obtinuit ob debilitatem naturæ, quæ et meliori alimento indiget et multiplici refectione, tunc liber erit à jejunio.

Resp. 2.° Si causa dispensationis sit sola difficultas cibos quadragesimales digerendi, remanet

obligatio jejunandi. Idemque à fortiori dicendum, si dispensatio data sit solùm ob ciborum quadragesimalium penuriam : ratio est, quia dispensatio, cùm sit contra jus commune, est odiosa, nec proindè amplianda, sed restringenda : quod autem quidam aiunt, jejunium stare non posse cum esu carnium, gratìs dicitur; imò falsum patet ex facto Alexandri VII, quem referunt esum carnium permisisse initio sui Pontificatûs, prohibendo tamen duplicem in die comestionem. Item, ex Benedicto XIV, qui in opere de Synodo Diœcesanâ, quod edidit anno 1748, sic loquitur, lib. 7, cap. 3 : *Quamvis ecclesiasticum jejunium cum carnium esu ritè componi plures negaverint Theologi, qui, res morales per analogiam ad physicas explicantes, sibi animo finxerunt ecclesiasticum jejunium esse instar compositi physici, quod destrui necesse est, si vel una corruat ex partibus ejus essentiam constituentibus...; Nos, postquàm supremum Petri solium conscendimus, sinentes Theologos in suis speculationibus tempus terere, ecclesiastici jejunii hominum intemperantiâ fatiscentem disciplinam, quantùm fert conditio temporum, pro viribus sustentare curavimus, injungentes Episcopis, ne ulli permittant diebus Quadragesimæ, valetudinis causâ, carnibus vesci, nisi adjectâ lege religiosè servandi alteram jejunii partem, quæ consistit in unicâ comestione.*

Certum est 2.° ad jejunium requiri ut à mediâ nocte ad aliam mediam noctem, una tantùm refectio sumatur; ita enim habet universalis Ecclesiæ consuetudo, vim legis obtinens, ut omnes unanimiter fatentur : neque opus fuit præceptum eâ de re scribi; hoc enim intelligebatur tanquam

præcepto jejunii præsuppositum, præcipuè cùm Ecclesia Christiana hâc in parte secuta sit exemplum Patrum veteris Testamenti hoc modo jejunantium. Sola autem abstinentia à carnibus, cum licentiâ pluries sumendi refectionem, non dicitur jejunium; nam ex cap. *Quadragesima*, de Consecr., distinct. 5, diebus dominicis in Quadragesimâ non jejunatur, et tamen in his diebus servatur abstinentia à carnibus, aliisque quæ cæteris diebus quadragesimalibus prohibentur. Cæterùm, unica refectio debet esse continua, aliàs non esset moraliter una, sed repetita. Undè non licet eam dividere, nisi ex legitimâ causâ, qualis est in Parocho qui quæritur ut moribundo sacramenta ministret, in mercatore qui mensam relinquit ut notabile quid vendat, aliàs non venditurus, etc.

Colliges, extra unicam refectionem et cœnulam sive collatiunculam, de quâ infrà, prohiberi omnem comestionem, etiam uvarum aut cæterorum fructuum, etiam sitis sedandæ causâ, imò, quamvis succus solùm sugatur, cæteris ex ore projectis; hæc enim omnia ad refectionem ordinantur. Similiter, prohibentur lac, liquores vulgò dicti *Café* et *Chocolat*, oleum, aliaque condimenta, nisi hæc medicinaliter sumantur, et ad curandam realem infirmitatem. Peccat ergo mortaliter qui, præter unicam refectionem et collatiunculam, aliquid notabile comedit; violat enim præceptum Ecclesiæ in re gravi, sive aliquid notabile unâ vice comedat, sive, pluribus vicibus modicum quid comedendo, aliquid notabile tandem comedisse reperiatur. Hinc damnata est ab Alex. VII hæc propositio : *In die jejunii, qui sæpiùs modicum quid comedit, etiamsi notabile*

in fine comederit, non frangit jejunium. Jejunium tamen non solvunt lectores et ministri mensæ in Seminariis, Cœnobiis, aliisque similibus, qui modicum quid sumunt antequàm legant aut ministrent; est enim veluti inchoata refectio, propter aliquam necessitatem, quæ supponitur adesse, saltem in ministris, ad hoc ut licitè aliquid possint ante refectionem comedere.

3.° Quod spectat horam sumendi refectionem, olìm Quadragesimæ tempore non licebat solvere jejunium nisi sub vesperam, aliis verò diebus jejunii, nonnisi horâ nonâ, id est, circa tertiam horam post meridiem, ut patet ex cap. *Solent,* de Consecr., distinct. 1; ex Micrologo, cap. 6 de Observationibus Ecclesiæ, et ex regulâ S. Benedicti, cap. 41. Quem morem temporibus S. Bernardi adhuc viguisse, patet ex ejus Sermone 3 de Quadragesimâ: *Hactenùs,* inquit, *usque ad nonam jejunavimus soli; nunc usque ad vesperam jejunabunt nobiscum pariter universi Reges et Principes, Clerus et populus, nobiles et ignobiles,* etc. His tamen posterioribus seculis, Ecclesia, quæ pia mater est, toleravit et indulsit ut jejunium circa meridiem solvi possit; si quis tamen, absque rationabili causâ, notabili spatio, putà tribus horis, ante meridiem refectionem sumat, absque dubio peccabit graviter. Ita communiùs optimæ notæ Theologi, contra nonnullos.

Quæres an licita sit cœnula sive collatiuncula die jejunii.

Resp. nunc eam licitam esse, servatis quibusdam conditionibus; id enim postremis his seculis indulsit Ecclesia. At, cùm nullo jure scripto nitatur ille usus, sed solâ consuetudine ab Ecclesiâ toleratâ, ex illâ etiam consuetudine peti de-

bent conditiones in illâ collatiunculâ observandæ.

Prima conditio requisita, circa qualitatem sumendorum, est, juxta communem Doctorum sensum, ut nonnisi panis comedatur, vel seorsìm, vel cum fructibus, aut aliis levioribus; cujusmodi sunt uvæ passæ, ficus, nuces, pira, poma, imò herbæ quædam crudæ, ut lactucæ, etc. At verò non licet cibos sumere, qui potissimùm ad nutriendum valent, qualia sunt legumina, ova, pisces, placenta aut coctum jusculum; id enim non est in Galliâ receptum consuetudine piorum.

Secunda conditio requisita, circa quantitatem sumendorum, est ut quantitas illa sit exigua: cavendum diligenter ne collatiuncula in mediocrem cœnam vertatur; difficile tamen est in praxi speciatìm determinare qualis sit illa modica quantitas; metienda videtur secundùm personarum temperamentum et regionum diversitatem: optima tamen hâc in re videtur esse regula, si quis in unoquoque loco jejunium servet, prout à piis et timoratis viris servari consuevit.

Tertia conditio, circa horam collatiunculæ, est ut differatur usque ad vesperam; peccaret enim, secundùm multos Doctores, saltem venialiter, qui sine justâ causâ circa meridiem collatiunculam sumeret, cœnâ ad vesperam dilatâ. Ratio est, quia collatiuncula contra jus commune introducta est consuetudine solâ, undè licita non est, nisi prout fert consuetudo, scilicet ad vesperam.

Dixi, *sine justâ causâ;* quia, si hæc adsit, qualis est proficiscendi necessitas, aut summa vacuo stomacho dormiendi difficultas, etc., tùm consuetudo permittit collatiunculam fieri circa meridiem.

§ III.

De Causis excusantibus à Jejunio.

Duplex generatìm assignari potest causa excusans à jejunio, impotentia scilicet *physica* et *moralis*, quandò quis vel omninò jejunare non potest, vel non sine magno suo vel alterius incommodo.

Impotentiam physicam excusare certum est, quia constat neminem ad impossibile obligari. Excusat etiam impotentia moralis, quia Ecclesia, quæ pia mater est, filios suos obligare non solet cum multo incommodo.

Multiplex autem est impotentia moralis, quæ ad quatuor capita revocari potest, scilicet infirmitatem, paupertatem, laborem et pietatem.

Quoad infirmitatem, quadruplex à Theologis distinguitur, languoris, complexionis, ætatis et conditionis.

1.° Quidem à jejunio excusatur, qui morbo aliquo laborat, v. g., febri, ex cap. *Concilium*, de Observatione jejuniorum.

2.° Ob infirmitatem complexionis, excusantur qui inediâ facilè in morbum labuntur, ut convalescentes; vel ii qui, propter inediam, vehementes capitis aut stomachi dolores pati solent.

3.° Infirmitas conditionis excusat à jejunio mulieres gravidas aut lactantes, quæ tum pro seipsis, tum pro fœtu, cibo indigent.

4.° Infirmitas ætatis, quæ reperitur tum in pueris, tum in senibus, secundùm multos Doctores. De pueris sic loquitur S. Thomas, 2.ª 2.æ quæst. 147, art. 4, ad 2.um : *Dicendum quòd in pueris maximè est evidens causa non jejunandi, tum propter debilitatem... tum quia indigent nu-*

trimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti; et ideò, quandiù sunt in statu augmenti, quod est, ut in pluribus, usque ad finem tertii septennii (id est, usque ad annum ætatis 21 completum), *non tenentur ad ecclesiastica jejunia servanda. Conveniens tamen est ut, etiam in hoc tempore, se ad jejunandum exerceant plus vel minùs, secundùm modum suæ ætatis.*

De senibus, res non est ita determinata : multi Doctores septuagenarios jejunii lege liberant; sunt tamen aliqui septuagenarii ita sani ac vegeti, ut sine magno incommodo jejunare possent, ideòque ad jejunium obligati videntur.

Quoad paupertatem, sic statuit S. Thomas, ibidem, ad 4.um : *Dicendum quòd pauperes qui possunt sufficienter habere quod eis sufficiat ad unam comestionem, non excusantur ob paupertatem à jejuniis Ecclesiæ, à quibus tamen excusari videntur illi qui frustatìm eleemosynam mendicant, quia non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat.*

Quoad laborem, duplex distingui potest : scilicet, operariorum et peregrinantium. 1.° Quidem certum est operarios omnes qui corporaliter laborant, et eos omnes qui iter agunt, non excusari à jejunio; damnata enim est ab Alexandro VII hæc propōsitio : *Omnes officiales qui in Republicâ corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare an labor sit possibilis cum jejunio.* Et ista : *Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcunquè iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei non conficiunt.*

Vera igitur regula ad dignoscendum an peregrini vel operarii obligentur ad jejunium, est ea quam tradit S. Thomas, loco jam citato, ad 3.um, ubi innuit eos obligari, quandò labor aut levis est, aut non est necessarius, sive ratione professionis, sive alterius necessitatis aut spiritualis aut temporalis.

Quoad pietatem, seu opera misericordiæ, vel officia spiritualia, v. g., concionandi, cantandi Officium divinum, ut hæc opera censeantur esse justa causa excusans à jejunio, debent non solùm fieri ex officio et obedientiâ, vel evidenter esse majus bonum quàm jejunium ipsum, sed prætereà necesse est ut iis spiritualibus operibus incumbere jejunando quis non possit, nisi cum maximâ difficultate, et gravi sanitatis detrimento, vel virium amissione notabili. Verùm, ne hâc in parte illusioni locus detur, consulendi sunt Superiores.

Quæres an dispensatione opus habeat qui moralem habet impotentiam jejunandi.

Resp. cum dist. Si enim impotentia evidens non sit, sed dubium sit an cesset obligatio jejunii quoad unicam refectionem ac cibos vetitos, tunc sanè opus est dispensatione à legitimo Superiore impetratâ, scilicet ab Episcopo, si facilè adiri possit, secùs verò à Parocho; si verò impotentia jejunandi certa sit et aperta, tunc opus non est dispensatione, absolutè loquendo. Hoc tamen non impedit quominùs, secundùm laudabilem cujusque loci consuetudinem, debeat postulari Ordinarii vel saltem Parochi licentia.

FINIS TOMI V.

INDEX TOMI V.

TRACTATUS

DE ACTIBUS HUMANIS.

TRACTATUS

DE LEGIBUS.

TRACTATUS

DE PECCATIS.

TRACTATUS

DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

PARS PRIMA.

De Præceptis primæ tabulæ.

PARS SECUNDA.

De Præceptis secundæ tabulæ.

FINIS INDICIS.